Universidad de Deusto
Biblioteca

CARTHUSI
Compend.
D. Thom.
2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca
7º-85

C. 39

SVMMAE FIDEI ORTHODOXAE D. DIONYSIO CARTHVSIANO AVTHORE.

TOMVS SECVNDVS.

QVÆ HVIC TOMO CONtinentur ſequens pagella docebit.

Libera ſint cuique ſua iudicia, & tamen hac ſumma tampridem ex Dionyſio vtilius nihil prodijt.



BIBLIOTHECÆ ONNIENSIS SOCIETATIS IESV

ANTVERPIAE,
In ædibus Viduæ & Hæredum Ioannis Stelſij.
M. D. LXIX.
Cum gratia & Priuilegio.

FACULTAD DE TEOLOGIA
Univ. de Deusto
BILBAO

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ TERTIVS SCILICET, IN quo agitur de virtutibus tam theologicis quàm cardinalibus, de earum diuisionibus ac partibus, de virtutibus eisdem annexis, & vitijs contrà oppositis, de donis item ac fructibus.

¶ QVARTVS, IN QVO DE INcarnatione agitur Christi, vita, passione, morte, resurrectione, de matris eius Mariæ sanctificatione, desponsatione, annunciatione, de sacramentis nouæ legis ac eorum ritibus, Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Vnctionis extremæ, Ordinis & matrimonij de præmio item bonorum, & retributione malorum.

ARTICVLORVM ATQVE QVAESTIONVM,

hoc est, omnium quæ præcipua in his duobus sequentibus libris Summæ fidei orthodoxæ Catholicæ tractantur, index.

Præmiū: Omnis gloria regis abintus, folio 1.a
1 An obiectū fidei, sit veritas prima. 1.b
2 An cōplexa possint esse fidei obiecta. Et an fidei possit subesse falsum. 1.b
3 An visum, vel scitum possit fidei esse obiectum. 2.a
4 De distinctione credendorū per articulos fidei. Et quomodo fides creuisse dicatur secundum successionem temporum. 2.b
5 De enumeratione articulorū fidei in Symbolo. Et de ordinatione eorundem. 3.b
6 Quomodo componere symbolum fidei sit summi Pontificis. 4.b
7 Quid sit credere. Et de triplici actu fidei. 5.a
8 An ad salutem necessarium sit aliquid credere quod rationem excedit. Et an oporteat etiam illa credere quæ naturali ratione inuestigari possunt. 5.b
9 Quod ad salutem requiritur aliquid explicite credere, & quod nō omnes tenentur æqualiter ad fidē explicitam. 6.a
10 An fides mysterij Christi & sanctæ Trinitatis explicita, fuerit semper ad salutem necessaria. 7.a
11 An credere sit meritorium. Et vtrū ratio humana diminuat meritum fidei. 8.a
12 Quod confessio est actus fidei. Et quomodo confessio fidei sit ad salutem necessaria. 8.b
13 De diffinitione fidei secūdum Apost. 9.a
14 De subiecto fidei. Et quomodo charitas dicitur fidei forma. 9.b
15 An fides informis & fides formata sint eadem fides. Et vtrum fides sit virtus. 10.a
16 Quomodo fides sit vna. An omnium virtutum prima. 10.b
17 Per quem modum fides certior est scientia ac cęteris habitibus intellectualibus. 11.a
18 An in angelo & homine ante peccatum fuit fides. Et an in dæmonibus fides existat. 11.b
19 Quod discredens in vno articulo fidei, fidem non habet. Et qualiter fides vnius maior esse possit fide alterius. 12.b
20 Quod fides inest homini per infusionē à deo. Et quod etiā fides informis sit donum gratię dei 13.a
21 Quod fides est causa timoris, & purificationis cordis. 13.b
22 Quod intellectus sit donū spiritus. possitque simul in eodē esse cum fide. Et vtrū sit speculatiuus, vel practicus. 13.b
23 Quod donum intellectus sit in omnibus habentibus gratiam. Et solum in eis. Et quod donū intellectus à cęteris donis distinctum sit. 14.b

24 De beatitudine correspondente dono intellectus. Et quomodo fides dicitur fructus intellectus, folio 15.b
25 Quod scientia est donum. Et quod pertinet ad res creatas 16.a
26 An sapientia (quæ est donum) speculativa. Et quæ beatitudo correspondeat ei. 16.b
27 De peccato infidelitatis, de subiecto eius, an infidelitas sit maximum peccatorum. 17.b
28 An quælibet actio infidelium sit peccatum. Et de speciebus infidelitatis, & quorũ infidelitas grauior est 18.a
29 Quomodo cum infidelibus disputandum est publice. Et vtrum infideles ad fidem compellẽdi sint. Et an liceat fidelibus communicare cum infidelibus 18.a
30 An infideles habere possint prælationem atque dominium super fideles. Et vtrum infidelium ritus sint tolerandi 19.b
31 An ludæorum & aliorum infidelium pueri sint baptizandi inuitis parentibus 20.b
32 De specie hæresis, de eius materia 21.a
33 An hæretici sint sustinendi, an reuertentes sint recipiendi 21.b
34 Quod apostasia ad infidelitatẽ pertineat. An propter apostasiam princeps ius dominandi amittat, fol. 22.a
35 De blasphemia, quod sit opposita confessioni. An sit semper mortale peccatum. An sit maximũ peccatorum. An inueniatur in damnatis 22.b
36 De peccato seu blasphemia in spiritumsanctum, de speciebus eius. 25.a
37 De irremissibilitate peccati in spiritumsanctum. An quis peccare possit in spiritumsanctum nõ præcedentibus aliis culpis. 24.a
38 De cæcitate mentis, de hebetudine sensus, de distinctione atq; origine vitiorum istorum. 24.b
39 De præceptis pertinentibus ad hẽdem, & ad bona intellectus atq; scientiæ. 25.b
40 Quod est spes virtus, de obiecto ipsius, an vnus homo sperare possit alij beatitudinem sempiternam. 26.a
41 An liceat sperare in homine, an spes sit virtus theologica ab aliis distincta. 26.b
42 An spes sit prior charitate, vel econtra. 27.b
43 De spei subiecto. An spes sit in beatis. An sit in damnatis. De spei certitudine. 27.b
44 Vtrum deus timeri debeat. De diuisione quoque timoris. An timor mundanus semper sit malus, folio 28.b
45 De timore seruili. An sit bonus, an realiter idem cum timore filiali. Et vtrum cum charitate permaneat. 29.a
46 Quomodo timor dicatur initium sapientiæ. Et an timor initialis distinguatur realiter à timore seruili. 29.b
47 Quod timor donum est spiritussancti. Et quomodo charitate crescente timor dicatur diminui. 30.b
48 An timor in patria maneat. Et de beatitudine dono timoris correspondente. 30.b
49 De desperatione, quomodo sit peccatum. An absque infidelitate committi possit, an etiam sit maximum peccatorum. Et de origine eius. 31.a
50 De obiecto præsumptionis, de præsumptionis peccato, cui virtuti præsumptio contrarietur, de eius origine. 31.a
51 De præceptis pertinentibus ad spem & timorem. 32.b
52 Quod charitas est amicitia. Vtrum sit aliquid creatum in anima. 33.a
53 An charitas sit virtus, an sit virtus specialis, an sit virtus vna, an omnium virtutum altissima. 34.a
54 Quod sine charitate nulla sit perfecta virtus, quod charitas est forma virtutum. 34.b
55 De charitatis subiecto. Quod sit per infusionem à deo an charitas infundatur secundum capacitatem naturalium. 35.a
56 De charitatis augmẽto. Vtrum quilibet actu charitatis augeatur, an in infinitum possit augeri. 35.b
57 An charitas in hac vita possit esse perfecta, de gradibus charitatis, qualiter charitas diminuatur. fol. 36.b
58 Quomodo charitas possit amitti. 37.a
59 An solus deus sit charitate diligendus, an ipsa charitas per charitatẽ diligenda sit, an irrationales creaturæ sint ex charitate amandę 38.a
60 Quemadmodum ex charitate diligere debemus nosipsos, quomodo proprium corpus, quomodo peccatores. 38.b
61 An peccatores seipsos diligant, quod inimici sint ex charitate diligendi, an necesse sit eis signa amicitiæ exhiberi. 39.a
62 An angeli sint diligendi an dæmones sint ex charitate diligendi, de numero diligendorum. 40.a
63 De ordine charitatis, quod plus diligere debemus deum quàm proximum, quod plus diligere debemus deum quàm nosipsos. 40.b
64 An homo magis seipsum diligere debeat quàm proximum. an impensius proximum quàm corpus proprium, an etiam plus vnũ proximum quàm alium. 41.a
65 Quis magis diligendus est, Melior, vel coniunctior, secundũ carnem affines, vel aliunde coniũcti, pater vel filius, pater vel mater. 41.a
66 Quem magis diligere debet homo, patrem, vel vxorem, benefactorem, vel beneficiatum. An ordo charitatis in patria perseueret folio 43.a
67 An sit charitati magis proprium amare, vel amari. An amare sit idẽ quod benevolentia. Quod deus est propter seipsum amandus. Vtrum in hac vita possit immediate amari. 43.b
68 Quomodo deus possit totaliter amari. Qualiter diuinæ dilectionis non est aliquis modus. An sit magis meritorium diligere inimicum, vel amicum. Vtrum etiam magis sit meritorium amare deum vel proximum. 44.b
69 An gaudium sit charitatis effectus. An compatiatur secum tristitiam. Quomodo etiam possit esse plenum. Vtrum sit virtus. 45.b
70 An pax sit concordia, an omnia appetant pacem. An sit effectus charitatis. Vtrum sit virtus. 46.a
71 De motuo misericordiæ. Quorum sit misserendum. An misericordia sit virtus. An sit maxima virtus. 47.a
72 Cuius virtutis actus sit beneficentia. Qualiter omnibus sit benefaciendum. Quomodo magis coniunctis potius benefaciendum est. Vtrum beneficentia sit virtus specialis. 48.b
73 Quod eleemosynarum largitio sit actus charitatis. De distinctione eleemosynarum. Quę sint dignitores. 49.b
74 An eleemosyna corporalis habeat spiritualem effectum. An date eleemosynam sit in præcepto. An de necessitate sit eleemosyna impendenda. 50.b
75 An die illicite acquisitis eleemosyna fieri possit. Quorum sit date eleemosynam. Quibus etiam dandi. Quomodo impendẽda est. 51.b
76 Vtrum fraterna correptio sit actus charitatis. An sit in præce-

pto. Vtrum ad omnes se extendat, & non tantum ad prælatos. fol. 52.b
77 An subditi teneantur prælatos corrigere. An peccatores possint corrigere. An etiam à correctione cessandum sit, ne correptus deterior fiat. 53.b
78 Quomodo secreta correctio denuntiationem publicam præcedere debet. Qualiter etiam tertium inductio præcedere habet. 54.a
79 Quod odium dei est maximum omnium peccatorum, quomodo deus possit odiri qualiter etiam odium proximi sit peccatum. 55.a
80 Quod acedia est peccatum. An sit peccatum speciale. An mortale, an capitale. 56.a
81 De invidia quid sit, an sit peccatum mortale, an capitale. De filiabus invidiæ. 57.a
82 De peccato discordiæ, de origine eius. 60.a
83 Quando contentio sit mortale peccatum. Cuius vitij filia sit. fol. 60.b
84 Quod schisma est speciale peccatum, an sit grauius in fidelitate. De potestate schismatic. De pœna eorundem. 60.b
85 An aliquod bellum sit licitū. Vtrum clericis liceat bellare, an etiam liceat vti insidijs in bello, an in die festo pugnare liceat. 58.a
86 De culpa rixæ. De origine 58. folio 58.b
87 An seditio sit peccatum speciale, an mortale. 61.a
88 Quid est scandalum, an sit peccatum. Vtrum sit peccatum speciale, an possit esse peccatum mortale. folio 61.b
89 An perfectorum sit scandalizari, an eorum sit scandalizare, an spiritualia bona sint dimittenda propter scandalum, an etiam temporalia. 62.b
90 De præcepto charitatis. an sit vnum, vel plura. 63.b
91 Quomodo deus diligi præcipiatur, quomodo toto corde, quomodo tota mente. Vtrum hoc charitatis præceptum in via impleri possit. 64.b
92 De distinctione proximi an ordo charitatis cadat sub præcepto. 65.a
93 Quod sapientia est donum spiritus sancti. De subiecto eius, an sit speculatiua, vel practica. folio 65.b
94 Vtrum sapientiæ donum sine gratia haberi, possit, an etiam sit in omnibus gratiam habentibus, quæ beatitudo ei correspondeat. 66.a
95 Quod stultitia opponitur sapientiæ, an sit peccatum, de quo capitali vitio oriatur. 66.b
96 De virtutibus cardinalibus, & primo de prudentia. Et an sit cognoscitiua singulatium, an sit virtus specialis. 67.a
97 Quod prudentiæ non sit præstituere finem, sed medium in virtutibus moralibus, quod præcipere sit actus prudentiæ, quod etiam ad prudētiam pertinet insolicitudo. Vtrum se extendat ad regimen multitudinis. 68.a
98 De specieb. prudentiæ, vtrum prudentia etiam sit in subditis, an inueniatur in hominibus malis. folio 69.a
99 An prudentia insit omnibus gratiam habentibus, quomodo insit à natura, de modo amittendi prudentiam. 70.a
100 De partibus prudentiæ. folio. 70.b
101 Qualiter memoria sit pars integralis prudentiæ, qualiter intelligentia, qualiter docilitas, qualiter solertia. 71.a
102 Quomodo ratio sit pars prudentiæ, quomodo prudentia, quomodo circunspectio, quomodo cautio. 72.a
103 De partibus subiectiuis prudentiæ, quibus multitudo gubernatur, de prudentia legis positiua. De politica. De œconomica. De militari. 73.a
104 De partibus potentialibus prudentiæ, scilicet virtutibus sibi adiunctis, quæ sunt Eubulia, Synesis, Gnom. 73.b
105 Quod consilium est donum spiritus sancti, quod correspondeat virtuti prudentiæ, an maneat in patria, quæ etiam beatitudo ei respondeat. 74.a
106 Qualiter imprudentia est peccatum, & quomodo sit speciale peccatum. De præcipitatione seu temeritate. 75.a
107 De inconsideratione, de incōstantia, de prædictorum quoque vitiorum origine. 76.a
108 An negligentia sit peccatum speciale. An mortale. Cui virtuti opponatur. 76.b
109 De peccato prudentiæ carnis, an sit speciale. An astutia sit speciale peccatum. De dolo. De fraude. De solicitudine temporalium rerum, an liceat solicitum esse in crastinum. De prædictorum vitiorum origine. 77.a
110 De præceptis pertinentibus ad prudentiam. De his quæ pertinent ad vitia ei opposita. 78.a
111 De obiecto iustitiæ, de diuisione iuris, an ius gentium sit ius naturale. De distinctione iuris dominatiui & paterni. 78.b
112 De diffinitione iustitiæ. An sit semper ad alterum. Vtrum etiā sit virtus, de subiecto ipsius iustitiæ. 80.a
113 An iustitia sit virtus generalis, an inquantum generalis sit idem cum omni virtute, de iustitia quoque particulari, de eius materia. folio 81.a
114 De obiecto iustitiæ. De medio eius, de actu ipsius. De eius dignitate excellentiaque. 81.b
115. An iniustitia sit vitium speciale, an iniusta agere sit proprium iniusto. An aliquis possit pati iniustum nolens. An iniustitia ex suo genere sit peccatū mortale. 82.a
116 Quod iudicium est actus iustitiæ, an iudicare sit licitum. An etiam per suspicationes sit iudicandum. 83.a
117 An dubia sint in meliorem partem interpretanda. An iudicium per leges scriptas sit proferendum, an etiam iudicium per vsurpationem fiat peruersum. 84.a
118 De speciebus iustitiæ, & medio ac materia earum. An etiam iustum idem sit quod contra passum. 84.b
119 De restitutione, an necesse sit ablatum restituere. Vtrum etiam multiplicatum oporteat restitui. an restituendum sit quod ablatum non est. 85.b
120 An restituēdum est ei à quo acceptum est. An eum qui accepit necesse sit reddere, vel aliū aliquē. An etiam statim restitutio facienda sit. 86.b
121 Quod personarum acceptio sit peccatum. An locum habeat in dispensatione spiritualium, an in exhibitione honorum, an & in iudicijs. 87.b
122 An liceat bruta occi dere. An etiam peccatores occidere liceat, an priuatæ personæ. An clerico hoc licitum sit. 88.b
123 An liceat seipsum occidere. An hominem iustum. An alium defendendo seipsum. Vtrum homicidium casuale sit peccatum mortale. 89.a
124 An mutilatio membri licita sit, an sit percussio serui & pueri, an incarceratio. De aggrauatione horum. 90.b

125 Vtrum exteriorum rerum possessio sit naturalis, an liceat aliquid tanquam proprium possidere, de furto & differentia rapinæ & furti, de peccato furti & rapinæ, An liceat propter necessitatem furari, de prædis bellantium, an grauius sit peccatum furtum, an rapina. 91.a
126 An aliquis iuste iudicare possit non sibi subiectum, An possit ferre sententiam contra veritatem quam nouit propterea ea quę proponuntur, an etiam iudex damnare possit non accusatum, an possit pœnam relaxare. 92.b
127 An homo teneatur accusare, an accusatio sit facienda in scriptis. Quomodo accusatio fiat vitiosa, de pœna male accusantium. folio. 93.b
128 An peccet homo mortaliter veritatem negans propter quam damnaretur, an se calumniosè defendere liceat, vtrum liceat iudicium subterfugere appellando. An condemnatus per violentiam defensare possit. 94.b
129 An homo teneatur ad testimonium ferendum, An duorum, vel trium testimonium sufficiat, cur etiam à testimonio aliquis repellatur, vtrum falsum testimonium prohibere sit peccatum mortale. 95.a
130 Vtrum aduocatus teneatur præstare patrocinium causæ pauperum, an etiam aliquis arcendus est ab aduocati officio, an aduocatus peccet causam iniustam defendens, an peccet pecunia pro suo patrocinio sumens, folio. 96.b
131 Quid sit contumelia, an sit semper peccatum mortale, an oporteat contumeliosos reprimere, de causa contumeliæ. 97.a
132 Quid sit detractio, an sit peccatum mortale, de comparatione eius ad alia vitia, vtrum detractionem audiens peccet. 98.a
133 De distinctione furtorationis & detractionis, vtrum horum sit grauius. De distinctione irrisionis ab alijs vitijs De derisione folio. 99.a
134 An liceat maledicere homini, an irrationali creaturæ vtrum maledictio sit peccatum mortale, de comparatione eius ad alia vitia. 99.b
135 Vtrum liceat aliquid vendere plutis quam valet, de iniusta venditione ex pacto rei venditæ, an liceat negotiando rem plutis vendere quàm est empta. 100.b
136 De vsura, an licet quancumque recompensationem accipere pro mutuo, vtrum etiam homo tenetur restituere quod de pecunia vsuraria iusto lucro lucratus est, an liceat accipere mutuo pecuniam sub vsura. 101.b
137 De partibus integralibus iustitiæ, An transgressio sit speciale peccatum, an omissio sit speciale peccatum, de comparatione quæque earum. 103.a
138 De virtutibus iustitiæ annexis, scilicet de partibus potestatiuis. 103.a
139 An religio cõsistat in ordine ad deum, an sit virtus, An sit virtus vna, an sit specialis virtus, an sit virtus theologica, An sit exterior virtutibus moralibus digniot, vtrum habeat actus exteriores, An sit idem quod sanctitas. 104.a
140 Vtrum deuotio sit specialis actus religionis, de causa quoque deuotionis, De effectu ipsius. folio. 105.b
141 Cuius potentiæ actus est oratio, an sit conueniens orare, vtrum oratio sit actus religionis, an solus deus orandus sit. 106.b
142 An in oratione sit aliquid determinate petendum an tempo-

ralia sint petenda, an pro alijs hominibus sit orandum, an etiam pro inimicis. 107.a
143 De septem petitionibus orationis dominicæ, an orare sit proprium rationali creaturæ vtrum sanctis in patria otent pro nobis, an oratio debeat esse vocalis 108.a
144 Vtrum attẽtio requiratur ad orationẽ. An oratio debeat esse diuturna. Quomodo sit ad impetrandum idonea vtrum sit meritoria folio 109.a
145 De adoratione, an sit actus latriæ, an importet actum interiorem vel exteriorem, an determinationem loci requirat. 110.b
146 An offerre deo sacrificium sit de lege naturæ, an soli deo sit offerendum, vtrum offerre sacrificium sit actus specialis virtutis, an omnes ad offerendum sacrificium teneantur. 111.a
147 Vtrum oblationes aliquæ eadunt sub præcepto, quibus debeantur oblationes, de quibus rebus fieri debeant, vtrum ad oblationes primitiarũ homo ex necessitate teneatur. 111.b
148 An nõ ex præcepto teneatur soluere decimas. de quibus rebus sint decimæ dandę. quibus dandæ sint, quibus competat eas dare, folio 112.b
149 Quid sit votum. Quid cadat sub voto, De obligatione voti, de vtilitate vouendi. 113.b
150 Cuius virtutis votum sit actus, vtrum ex voto facere sit magis meritorium, de solennitate voti an possint vouere qui aliorum potestati subduntur. 114.b
151 An pueri se obligare possunt voto ad religionis ingressum inuitis parentibus, an votum sit dispensabile, vel commutabile. vtrum in solẽni voto continentiæ possit dispensari, an etiam in dispensatione voti exigatur superioris authoritas. 115.b
152 Quid sit iuramentum, an sit licitum, de comitibus iuramenti, cuius virtutis actus sit iuramentum. 117.a
153 De frequentatione iuramenti, an liceat per creaturas iurare, an iuramentum sit obligatorium, an amplius obliget iuramentum, vel votum. 117.b
154 De dispensatione iuramenti, de impedimento eius ex parte personæ iurantis, vtrum etiam licitum sit adiurare homines, vtrum dæmones, an irrationales creaturas. 118.b
155 An deus sit ore laudandus & vtrum laudibus dei adhibendus sit cantus. 120.a
156 De superstitione, de speciebus eius, an etiam in cultu dei esse possit aliquid perniciosum, An aliquid superfluum. 120.b
157 De idololatria, an sit peccatũ grauissimum, de causa huius peccati. 121.a
158 Vtrum diuinatio sit peccatũ, an sit species superstitionis, de speciebus diuinationis, de diuinatione quæ fit per dæmones. 122.b
159 De diuinatione quæ fit per astra, de diuinatione quæ fit per somnia, de ea quæ fit per augutia, de diuinatione per sortes. 123.b
160 Vtrum obseruantia artis notoriæ, vel ad corporum immutationem ordinatæ, vel etiam ad prægnoscendum quædam fortunia seu infortuna liceat de suspensione quoque sacrorum verborum ad colla hominũ, an licita sint. 125.b
161 In quo consistat tentatio dei, an sit peccatum, cui virtuti opponatur, de cõparatione eius ad alia peccata. 126.b
162 An falsitas requiratur ad periurium, de peccato periurij an peccet qui periuro iuramentum iungit. 127.a

163 Quid est sacrilegium, an sit speciale peccatum, de speciebus eius, de pœna ipsius. 128.a
164 Quid sit Simonia, an liceat pro sacramentis pecuniam sumere, an pro spiritualibus actibus. 129.a
165 Vtrum vendere liceat annexa spiritualibus, an solum munus a manu Simoniacum facit, de pœna quoque Simoniacorum. 129.b
166 Ad quos extendat se pietas. Quid ipsa exhibeat, an sit spiritualis virtus, vtrum religionis obtentu sit prætermittendum pietatis officium. 131.b
167 Quod obseruantia sit virtus specialis, quid alteri exhibeat, de comparatione ipsius ad pietatem, folio. 133.b
168 An honor sit aliquid spirituale, vel corporale, an debeatur solis superioribus. An dubia sit virtus specialis, an a latria distinguatur per species. 133.a
169 An homo debeat obedire homini, an obedientia sit virtus specialis, de comparatione eius ad alias virtutes, an inobedientia sit maximum vitiorum. 113.b
170 Vtrum sit deo in omnibus obediendum, an subditi teneantur suis superioribus obedire in omnibus, an christiani teneantur obedire secularibus potestatibus, folio. 134.b
171 An gratitudo sit virtus specialis, vtrum magis regratiari teneatur peccator, vel innocens, an semper teneatur homo regratiari omni benefactori, vtrum gratiarum retributio sit differenda, secundum quid sit mensuranda, an aliquid maius oporteat rependere, folio 135.b
172 Vtrum ingratitudo sit peccatum speciale, an mortale, an ingrato sint beneficia subtrahenda. 136.b
173 An vindicatio sit licita, an sit virtus specialis, de modo vindicandi, in quos sit exercenda vindicta. 137.b
174 Vtrum veritas sit virtus specialis, an sit pars iustitiæ, an magis declinet ad minus. 138.b
175 Quod mendacium veritati opponatur, de speciebus mendacij, an sit semper peccatum, an sit peccatū mortale. 138.a
176 Vtrum omnis simulatio sit peccatum. An hypocrisis sit simulatio, An opponatur veritati, an sit mortale peccatum. 140.b
177 Cui virtuti contrarietur iactantia, An sit peccatum mortale. An etiam ironia sit peccatum, de comparatione eius ad iactantiam, folio 141.b
178 An amicitia seu affabilitas sit virtus specialis, An sit pars iustitiæ, vtrum adulatio sit peccatum mortale de iudicio. 142.a
179 An liberalitas sit virtus de eius materia, de actu ipsius quid magis ad eam pertineat vtrum sit pars iustitiæ, de comparatione eius ad alias virtutes. 142.a
180 An auaritia sit peccatum, an sit peccatum speciale. Cui virtuti opponatur, an sit mortale peccatū, an sit peccatum grauissimum, an sit peccatum carnale vel spirituale, an sit vitium capitale, Acde filiabus eius. 144.a
181 De prodigalitate, an sit peior quam auaritia, de hepikeia quoque, an sit pars iustitiæ. 145.b
182 An pietas sit donum sancti spiritus, Quid sibi in beatitudinibus & fructibus correspondeat, folio 146.a
183 Vtrum præcepta decalogi sint præcepta iustitiæ. De primo præcepto, de secundo, de tertio, de 4. de aliis sex. 146.a
184 An fortitudo sit virtus, an sit virtus specialis, de materia eius, an sit solum circa timorem mortis, an in rebus bellicis, vtrum sustinere sit actus eius præcipuus. 148.a
185 Vtrum fortitudo agat propter proprium bonum, an habeat delectationem in suo actu, an consistat maxime in repentinis, an vratur ira, an sit virtus cardinalis, de comparatione eius ad alias virtutes. 144.a
186 De martyrio, Cuius virtutis sit actus, de perfectione martyrij, de pœna eius, de causa quoque ipsius, folio 150.a
187 An timor sit peccatum, an cõtrarietur fortitudini, an sit peccatum mortale, an sit peccati diminutiuus. 151.a
188 De intimiditate, quod sit peccatum, quod fortitudini contrarietur, de audacia, quod sit vitium, quod fortitudini opponatur, 151.b
189 De partibus fortitudinis an magnanimitas sit circa honores, an sit solum circa magnos honores, an sit virtus specialis. 152.a
190 An magnanimitas sit pars fortitudinis, de comparatione ipsius ad fiduciam, de comparatione eius ad securitatem, de comparatione magnanimitatis ad alia bona fortunæ. 139.a
191 De præsumptione. Cui virtuti opponatur, de ambitiõe, Cui virtuti contrarietur. 154.b
192 An appetitus gloriæ sit peccatum, an sit peccatum mortale, an capitale, de filiabus inanis gloriæ folio. 155.a
193 De pusillanimitate, Cui virtuti opponatur 156.b
194 An magnificentia sit virtus specialis, de obiecto ipsius, & an sit pars fortitudinis de vitijs sibi oppositis. 157.a
195 An patientia sit virtutibus, an sit maxima virtutum, an sine gratia possit haberi, an sit pars fortitudinis, an sit idem quod longanimitas. 157.b
196 An perseuerantia sit virtus, an sit pars fortitudinis, quomodo se habeat ad constantiam, vtrum indigeat, auxilio gratiæ. 158.a
197 An fortitudo sit donum, quid ei in beatitudinibus & fructibus correspondeat, de præceptis fortitudinis, de præceptis partiũ eius. 159.a
198 An temperantia sit virtus, an sit spãlis de obiecto temperantiæ, de regula eius, vtrum sit virtus cardinalis, an virtutũ potissima 159.b
199 Vtrum insensibilitas sit peccatum, an intemperantia sit vitium puerile, de comparatione eius ad timiditatem. An intemperãtiæ vitiũ sit maxime opprobriosum. 160.b
200 De partibus temperantiæ, an verecundia sit virtus, de quibus sit verecundia. à quibus homo verecundetur, quorum sit verecundia. 161.b
201 De comparatione honestatis ad virtutem, ad decorem, ad vtile & delectabile, an sit pars temperantiæ, &c. 162.b
202 An ieiunium sit actus virtutis, cuius virtutis sit actus, an cadat sub præcepto, an aliqui ab hoc præcepto excusentur. 163.a
203 De tempore ieiunij, an semel comedere, requiratur ad ieiuniũ, de hora comestionis ieiunantium, de cibis à quibus abstinent. 164.a
204 An gula sit peccatum: an mortale, an grauissimum, de gulæ speciebus, an sit vitium capitale, de filiabus eius. 164.b
205 De materia sobrietatis, an sobrietas sit virtus specialis, an vsus vini sit licitus, quibus conueniat sobrietas. 165.b
206 An ebrietas sit peccatum, an mortale, an grauissimum, an a peccato excuset. 166.a
207 Vtrum castitas sit virtus an sit virtus generalis, an distincta sit ab abstinentia, quomodo habeat se ad pudicitiam. 167.a

208 In quo consistat virginitas, an sit licita, an sit virtus. an sit matrimonio dignior, alijsque virtutibus. 167.b

209 De obiecto luxuriæ, an aliquis coniubitus esse possit sine peccato, an luxuria sit vitium mortale, an capitale, de filiabus eius. folio. 168.b

210 De diuisione partium luxuriæ, vtrum fornicatio simplex sit peccatum mortale, an sit maximũ peccatorum, an in tactibus, osculis &c. cõsistat peccatum mortale, an pollutio nocturna sit peccatum de stupro. 169.a

211 De raptu, de adulterio, de incestu, de sacrilegio, de vitio contra naturam, de ordine grauitatis prædictorum. 170.b

212 Vtrum continentia sit virtus de obiecto, & subiecto ipsius, de comparatione eius ad temperantiam. 171.a

213 An incontinentia pertineat ad corpus vel animam, an sit virtus quomodo se habeat ad intemperantiam quis turpior sit, incontinens iræ vel incontinens concupiscentiæ. 171.b

214 An mansuetudo & clementia differant, an sint, virtutes, an temperantiæ partes, de comparatione earum ad alias virtutes. 171.a

215 An iratus sit licitum, an ira sit peccatum an peccatũ mortale, an sit grauissimũ, de speciebus eius an sit vitium capitale, de filiabus ipsius, de opposito vitio. 171.b

216 Quod crudelitas opponitur clementiæ. quomodo se habeat ad feritatem seu sæuitiam. quod modestia est pars temperantiæ. de obiecto modestiæ. 174.a

217 Vtrum humilitas sit virtus. de subiecto eius, an humilitas debeat se omnibus subijcere, an sit pars modestiæ, quomodo se habeat ad alias virtutes de gradibus humilitatis. 174.b

218 An superbia sit peccatum ab speciale sit vitium, de subiecto eius, de speciebus superbiæ, an sit peccatum mortale, an sit maximum. de comparatione superbiæ ad alia vitia, &c. 175.a

219 An peccatum primi hominis fuerit superbia. quid Adam peccando appetunt, de grauitate peccati Adæ, an magis peccauit quam Eua. 176.b

220 De morte, de alijs pœnis cõsequutis, &c. 177.b

221 De studiositate, de curiositate. vbi locum habeat, &c. 178.b

222 An circa motus exteriores sit virtus, an in ludis sit virtus. de vitio & superfluitate ludi, &c. 178.b

223 De virtute quæ est circa exteriorem apparatum, an mulieres peccent in ornatu superfluo, de præceptis temperantiæ & partium eius. 179.a

224 De his quæ specialiter pertinent ad aliquos homines, an prophetia ad cognitionem pertineat, an sit habitus, an sit tantum futurorum contingentium, an omnia noscat, an discernat ea quæ diuinitus scit ab alijs an possitei subesse falsum. 179.b

225 An prophetia sit naturalis, an sit mediantibus angelis an requiratur ad eam dispositio naturalis, an bonitas morum, an sit aliqua prophetia à dæmonibus. Vtrum propheræ dæmonum aliquando dicant verum. 181.a

226 An propheræ videant dei essentiam, an cognitio de Christo prophetalis fiat per influentiam specierum, vel luminis tantum, an sit semper cum alienatione à sensibilibus, an prophetia sit semper cum cognitione eorum quæ prophetantur. 182.a

227 De diuisione propheriæ, an sit aliqua altior quam imaginaria.

De

De diuersitate graduum eius, an Moses foerit eximius prophetarũ, an aliquis comprehensor possit esse prophetа, an prophetia creuerit secundum temporum interualla. folio. 182.b

228 An anima hominis rapiatur ad diuina, ad quam potentiam pertineat raptus, an Paulus in raptu vidit diuinam essentiam, an fuerit alienatus à sensibilibus, an anima eius pro tunc fuerit à corpore separata, quid circa hoc sciuit & ignorauit. 184.a

229 Vtrum per gratiam linguarũ detur homini omnium linguarum scientia, de comparatione huius doni ad prophetiam, an etiam in sermone consistat gratia gratis data, quibus hæc gratia competat. 185.a

230 De gratia miraculorum, quibus conueniat, de diuisione vitæ in vitam actiuam & contemplatiuam. 185.b

231 Ad quam potentiam animæ pertineat vita contemplatiua. Vtrũ virtutes morales requirantur ad eam, an consistat solum in vno actu, an qualibet consideratio veritatis spectet ad eam, an possit ad visionem diuinæ essentiæ eleuari, de motibus contemplationis secundum Dionysium, de eius delectatione, de duratione ipsius. 186.a

232 Vtrum virtutes morales ad vitam actiuam pertineant, an prudentia, an doctrina ad vitam actiuã pertineat, de durat one ipsius. 187.a

233 Vtra vita sit dignior, cõtemplatiua vel actiua. Vtra maioris meriti, an actiua contemplatiuam impediat, de ordine vtriusque. 187.b

234 Quid factat in hominibus statum. Vtrum diuersi status ac diuersa officia esse in hominibus debeant de differentia officiorum, de differentia statuum. 188.b

235 Vtrum perfectio attendatur secundum charitatem: an possit homo in præsenti esse perfectus. In quo magis consistat perfectio, an omnis perfectus sit in statu perfectionis. 189.a

236 An prelati & religiosi sint in statu perfectionis, an omnes prælati sint in illo, quorum status sit perfectior, episcoporum vel religiosorum, de comparatione quoque religiosorum ad plebanos & archidiaconos. 189.b

237 An liceat episcopatum appetere, an finaliter recusare, an oporteat ad episcopatum eligere melioretem, an liceat episcopo religionem intrare. 190.a

238 An liceat episcopo propter persequutionem gregem relinquere, an possit habere proprium. An peccet mortaliter bona ecclesiastica pauperibus erogando, An religiosi facti episcopi teneantur seruare obseruantias regulares. 191.a

239 An status religiosorum sit perfectus, An religiosi teneantur ad omnia consilia. Vtrum voluntaria paupertas requiratur ad religionem, an continentia, an obedientia. 191.a

240 Vtrum oportet hæc tria sub voto cadere. De sufficientia horum votorum. De comparatione eorũ adinuicem, an religiosus semper mortaliter peccet regulæ suæ statutum transiens. An cæteris paribus plus peccet in eodem genere culpæ religiosus quàm secularis. 191.b

241 An liceat religiosis docere, prædicare, & similia facere, an secularibus rebus sese intromittere debeant, an teneantur manibus operari, an possint de eleemosynis vlutere, an mendicare ipsis liceat. An vilnora vestimenta portare. 192.a

242 An sit tantum vna religio, vel plures. An possit institui aliqua religio ad opera vitæ actiuæ. An ad bella gerenda, An ad prædicandum vel ad studium scientiæ. 193.a

243 An religio ad contemplatiuã vitam ordinata, sit potior. An habere aliquid in cõmuni diminuat de perfectione religionis, an religio solitariorum sit præferenda religioni in societate viuentium, folio 191. a
244 An nondum exercitati in præceptis dei, debeant religionem ingredi, an liceat aliquem voto obligare ad religionis ingressum. Et an tic obligati, teneantur intrare, an vouentes religionem intrare, teneãtur in ea perpetuo remanere. An pueri sint recipiendi. 194.b
245 An propter parentum obsequium retrahi debeat homo à religionis ingressu. An presbyteri, curati, vel archidianoci possint ingredi clausttum. An possit aliquis de vna religione trantire ad aliam, an aliquis debeat alium ad religionis ingressum inducere, an requiratur magna deliberatio cum cognatis atque amicis ad religionis ingressum. 195.a

INDEX QVARTI LIBRI.

PRoœmium: Beatus homo qui inuenit sapientiã & quiaf finit prudẽtia. folio 196.a
1 Vtrum conueniens fuerit deum incarnari, an fuerit necessarium ad redimendum genus humanum, an deus carnem assumpturus fuisset, non existente peccato. 196.b
2 An deus principalius incarnatus sit ad tollendum peccatum originale vel actuale. Cut non sit incarnatus in principio mundi, nec in termino eius. 197.a
3 An vnio verbi incarnati sit facta in natura, an sit facta in persona, an etiam in supposito vel hypostasi, an persona Christi sit composita folio 197.b
4 An in Christo sit aliqua vnio animæ & corporis. An natura humana sit verbo accidentaliter vnita, an vnio ista sit quid creatum, an sit idem quod assumptio. fol. 198.b
5 Vtrum vnio verbi cum homine, sit maxima vnionum, an sit facta per gratiam, an merita eã præcesserunt, an gratia fuerit Christo homini naturalis. 199.a
6 An assumere competat diuinæ personæ, an conueniat diuinæ naturæ, an persona potest assumere personalitate abstracta, an vna persona potest assumere sine alia, folio 200.a
7 An alia persona diuina quam filius possit assumere, an plures personæ possint assumere vnam naturã numero, vel vna persona duas naturas, cur magis conueniat filio incarnari. 200.b
8 An humana natura fuit magis à filio dei assumptibilis quàm alia qua alia natura, an verbum assumpserit personam, an deus assumpserit hominem. 201.b
9 Vtrum fuisset conueniẽs, quod deus assumpsisset naturam humanam separatã, vel in omnibus suis individuis existentem, vel in aliquo non pro creato ex primo parente. 202.a
10 An filius dei assumpserit verũ corpus, an corpus terrenum, an animam & intellectum assumpserit. folio 202.b
11 An verbum assumpserit carnẽ mediante anima, an animam mediante spiritu seu mente, an anima fuerit ante corpus assumpta, an tota natura sit assumpta mediantibus partibus, an per gratiam facta sit vnio naturæ humanæ cum verbo. 203.a
12 An in Christo fuerit gratia habitualis, an etiã virtutes, an fides, an spes, an dona, an donum timoris. 204.a
13 An in Christo sint gratiæ gratis datæ, an prophetia, an plenitudo gratiæ, an talis plenitudo sit propria Christo, an gratia Christi sit infinita, an posset augeri, quomodo se habeat ad vnionem. 204.b
14 An Christus sit caput Ecclesiæ, an sit caput hominum secundum corpus vel animã, an sit caput omnium hominum, an etiam angelorum. 206.b
15 An gratia qua Christus est caput Ecclesiæ, sit eadem cum gratia habituali, an Christo sit proprium esse caput Ecclesiæ, an diabolus sit caput omnium malorum, an etiã antichristus. 206.b
16 An Christus habuit scientiam præter diuinam, an habuit scientiã beatorum, an habuit scientiã infusam, an etiam acquisitam. 207.b
17 An anima Christi cognoscat præhabitudinem diuinam essentiam, an omnia cognoscat in verbo, an agnoscat in finita, an clarius videat deũ quàm alia creatura. 208.a
18 An Christus per scientiam infusam sciuit omnia, an potuit ea vti sine conuersione ad phantasmata, an hæc scientia fuit collativa, quomodo se habuit ad cognitionem angelicam, an fuit habitualis & distincta per habitus. 209.a
19 An per scientiam experimentalem seu acquisitam Christus omnia cognouit, an in ea profecit, &c cætera. 209.b
20 An anima Christi habuit omnipotentiã quo ad immutationem creaturarum, &c. 210.a
21 An Christus assumpsit corporis defectus, an necessitatem quoq; subiacendi defectibus talibus, an illos defectus contraxit. Vtrum omnes assumpsit. 210.b
22 An in Christo fuerit peccatũ, an ignorantia, an passibilitas animæ, an dolor sensibilis. 211.b
23 An in Christo fuerit tristitia, an timor, an admiratio, &c. 212.a
24 An sequẽtes propositiones sint veræ. Deus est homo, homo est deus, Christus est homo dominicus. An ea quæ cõueniunt filio hominis, possint prædicari de filio dei, & econtrario, an etiã quæ conueniunt naturæ diuinæ, dicantur de natura humana, & econtra in abstracto. 213.a
25 An istæ propositiones sint veræ. Filius dei factus est homo, homo factus est deus, ille homo (Christum demonstrando) incepit esse, vel fuit semper. Christus secundũ quod homo est creatus, Christus secundum quod homo est deus, Christus secũdum quod homo est hypostasis vel persona. 213.b
26 An Christus sit vnum vel duo. Vtrum in ipso sit duntaxat vnum esse. 214.b
27 An distinguantur in Christo voluntas diuina & humana, an in humanitate Christi sit alia voluntas rationis, & alia sensualitatis, an in ipso fuerunt plures voluntates rationis, an liberum arbitrium.

An voluntas humana fuit diuinæ conformis per omnia, an erat in Christo aliqua voluntatum contrarietas. 215.a
28 Vtrũ in Christo sit vna vtriusque naturæ operatio, an sit in eo tantum vna operatio secundũ naturam humanam. Vtrum per operationem humanam aliquid meruit sibi, an & nobis quid promeruit. 216.a
29 An Christus sit patri subiectus an etiam sibipsi. 217.a
30 An Christo conueniat orare, an orare competat sibi secundũ suam sensualitatem, pro quibus sibi orare conueniat, an omnis eius oratio fuerit exaudita. 217.a
31 An Christus sit sacerdos, an simul & hostia. De effectu sacerdotij eius. Ad quos effectus hic pertineat. De æternitate sacerdotij Christi. Quomodo dicatur sacerdos secundũ ordinẽ Melchisedech. 217.b
32 An deo competat filios adoptare, an soli patri hoc cõpetat, an homini proprium sit adoptari à deo. Vtrum Christus dici possit filius adoptiuus. 218.b
33 An Christus sit prædestinatus, an sit prædestinatus secundũ quod homo, an prædestinatio Christi sit exemplar & causa nostræ prædestinationis. 219.b
34 An vna & eadem adoratione sit adoranda Christi diuinitas atque humanitas, an adoratio latriæ sit exhibenda carni Christi, imagini eius, cruci eius, & matri. De adoratione reliquiarũ sanctorũ. 220.a
35 An Christo sit proprium esse mediatorem dei & hominum, an hoc ei cõueniat ratione naturę humanæ. 221.a
36 De sanctificatione matris Christi, an habuit gratiæ plenitudinem, an caruit omni peccato. ibid.a
37 An mater Christi fuit virgo in conceptu, an in partu, an post partum, an virginitatis votum emisit. ibid.b
38 An Christ⁹ debuit nasci de matre desponsata, an inter Mariam & Ioseph matrimonium verum fuit, folio 221.a
39 De annunciatione Mariæ, de nuntio. Ordo annunciationis. ib.a
40 An caro Christi fuit sumpta ex Adam, Abraham & Dauid. De genealogia Christi. Cur de fœminis nasci elegerit. ibid.b
41 An Christi corpus sit de purissimis sanguinibus Mariæ formatum, an caro Christi fuit in nasquis partibus secundum aliquid signatũ, an erat in eis peccato subnoxia, an fuit decimata in membris Abrahæ. 223.a
42 An spiritusſanctus fuit principium actiuum in cõceptione Christi, an Christus sit de spiritu sancto conceptus, an spiritusſanctus possit dici pater Christi secundum eam, an virgo mater aliquid actiue egit in Christi conceptione, folio 224.a
43 An corpus Christi in primo instanti conceptionis fuit formatum, an animatum, an aũm pro an illa conceptio erat miraculosa, folio 224.b
44 An Christus in primo suæ conceptionis instanti fuit sanctificatus per gratiam, an habens vsum liberi arbitrij, potens meteri, an fuit in illo instanti comprehensor. 225.a
45 An natiuitas sit naturæ vel personæ, an in Christo fuerint duæ natiuitates, quod virgo Maria est mater Christi & genitrix dei, an Christus sit filius dei & hominis secundum duas filiationes. de modo, loco & tempore natiuitatis Christi. ibid.a
46 An Christi natiuitas debuit manifestari omnibus, vel solum aliquibus, quibus manifestari debuerit, quomodo seu per quos, de ordine quoque huius manifestationis, de stella, de veneratione Magorum. 226.a
47 De Christi circuncisione de appellatione, de oblatione, de mactis eius purgatione. 227.a
48 De baptismo Iohannis, quod fuit à deo, an contulit gratiam, an alij præter Christum ab ipso debebant baptizari. De cessione huius baptismi, an baptizari baptismo Iohannis, rebaptizandi erant baptismate Christi. 227.b
49 An Christus debuit baptizari, an à Ioanne baptizari debuit. De tẽpore quo est baptizatus. De loco illius baptismi. De apertione cœli, de spiritu sancto in specie columbę super Christum descendente. De voce patris super Christum: Hic est, &c cætera. 228.b
50 An Christus debuit ducere vitã solitariam, an austeram, an abiectam, an secundum veterem legem. 229.b
51 An conueniens fuit Christum tentari. De loco quo tentatus est. De tempore huius tentationis. De modo tentationum. De ordine earum. 230.a
52 An Christus debuit solis Iudęis prædicare, an debuit eorum turbationem vitare, an debuit publice prædicare, an debuit verbo vel scripto docere. 230.b
53 An Christus debuit miracula facere, qua virtute ea fecit, quo tempore incepit, an per miracula talia sufficienter ostenta sit eius diuinitas. 231.a
54 De miraculis Christi circa spirituales substãtias. Circa cœlestia corpora. Circa homines. Circa irrationabilia. 231.b
55 De trãsfiguratione Christi. An claritas illa fuit dos animæ. De testibus trãsfigurationis. De testimonio patris. 233.a
56 Vtrum necesse fuit Christum pati pro mundi salute, an possibilis fuit alius modus liberationis. An ille modus fuit cõueniẽtior. An in cruce conueniens erat Christũ pati, de generalitate passionis Christi. An maxima fuit. 233.b
57 An tota anima Christi patiebatur, an passio eius gaudiũ fruitionis impediuit. De tempore quo passus est. De loco passionis. Cur inter latrones suspensus sit Christus. An passio eius est diuinitati attribuenda. 234.b
58 An Christus à seipso vel ab alijs occisus sit. Cur passioni se tradiderit. 236.a
59 Cur Christus à gẽtibus passus sit. An occisores eius eum nouerũt. De grauitate excessus eorũ. ibid.a
60 An passio Christi sit causa nostræ salutis per modum meriti, &c cætera. Ibidem.b
61 Quod per Christi passionem redempti sumus à peccato. 237.a
62 Quod per Christi passionem deo reconciliati sumus. quod etiam per eã ianua regni aperta est. 237.b
63 Quod conueniens erat Christũ mori, an per mortẽ fuerat separata in eo vnio diuinitatis & carnis, an vnio quoque diuinitatis & animę, &c. 238.b
64 An cõueniens fuit Christum sepeliri. An corpus Christi iacuit in sepulchro resolutum. De tempore quo fuit in sepulchro. 239.a
65 An Christus ad infernũ descendit. Ad quẽ infernũ descẽdit. ibi.b
66 An Christus liberauit sanctos patres de inferno, an etiã dãnatos, an & pueros in originali peccato defunctos, an eos quoque qui in purgatorio erant. 240.a
67 De necessitate. De tempore. De ordine. De causa resurrectionis Christi. Ibidem.b
68 Quare Christus post resurrectionem habuit corpus verum. 241.a
69 Quibus Christus post resurrectionem

ctionem apparere debuit. Cur cũ discipulis post resurrectionem conuersatus sit. 241.a
70 An Christus in alia effigie apparere debuit, an per argumẽta probare debuit suam resurrectionem, de sufficientia argumentorum illorum. Ibidem.b
71 Quod resurrectio Christi sit causa nostræ resurrectionis, &c. 241.a
72 An conueniens fuit Christũ ascendere secundum quam naturã ascendit, &c. Ibidem.b
73 Quod Christus sedet ad dexteram patris. Secundum quã naturã hoc ei conueniat, an td sit proprium Christo. 244.a
74 An Christo competit iudiciaria potestas, Secundũ quam naturã conueniat ei. An meruit eam. 244.b
75 An Christo conueniat iudiciaria potestas ad omnes. An præter præsens iudicium sit expectandum finale iudicium, &c. 245.a
76 An sacramentũ sit in genere signi, ad omne signũ rei sacræ sit sacramentum, an sacramentũ sit solũ vnius rei signũ. An sit signũ quod est res sensibilis. Ibidem.b
77 An ad sacramenta requiratur determinata materia. An significatio quoque per verba, &c. 246.a
78 An sacramenta necessaria sint ad humanã salutem, an fuerunt necessaria ante peccatum, &c. 247.a
79 An sacramenta nouæ legis sint causæ gratiæ An gratia sacramentalis aliquid addat super gratiã virtutum & donorum, &c. 248.a
80 An in sacramẽtis sit virtus gratiæ causatiua, quod hęc virtus deriuatur à passione Christi. An sacramenta veteris legis gratiam causabant. 247.b
81 An sacramenta causent characterẽ. Quid sit character. Cuius sit. De subiecto eius, &c. 249.a
82 An solus deus operetur intus in sacramẽtis. An institutio sacramentorũ sit solum à deo. De potestate Christi in sacramẽtis. An potestate illã alijs cõmunicare. Virũ malis conueniat potestas ministerij in sacramentis. 250.b
83 An mali peccant sacramenta dispensando, an angeli possint ministrare, &c. cætera. 251.a
84 De numero. De ordine, de cõparatione sacramentorum adinuicem, &c. 252.a
85 An baptismus sit ipsa ablutio vel aqua. De institutione baptismi, de materia baptismi, an requiratur ad eam aqua simplex, de forma sacramenti huius. 254.a
86 An possit dari baptismus in nomine Christi, an ad baptismũ requiratur immersio. &c. 254.b
87 De ritu, de diuisione, de comparatione baptismatum. 255.a
88 Cuius sit dare baptismum, an laicus eum conferre possit, an minister, an non baptizatus. 255.b
89 An plures simul possint baptizare eundem, an requiratur aliquis leuans baptizatum de sacro fonte, & cætera. 256.a
90 Vtrum oẽs teneantur baptismum recipere, an debeat differri, an aliquis sine baptismo possit saluari, an peccatores sint baptizãdi, an etiã baptizatis sit pœnitentia iniungenda, an ad baptismum exigatur peccatorum confessio. 256.b
91 An in baptismo requiratur intentio in recipiente, an etiam fides, an pueri sint baptizandi, an pueri Iudæorum sint baptizandi inuitis parentibus, an pueri in vtero materno sint baptizandi, an furiosi & amentes baptizandi sint. 257.b
92 An per baptismũ deleatur ola peccata, an oẽs quoque pœnæ, an pœnalitates præsentis vitæ, an etiã in eo conferantur virtutes & gratiæ. De effectibus virtutũ qui adscribuntur baptismo 258.b
93 An in baptismo gratia & virtutes paruulis conferantur, an ianua regni aperiatur, &c. 259.a
94 An circumcisio fuit præparatiua & figuratiua baptismi, de institutione. De situ, De effectu circumcisionis. 259.b
95 An catechismus & exorcismus baptismum præcedere debeant an ea quæ in ipsis fiunt aliquid efficiant, &c. 260.b
96 An confirmatio sit sacramentum. De materia eius, &c. 261.a
97 An confirmatio imprimat characterem, an character confirmationis characterem baptismalem præsupponat, &c. 261.a
98 Cur sacramẽtum cõfirmationis detur in fine, an oporteat esse aliquẽ qui teneat cõfirmãdũ. 262.b
99 Vtrum Eucharistia sit sacramentum, an sit vnum vel plura. An sit de necessitate salutis De nominibus eius, &c. 263.a
100 De materia sacramenti Eucharistiæ, an requiratur ad eã determinata quantitas. &c. 264.a
101 An aqua sit vino miscẽda, an usque admixtio sit necessaria, & cætera. 264.a
102 Vtrum in hoc sacramento sit verũ corpus Christi & sanguis, an substantia panis & vini post cõsecrationem remaneant, an annihilentur, &c. 265.b
103 An post consecrationẽ forma substantialis panis permaneat, an cõuertio hęc fiat in instãti, &c. 266.a
104 An totus Christus sit in hoc sacramento, an totus sit sub qualibet specie, an sub qualibet parte specierum, &c. 267.a
105 An corpus Christi sit in hoc sacramento localiter, an mobiliter, an visibiliter, &c. 267.b
106 An accidentia maneant sine subiecto in hoc sacramẽto, an quãtitas sit eorũ subiectũ, an illa accidentia possint immutare corpus extrinsecum, &c. 267.b
107 An ex formis seu speciebus sacramẽti possit aliquid generari, An aliquis possit ex eis nutriri & de fractione panis cõsecrati, &c. Ibi.b
108 De forma huius sacramẽti, de cõuenientia formæ consecrationis corporis Christi, de cõuenientia cõsecrationis sanguinis christi, &c. 269.b
109 An huius sacramenti effectus sit collatio gratiæ, an adeptio gloriæ, an remissio quoq; peccati mortalis, 270.b
110 An per hoc sacramentum tota pœna peccati dimittatur, an per ipsum homo à peccatis futuris præseruetur, &c. 271.a
111 De duplici modo mãducandi hoc sacramentũ, an soli homini cõpetat mãducare spũaliter, &c. 271.b
111 De quãtitate peccati manducantium indigne. An peccator ad hoc sacramentũ accedens sit repellendus, &c. 272.a
111 An hoc sacramentũ dandum sit non habentibus vsum rationis, an sit quotidie sumendũ, &c. 273.a
114 An Christus sumpsit propriũ corpus & sanguinẽ, an dedit illud Iudæ, quale corpus dedit discip. & cætera. 273.b
115 An consecrare hoc sacramentum sit propriũ sacerdoti. An plures possint eandẽ hostiã cõsecrare, an dispensatio huius sacramenti sit sacerdotis, &c. 274.b
116 An missa mali sacerdotis minus valeat quam boni, an hæretici, schismatici, vel excõmunicati, possint cõficere, an etiam degradati, an peccent à talibus communionem recipientes. 275.a
117 An Christus celebratiõe immoletur, de tempore, de loco celebrationis, &c. 275.b
118 De his quæ in celebratione dicuntur, de his quæ in ea agũtur, & cætera. 276.b
119 An pœnitentia sit sacramentum, de materia eius, de forma

ipsius, & exteris. 278.a
119 De ordine pœnitetiæ ad alia sacraméta, de institutione eius, de duratione & continuatione ipsius, & exteris. 279.a
120 An pœnitentia sit virtus, an sit virtus specialis, Sub qua virtute contineatur, &c. 279.b
121 An peccata mortalia per pœnitentiam auferantur, an vnum sine alio possit remitti. 280.b
122 An pœnitentia auferat culpam remanente reatu, an maneant reliquiæ peccatorum, &c. 281.b
123 An peccatum veniale potest dimitti sine pœnitentia, an etiam sine gratiæ infusione, an venialia dimittantur per aspersionem aquæ benedictæ. 281.b
124 Vtrum peccata dimissa per se quæ peccatum redeant, an redeant per ingratitudinem secundū quædam genera culpæ, an redeant in æquali reatu, &c. 282.a
125 An per pœnitentiam restituantur virtutes, an reddantur in æquali quantitate, & cæ. 283.a
126 An opera virtuosa per peccatum sequēs mortificentur, an opera per peccatum mortificata, per pœnitētiam reuiuiscant, &c. 283.b
127 An pœnitentia habeat partes, de numero partiū eius, &c. 284.a
128 An aliquam pœnitētia debeat esse solemnis & publica, &c. 285.a
129 An homo possit de vno peccato satisfacere sine alio, &c. 285.b
130 An ad pœnitentiam venialium teneamur, An teneamur ea cōfiteri, an vnum veniale sine alio dimitti possit. 286.b
131 An ludi atque spectacula impediant pœnitentiam. 287.a
132 An animæ post hanc vitam de peccatis contritionem habeant, an contritio potest totaliter tollere pœnæ reatum. Ibidem.a
133 An soli sacerdoti confiteri oporteat, an liceat in aliquo casu laico cōfiteri, an laicus extra casum necessitatis possit cōfessionem venā alium audire, &c. 287.b
134 An cōfessio possit esse informis, an aliter fieri va. &c. 288.a
135 Vtrum debeant esse claues in ecclesia, quid sint, quot sunt. 288.b
136 Quid sit excommunicatio, Cur fiat, Pro quibus rebus, an excommunicatio iniuste lata, sortiatur effectum. 289.b
137 An quilibet sacerdos potest excommunicare, &c. 290.b
138 An liceat excommunicato communicare in pure corporalibus, an excommunicato cōmunicans, sit excommunicatus, &c. 291.a
139 An quilibet sacerdos absoluere potest subditū suum ab excommunicatione, an aliquis potest absolui inuitus, &c. 291.b
140 An sacerdos legalis habeat claues, an etiam christus, &c. 292.a
141 An sacerdos potest semper soluere ditum suum absoluere. 292.b
142 An per indulgentiam aliquid pœnæ remittatur, an indulgentiæ tantum valeant sicut pronunciatur, &c. Ibid.b
143 Quorum sit dare seu facere indulgentias. 293.b
144 An semper teneatur confessor celare quæ sub confessionis sigillo audiuit, an de licentia confessi ea reuelare pos. &c. 294.a
145 An vnctio extrema sit sacramentum, de vnitate. &c. ibid.a
146 An vnctio extrema peccata dimittat ad corporalem sanitatem efficiat, an characterem imprimat. folio 295.a
147 Quod oleū olluæ sit huius sacramenti materia, &c. 295.b
148 De forma huius sacramenti, folio. ibidem.b
149 De ministro huius sacramenti, de eo cui confitendum est, qua parte sit dandum. 295.a
150 An vnctio extrema possit iterari, an in eadem infirmitate valet iterari. 296.b
151 An ordo in ecclesia esse debeat, quid sit ordo, an sit sacramentum, &c. 297.a
152 An in sacramento ordinis cōferatur gratia gratum faciens, an characterem ordinis presupponat characterem baptismalem, an in sacramento ordinis imprimatur character, &c. 297.b
153 Vtrum ad receptionem ordinis exigatur bonitas vitæ, an scientia totius scripturæ, an aliquis ex merito vitæ sit sacerdos, an promouens indignos peccet, &c. 298.b
154 De pluralitate ordinum, de numero eorum, de diuisione ipsorum in sacros & non sacros. 299.a
155 De actibus ordinum, quoniā character sacerdotali imprimitur, folio 300.a
156 De corona & rasura ordinatorum, an corona sit sacramentū, &c. 300.b
157 An super sacerdotalē ordinem debeat esse episcopalis potestas, an episcopatus sit ordo, &c. 301.a
158 De vestibus sacris ministrorū ecclesiæ. 301.b
159 An ordines cōferre sit episcoporū duntaxat, an hæretici & præcisi, ordines conferant, &c. 302.a
160 An seruitus, & homicidium, an illegitima natiuitas, an defectus membrorum impediant à suscepti one ordinis. 303.a
161 An matrimonium sit naturale, an sit in præcepto, an actus eius sit semper peccatum, an possit esse meritorius. 303.b
162 An matrimonium sit sacramētum, de institutione eius, an conferat gratiam, &c. 304.a
163 Quid sit matrimonium, an consensus sit causa eius efficiens, an oporteat consensum exprimi verbis, &c. 304.b
164 An aliter cōiungunt religionem ingredi possit alterō inuito, an mulier potest nubere alteri viro priore ante carnalem copulam religionem ingresso. 305.a
165 Quid sint sponsalia, quis possit ea contrahere, vtrum sponsalia filiorum possint. ibidem.b
166 Quomodo bigamia cōtrahitur, quod irregularitas sit ei annexa. 306.b
167 An iuramentum additum cōsensui per verba de futuro faciat matrimoniū, an copula carnalis additatalibus verbis matrimonium faciat, an consensus in occulto per verba de præsenti expressus faciat matrimonium, &c. 307.a
168 An consensus coactus tollat matrimonium, an consensus conditionatus faciat matrimonium, &c. 307.b
169 An error impediat matrimoniū, an ols error hoc faciat. 308.a
170 De bonis matrimonij, & de numero bonorum matrimonij de ordine eorundem. 308.b
171 An habere plures vxores sit cōtra legem naturæ, an aliquando licuit. 309.a
172 Vtrum concubinam habere sit contra legem naturæ, an sit peccatum mortale, &c. 309.b
173 An separabilitas vxoris sit de lege naturæ, an vxorem dimittere liceat per dispēsationem, an in lege Mosi licuit vxorem dimittere, an liceat repuditate alium virū habere, &c. 310.a
174 De variis impedimentis matrimonij. 310.b
175 An propter fornicationem sit vxor dimittenda, an hæc sit in præcepto, &c. 311.a
176 An vir & vxor sint ad paria iudicādi in causa diuortij, an post diuortium vir alteri nubere possit, an post diuortiū vir & mulier reconciliari possint. 311.b
177 An seruus potest contrahere

matrimonium sine consensu domini, an seruitus potest matrimonio superuenire, &c. 312.a
278 An defectus ætatis matrimonium tollat, an liceat viro vxorem in adulterio deprehensam occidere, an talis possit, &c. ibid.b
279 An fidelis possit matrimoniũ cum infideli contrahere, an inter infideles sit, &c. 313.a
280 Quid sit consanguinitas, de distinctione eius per gradus & lineas folio 313.b
281 An consanguinitas de lege naturali impediat matrimonium an gradus consanguinitatis matrimonium impedientis sit ab ecclesia vsque ad gradum tarandus. 314.b
282 An ex matrimonio cõsanguinei affinitas causetur, an maneat post mortẽ viri inter relictã & viri consanguineos, an ex illicito cõcubitu causetur affinitas, an ex sponsalibus causetur affinitas, an affinitas sit causa affinitatis. 315.a
283 An affinitas impediat matrimonium, an habeat, &c. 316.a
284 De filijs illegitimis, de pœnarum, an etiam valeant legitimari. ibid.a
285 Vtrum spiritualis cognatio impediat matrimonium, an talis propinquitas per solũ baptismum contrahatur. 316.b
286 Inter quos contrahatur spiritualis cognatio, an transeat à viro in fœminam, an à patre in filios, folio 317.a
287 De diffinitione adoptionis per quam est legalis cognatio, an ex adoptione impediatur matrimonium, inter quos contrahatur talis cognatio. 317.b
288 An secundæ nuptiæ sint licitæ, an sint sacramentales. 319.a
289 An vterque coniugum teneatur semper ex æquo ad reddẽdum debitum, etiam aliquando non petenti propter verecundiam, an vir & mulier possint votum emittere contra debitum matrimonij sine mutuo consensu, an temporibus certis debitũ petere sit mortale peccatum. ibid.a
290 An animabus post mortem receptacula assignentur, an statim post mortem ad ipsa animæ ducuntur, an de ipsis locis agredi, valeãt, an limbus inferni sit idẽ quod sinus Abrahæ, an limbus sit idem quod infernus damnatorum, & cætera. 318.b
291 An in anima separata maneant potentiæ sensitiuæ, an maneant actus dictarum potentiarum, & cætera. 321.a
292 An suffragia facta per vnum, alijs possint prodesse, an mortui possint iuuari operibus viuorum, ad suffragia per peccatores facta mortuis prosint, an quæ à viuis pro mortuis fiunt, facientibus prosint. 322.a
293 An suffragia prosint etiam existentibus in inferno in limbo puerorum & sanctis in patria existentibus, an orationibus Ecclesiæ & sacrificio altaris & elemosynis animæ defunctorum iuuentur. 322.b
294 An indulgentiæ quas facit Ecclesia, etiã mortuis prosint, an cultus exequiarum prosint defunctis, an suffragia quæ fiunt pro defunctis tantundem valeant alijs quantum illis pro quibus fiunt. 323.a
295 An sancti nostras agnoscant orationes, an debeamus sanctos orare ad interpellandum pro nobis, an orationes sanctorum ad deum pro nobis fusæ semper exaudiuntur. 323.b
296 An aduentum domini præcedent aliqua signa, an circa iudiciũ secundum rei veritatem sol & luna obscurabũtur, an cœlorum virtutes domino venienti mouebuntur. 324.a
297 An aliquã mundi purgatio sit futura per ignem eiusdem, speciei cum igne elementari, an ignis ille purgabit etiam cælos superiores an ignis ille, &c. 324.b
298 An omnia elementa per ignem purgabuntur, an ignis vltimæ conflagrationis iudicium sequatur, an ignis ille habebit talem effectum in hominibus qualis designantur, & cætera. 325.a
299 An corporum resurrectio sit futura, an resurrectio erit omnium generaliter, &c. 325.b
300 An Christi resurrectio sit causa nostræ resurrectionis, an vox tubæ causa nostræ resurrectionis, & cætera. 326.a
301 An tempus resurrectionis differri oporteat vsq; ad finem mundi, an tempus illud sit occultum, an resurrectio erit noctis tempore, an resurrectio subito fiet, an successiue. 326.b
302 An mors sit terminus à quo resurrectionis, an omnium resurrectio erit à cinetibus, an pulueres illi ex quibus corpus humanum reparabitur, aliquam inclinationem naturalem habebunt ad animam quæ eis coniungetur. 327.b
303 An anima idem corpus numero resumet in resurrectione, an oporteat pulueres humani corporis ad eandem partem corporis quæ cum eis dissoluta est, per resurrectionem redire. 328.a
304 An omnia membra humani corporis resurgent, an capilli & vngues resurgent, an homines resurgent, an torum quod fuit in humano corpore de veritate humanæ naturæ, &c. ibid.b
305 An omnes resurgent in eadẽ ætate, scilicet iuuenili, an omnes resurgent staturæ, an omnes resurgent in sexu virili, an omnes resurgent in sexu animali. 329.a
306 An sanctorum corpora post resurrectionem futura sint impassibilia, an impassibilitas erit æqualis omnibus, an impassibilitas sensum in actu à corporibus gloriosis excludit, &c. 329.b
307 An subolitas sit proprietas corporis gloriosi, an quæcunque duo corpora siue gloriosa, siue non gloriosa possint esse simul in eodem loco, nisi per solam virtutem diuinam & miraculũ, an ex sua subtilitate remaneatur à corpore gloriosa necessitas existendi in æquali loco, an corpus gloriosum ratiõe suæ subtilitatis sit impalpabile. 330.b
308 An corpora gloriosa sint futura agilia, an sancti agilitate sua vnquam vrantur vt moueatur, an moueantur in instante. 331.a
309 An claritas inerit corporibus gloriosis, an claritas illa videri poterit, &c. 333.a
310 An corpora damnatorũ cum suis deformitatibus resurgent, an eorum corpora erunt incorruptibilia, an erunt impassibilia. ibid.b
311 An cognoscat quilibet homo in iudicio omnia peccata sua, an possit quilibet omnia merita, & demerita sua & aliena, vno intuitu videre. 334.a
312 An generale iudicium sit futurum, an quantum ad disceptationem fiet per vocalem locutionem, an fiet tempore & loco incogniti. ibid.b
313 An aliqui angeli & homines cum Christo iudicabunt, an iudiciaria potestas correspõdeat voluntariæ paupertati, an post diem iudicij dæmones exequantur sententiã iudicis in damnatos, an omnes tã boni quam mali compareant in iudicio vt iudicentur, an angeli in futuro iudicentur. 335.b
314 An Christus in forma serui sit iudicaturus, an apparebit in forma humanitatis gloriosa, an eius diuinitas posset sine gaudio videri, sol. 336.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLORVM ET QVÆSTIONVM

215 An mundi innouatio sit futura, an motus corporum cœlestium in illa innouatione cessabit, an in corporibus cœlestibus ac elemẽtis claritas augeatur in illa innouatione &c. 337.a

216 An intellectus humanus possit peruenire ad videndum deum per essentiam, an sancti post resurrectionem deum corporalibus oculis sint visuri, an sancti videntes deũ per essentiam, omnia videant quæ deus in seipso videt. 338.a

217 An beatitudo sanctorum sit maior futura post diẽ iudicij quã ante resurrectionem fuerit, an beatitudinis gradus mansiones dici debeant secundum diuersos charitatis, &c. ibid.b

218 An beati qui sunt in patria, miseriãs damnatorum sine compassione videant, an beati de damnatorum pœnis lætantur. 339.a

219 An ponendæ sint aliquæ dotes, an ratio dotis distinctæ realiter à beatitudine, Christo conueniat, an conueniat angelis, an conuenienter ponantur dotes esse animæ dotes, scilicet visio, dilectio, & fruitio, folio. ibid.b

220 An aureola sit aliquod aliud præmiũ à præmio essentiali, quod autem vocatur, an aureola differat à fructu, an fructus debeatur soli virtuti continentiæ, an conueniens tres tres fructus tribus continentiæ partibus assignentur. 340.b

221 An virginibus debeatur aureola, an martyribus debeatur, an debeatur doctoribus, an Christo debeatur, an competat angelis, an cõueniat etiam corpori. 341.b

222 An conuenienter tres aureolæ designentur, virginum scilicet, martyrum & doctorum, an virginum aureola sit inter alias potissima, an vnus aureolã virginitatis, vel martyrij, vel doctoris, excellentius alio habeat. 342.b

223 An damnati in inferno, soli pœna ignis afficiantur, an vermis quo affliguntur impij, sit vermis corporalis, an fletus qui erit in dãnatis, sit corporalis. 343.b

224 An ignis inferni quo cruciabũtur corpora damnatorum, sit corporeus, an ignis ille eiusdem speciei cum igne iste corporeo quem videmus, an ignis ille sit sub terra, fol. 344.a

225 An omnis voluntas damnatorum sit mala, an damnati vnquam pœniteant de malis quæ fecerunt, an damnati recta ratione & deliberatiua possent velle non esse an damnati in inferno, vellent alios esse damnatos, qui non sunt damnati, fol. 345.a

226 An damnati habeant deum aspectabilem, an damnati demereantur, an damnati possint vti notitia quam hic in mundo habuerunt, an damnati cogitabunt de deo, an damnati videant gloriam beatorũ. 345.b

227 An ex diuina iustitia infligatur peccatoribus pœna æterna, an per diuinam misericordiam omnis pœna terminetur, tam hominum quam etiam dæmonum, an Christianorum præsertim opera misericordiæ facientium pœna per diuinam misericordiam terminetur. folio 346.a

LAVS DEO.

D. DIONYSII CARTHVSIANI IN TERTIVM LIBRVM SVMMÆ FIDEI orthodoxæ, in quo agitur de virtutibus tam theologicis quam cardinalibus, de earum diuisionibus ac partibus, de virtutibus eisdem annexis, & vitijs contra oppositis, de donis item ac fructibus.

PRÆFATIVNCVLA.

OMNIS gloria eiꝰ filiꝫ regis abintus. Decor quõ in rationalibꝰ creaturis amat altissimus in interioti venustate cõsistit, quę in ornatu virtutũ ac scientiali splendore essentialiter arbitrãda est. Nẽpe quẽadmodũ corporalis pulchritudo est debita partiũ habitudo quo ad se inuicẽ atq; ad totum, cũ congrũctus perfusione coloris: sic spiritualis pulchritudo est ordinatio omniũ interiorũ affectionum ac morum, quod ad virtutes pertinet, cum splendido quodam candore, quem sapientia atq; scientia caulant. Deniq; in superiori libro habita est cõsideratio de virtutibus vitijsque oppositis, ac passionibus, & alijs moralem materiã concernentibus in vniuersali: nunc autem de eisdem in speciali est dicendum. Omnium vetò virtutum pluralitas ad septem virtutes reducitur, quarũ tres sunt theologicæ, scilicet fides, spes, charitas, de quibus in primis loqui congruit. Aliæ quatuor sunt virtutes cardinales, ad quas reducuntur omnes cæteræ virtutes morales: & ergo in considerationibus virtutum cardinalium, tractare oportet de virtutibus annexis. Sed & de donis & fructibus ac beatitudinibus determinare necesse est, simul cum ipsis virtutibus quibus conueniunt. Intellectualium autem virtutum (quæ quinque sunt) vna est prudentia, quæ inter cardinales cõtinetur & ponitur. Ars autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad moralem non spectat, qui a moralis est circa agibilia: ars verò est recta factibilium ratio. Cæteræ tres virtutes intellectuales, videlicet sapientia, scientia, & intellectus etiam in ipso suo nomine cum donis spiritussancti conueniunt. Ideoq; de ipsis quoque dicetur, quando de donis sermo occurrit. His autem peractis, nihil moralium erit intactum.

¶ Vtrum obiectum fidei sit veritas prima. Articulus 1.

ADuertẽdum, quod in obiecto scientialium seu cognoscitiuorum habituum, duo considerantur. Vnũ quasi materiale, videlicet res ipsa quæ scitur. Aliud velut formale, id scilicet per quod res ipsa cognoscitur, quod est formalis ratio obiecti: quemadmodum præmissæ sunt media & ratio cognoscendi conclusionem. Itaque si in obiecto fidei pensemus formalem rationem obiecti, quod scilicet est ratio cognoscendi ea quæ credenda traduntur: sic veritas prima obiectum est fidei, quoniã fides nulli assentit nisi quia diuinitus est reuelatũ. Vnde fides, quæ est virtus theologica, diuinæ ac primæ veritati innititur. Si autem attendamus materiale obiectum, tunc omnia possunt appellari fidei obiectum quæ nobis proponuntur credenda, videlicet humanitas Christi, sacramenta ecclesiæ, & cætera. Quia tamen huiusmodi sub fidei assensu non cadunt, nisi prout ordinem aliquem ad deum habent, inquantum videlicet sunt effectus deitatis, quibus homo iuuatur vt tẽdat ad deum: ideo etiam de materiali obiecto loquendo, prima veritas, seu deus, quoddam fidei obiectum vocatur, eo quod ad ipsum cætera ordinentur, Propter quod Dionys. 8. capit. de diuin. nomin. ait: Est autem fides circa simplicem & semper existentem veritatem, quæ est prima æternaque veritas.

¶ An complexa possint esse fidei obiectum 2. Et an fidei possit subesse falsum. Articulus. 2.

DEnique de obiecto fidei dupliciter possum⁹ loqui. Vno modo ex parte rei creditæ, scilicet prout res est in seipsa, & sic obiectum fidei est quid complexum, scilicet de⁹, de quo fides habetur. Alio modo

attendi potest fidei obiectum ex parte credentis, prout res ipsa est in intellectu credentis. Semper enim, secundũ Boethium, cognita sunt in cognoscente secundum modum cognoscentis. Quoniam ergo connaturale est intellectui nostro, vt componendo & diuidendo veritatem agnoscat, vt tertio de anima patet: propterea ex parte nostri, complexum per modum enuncialis, potest fidei dici obiectum. Vnde sicut intellectus diuinus propter suam perfectionem complexa atque composita incomplexè cognoscit: sic intellectus humanus ob suum defectum, ea quæ in se simplicia incomplexaque sunt, per complexionem & propositionalem enunciationem agnoscit.

2. ¶ Præterea sicut sexto Ethicorum ait Philosophus: nulla virtus perficiens intellectum, se habet ad falsum, sed quod falsum est malum intellectus. Cum ergo sit fides intellectum perficiens, non habet se nisi ad verum. Sciendum est itaque, quod nihil subest alicui potentiæ, actui vel habitui nisi mediante ratione formali obiecti: sicut conclusio sciri non potest, nisi per medium, nec color nisi per lumen. Dictum est autem, quod veritas prima est formalis ratio obiecti fidei. Ideo nihil fidei subest, nisi quod stat sub veritate diuina, sub qua falsum non stat: sicut non ens stare nequit sub ente. Vnde fidei subesse non valet falsum. Et si fidelis in aliquo erret circa fidem, non est hoc ex fide, sed ex coniectura humana. Omnes quoque virtutes intellectum perficientes, excludunt falsum. Dicit autem Thomas, quod virtutes appetitiuam partem perficientes, non excludant totaliter falsum, cùm tamen ipsemet dicat, quod de ratione virtutis sit, vt se habeat tantum ad bonum.

¶ An visum vel scitum possit fidei esse obiectum. Articulus. 3.

POrro fides importat intellectus assensum ad id cui credit. Intellectus autem dupliciter alicui assentit. Primo ex ratione sumpta ex parte obiectorum, quorum aliqua sunt per se nota, vt prima principia: aliqua vero deducũtur ex primis principijs. Secũdo assentit intellectus alicui nõ quia mouetur ad hoc per rationẽ ex obiecto acceptã, sed per quandã propriæ volũtatis elitionem, qua magis inclinat se ad assensum vnius partis quã alteri⁹. Quod

si talis assensus est cum dubitatione atq; formidine, erit opinio. Si autem cum certitudine, erit fides. Illa ergo videri dicuntur, quæ per seipsa ad sui agnitionem intellectum mouẽt vel sensum. Vnde nec fides, neque opinio esse potest, de visis nisi videre valde communiter accipiatur, quemadmodũ ait Apostolus: Videmus nunc per speculum in ænigmate. Et Augustinus dicit in libro de verbis domini, quod quilibet sensus visus vocatur, imo quandoque vnaquæque notitia visio appellatur: & ita ipsa fides est quoddam lumen, faciens animam videre quæ credenda consistunt. Insuper, cum scientia sit eorum, quæ ex principijs per se notis probantur: ideo omnia scita, sunt intellectualiter visa. Vnde nec scita, sicut nec visa, esse possunt fidei obiectum: nec potest idem esse visum & creditum, saltem ab eodem & secundum idem: tamẽ quod vnus credit alius scire potest, sicut quæ nunc creduntur, in patria à sanctis videntur, & nos quoque ea tandem videbimus: quia videbimus eum sicut est. Potest etiam de aliquid sciri, videlicet quod est, & quia vnus est, de quo tamen multa creduntur: sed hoc non est secundum idem. Vnde Gregorius asserit, quòd ea quæ apparent, non habent fidem, sed agnitionem. Est autem fides inter opinionem & scientiam medium, nam cum scientia communicat in certitudine, cum opinione verò in hoc quod non est ex sufficienti naturali ratione.

¶ *De distinctione credendorum per articulos fidei 2. Et quomodo fides creuisse dicatur secundum successionem temporum. Articulus 4.*

PRoinde credibilia fidei Christianæ in quosdam dividuntur articulos, inquantum diuiduntur in quasdam particulas, aliquam adinuicem coaptationem habentes. Nomen enim articuli à græco vocabulo arthron, quod latine sonat articulus, deriuatur. Arthron autem significat distinctarum partium coaptationem, quemadmodum partes corporis coaptatæ adinuicem, membrorum nomina sortiuntur articuli. Licet verò obiectum fidei vnum sit, tamẽ de illo vno multa creduntur, & ad ipsum multa credibilia ordinantur, quæ vtriq; sic ordinate coaptantur. Est autem fides de eo quo diuino non viso, & ideo vbi occurrit specialis ratio

difficultas inuisibilitatis, ibi & specialis articulus fidei: vbi verò aliqua secundum eandem rationem incognita sunt, non sunt multi nec diuersi articuli. Vnde de hoc Christus est passus & mortuus atque sepultus, non sunt plures articuli, sed quod est passus & resurrexit, requirit distinctos articulos. Aquoscendum quoque, quod fides est per se de his, quę nos ordinant ad vitam æternam, vt est deus trinitas, Christi incarnatio, & cætera, & de his solis assignantur articuli. Alia verò sunt credibilia de quibus non est fides secundum se, sed solũ in ordine ad prædicta, inquantum ad manifestationem ipsorum nos introducũtur, vt quod habuit Abraham filios duos, & similia, & secundum horum diuersitatem non traduntur articuli fidei. Dicit autem Isidorus, quod articulus est præceptio diuinæ virtutis, tendens in ipsam. Alij verò dicunt, quod articulus est indiuisibilis veritas de deo, ad credendum nos artans. Præterea, aduertendũ quod sicut se habẽt prima principia per se nota in naturali scientia, sic se in facultate Theologicæ sapientiæ habent articuli fidei Christianæ. In primis autem principijs ordo est & reducitur vnum ad aliud, imo & omnia ad illud primum principium. De quolibet esse vel nõ esse, de nullo verò simul. vt habetur quarto primæ Phil. Sic ergo articulorũ fidei quidam continentur virtualiter in alijs, quoniam in fide redemptionis humanæ includuntur implicitè incarnatio, passio, resurrectio Christi, & alia talia. Omnes autem alij articuli fidei, reducuntur ad hos duos, scilicet, vt credatur deus esse, & prouidentiam circa humanam salutem habere, quemadmodum ait Apo. Accedentem ad deum oportet credere quia est, & quia inquirẽtib. se remunerator fit. In esse nanq; diuino, omnia includuntur quæ deo æternaliter inesse creduntur, in quibus beatitudo consistit. In prouidentia verò cũcta continentur, quæ rẽporaliter à deo dispẽsantur ad humanam fœlicitatem quæ sunt via nostrę salutis.

2. ¶ Dicendum ergo quod fides secundum temporis successionem creuit, non secundum substantiam, sed secundum explicationem. Nam quo veteris testamenti, vel temporis, homines aduentui Christi erant propinquiores, eò magis explicite fidei agnouerũt articulos: tamen tota illa posteriorũ cognitio, in fide priorum includebatur implicitè. Vnde Gregorius dicit: Secundum temporum incrementa, creuit scientia sanctorum patrum. Et ad Moysen deus ait: Nomen meũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Adonai non indicaui eis, scilicet prioribus sanctis. Et Apostolus: Alijs (inquit) generationibus non est agnitum mysterium Christi, sicut modo reuelatum est sanctis eius Apostolis. Insuper agnoscendum, quod in generatione naturali pręexiguntur duæ causæ, videlicet materia & efficiens: & quo ad ordinem causæ efficientis, sic generatio incipit à perfecto. Nam Boëthius ait: Natura semper à perfecto initium sumit. Necesse est enim imperfecta à perfectis produci, nec possunt imperfecta ad perfectionem perduci, nisi per aliqua perfecta præexistentia. Sed secundum ordinem causæ materialis, generatio & operatio naturæ ab imperfecto incipit. In reuelatione autem fidei deus se habet per modum agentis seu efficientis, quia notitiam influit. homo autem per modum materiæ, quoniam influxum à deo recipit. Ideoque ex parte hominis decuit scientiam fidei ab imperfecto inchoari, & sic tandem per Christum hanc perfici: propter quod tempus Christi vocatur tempus plenitudinis & tempus gratiæ, quia veritas & gratia per Iesum Christum facta est.

¶ De enumeratione articulorum fidei in Symbolo 2. Et de ordinatione eorundem. Articulus 5.

EST autem fides sperandarum substantia rerum. Ideoque de illis est fides quæ in patria nos visuros speramus, & quæ ad visionem beatã nos promouẽt. Duo ergo nobis præcipue credenda traduntur, videlicet occultum deitatis, cuius visione beatificamur: & mysterium incarnationis, per quod ad deitatis contemplationem perducimur. Prima ergo distinctio credibilium est, quod quædam pertinent ad diuinitatis maiestatem, quædam vero ad verbi incarnati humanitatem. Circa diuinitatem autem tria nobis credenda traduntur. Primum est vnitas dei, & de hoc est primus fidei articulus. Secundum est diuinarum personarum suppositalis distinctio, & iuxta hoc secundum tres personas, tres quoque assignantur articuli. Tertium est operatio deitatis ad extra, quæ triplex est. Prima respicit esse naturæ, & sic proponitur articulus creationis. Secunda pertinet ad esse gratiæ, & sic omnia ad sanctificationem humanam spectantia, sub vno comprehenduntur articulo. Tertia pertinet ad esse gloriæ, & sic est articulus de resurrectione mortuorum & vita æterna. Itaque septem sunt articuli ad diuinitatem spectantes. Totidem quoque de Christi humanitate traduntur. Primus est de incarnatione seu cõceptione Christi, secundus de natiuitate eius ex virgine, tertius de eius passione, morte, & sepultura, quartus de descensu ad inferos, quintus de resurrectione, sextus de ascensione, septimus de aduẽtu ad iudicium. Quidam autem distinguunt duodecim articulos duntaxat, scilicet sex de diuinitate, & sex de verbi humanitate. Tres enim articulos de trinitate sub vno comprehendunt, eo quod trium personarum sit vna cognitio. Nam in ratione patris intelligitur filius, & amborum nexus scilicet spiritussanctus. Articulum vero de glorificatione distinguunt in duos, videlicet in resurrectionẽ carnis & in gloriã animæ. Denique articulũ conceptionis & natiuitatis non diuidũt, quia tamen circa singulas personas diuinas attendenda sunt aliqua, circa quæ contingit esse errorẽ, quoniã proprietatibus distinguuntur: ideo de vnaquaque personã poni potest arti. proprius. Præterea in hoc quod credimus deũ omnipotentẽ, in omnipotentia comprehenditur omnium scientia & prouidentia. Quia intellectualis naturæ potestas non agit nisi secundum voluntatem & agnitionẽ. Non enim omnia posset deus in rebus cunctis efficere, nisi eorum notitiam prouidentiamque haberet.

¶ Sed dubitare quis potest de sacramento eucharistiæ cur de ipso non assignatur specialis articulus, cum tamen singulam habeat difficultatem? Item cum sit fides eorum quę per rationem sciri non valent, quomodo de hoc quod deus est vnus, ponatur fidei primus articulus, cum ratio naturalis hoc sciat, & à philosophis demonstratum esse? Respondendum ad primum quod in sacramento eucharistiæ duo pensantur. Vnum inquantum est sacramentatum, & sic continetur sub articulo qui est de effectibus gratiæ sanctificantis. Ad secundum, quod corpus Christi illic miraculose existit, & hoc ad omnipotentiam pertinet. Ad aliud respondendum, quod licet deum esse vnum philosophi nouerant, tamen sub articulo de vnitate dei multa complectuntur, quæ rationem humanam excedunt, videlicet omnium dei prouidentia, omnipotentia, & quod ipse solus sit colendus: circa quæ philosophi multipliciter errauerunt.

2. ¶ Agnoscendum est autem quod symbolum dicitur col-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lectio sententiarum fidei in vnum, vnde, cùm accedentem ad deum oporteat credere, necessarium erat vt ex sacra scriptura, in qua ea quæ credenda sunt diffuse dispersimque cõscripta sunt, vna quasi compendiosa ac summaria collectio credendorum fieret, quã omnes facilius scire & discere possunt, & hoc propter idiotas & simplices atq; in exterioribus occupatos, præsertim necessarium extitit, eo quod tales sibi odio vacare non possunt, nec ex scriptura credenda colligere. Facta sunt autem plura propter hæreses insurgentes, quarum posterius prioris quodãmodo declaratiuum est. Vnde Symbolum patrum manifeste & solenniter in missa cantatur, quia æditum est fide iam promulgata, Symbolum autẽ apostolorum, in prima & completorio in secreto profertur contra tenebras errorum præteritorum & futurorum pestiferorum: quoniam factum est tempore persecutionum, & nondum publice dilatata.

¶ *Quod componere Symbolum fidei sit summi pontificis.* *Articulus.* 6.

QVoniam itaque noua æditio Symboli ideo fit, vt insurgentes hæreses destruantur, ad eum pertinet Symbolum facere, cuius est de fide finaliter determinare, sic vt eius determinationi immobiliter consentiatur. Hoc vero est summi pontificis, ad quẽ maiores & difficiliores ecclesiæ quæstiones referuntur, vt in decretis distinctione quadragesima tertia dicitur. Vnde Christus Petro dixit: Ego pro te rogaui, vt nõ deficiat fides tua & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Præterea, totius ecclesiæ vna debet esse fides, dicẽte Apostolo: idipsum dicatis omnes, & nõ sint in vobis scismata. Hoc verò seruari nequaquam valeret, nisi quæstio fidei ad eum finaliter referretur, qui toti ecclesiæ præsidet. Ideoque solius domini Papæ est Symbolum ædere, sicut etiam est eius generalem synodum congregare, & talia agere. Quanuis enim in doctrina Christi & apostolorum fides satis aperta est, tamen propter peruersorum hominum adinuentiones vanissimas, necesse est fidem inde ea magis explanare. Sed dicet forsitan aliquis: In primæ Ephesinæ synodi, Calcedonensis quoque concilij, sub anathemate prohibetur, nequis aliam fidem scribere, ædere

aut componere audeat, quam quæ à sanctis patribus in Nicæno concilio ædita est. Respondendum, quod prohibitio talis atque sententia synodi, extendit se ad priuatas personas quarum non est determinare de fide. Vnde per ordinationẽ huiusmodi non auferetur synodo sequenti nouum symbolum facere: quod nouum vocatur, non quia nouam fidẽ, aut aliam comprehendat: sed quia prioris synodi symbolũ magis declarat. De Athanasio autem Alexandrino patriarcha sciendum, quod ipse manifestationem fidei ædidit, non per modũ Symboli, sed doctrinæ. Quia tamen eius doctrina integram fidem plene & compendiose complectitur, propterea eius ædicio authoritate Papæ recepta est.

¶ *Quid sit credere. 2. Et de triplici actu fidei.* *Articu.* 7.

AVgustinus in libro de prædestinatione sanctorum, ait, quod credere est cum assensione cogitare. Vbi sciendum, quod cogitare tripliciter sumitur. Primo communiter pro qualibet actuali consideratione intellectus, & sic scire vel intelligere est etiam cum assensione cogitare. Secundo dicitur cogitare consideratio intellectus eũ quadam inquisitione, antequam perueniat ad perfectionem intellectionis per certitudinem visionis, & sic cogitatio proprie dicitur motus animi deliberantis, nondum per certitudinem visionis perfecti. Et quia deliberatio ita esse potest rã circa intensiones vniuersales, quæ ad intellectum respiciunt, quã circa particulares, quæ pertinent ad cogitatiuam virtutem. Ideo tertio cogitare accipitur pro actu virtutis cogitatiuæ. Sumendo ergo cogitare secundo modo, sic Augustin. conuenienter diffinit actum fidei, qui est credere. Actuum namque intellectus quidam habent firmum assensum siue cogitatione huiusmodi, vt ea quæ sciuntur. Quidam autem actus intellectus habent cogitationem informem absq; tali assensu: siue in neutram partem declinent, vt in dubitante, siue in alteram partem magis declinent, tamen ex quodam leui signo vt in suspicante, siue vni parti adhæreat cum formidine de opposito, vt in opinante. Credere autem habet futurum assensum, & in hoc conuenit cum sciente & tamen eius agnitio nõ est perfecta per manifestam veritatis notitiam, & quo ad hoc cõuenit cum dubitante, suspicante ac opinante. Vnde

proprium est actui fidei, qui est credere, quod sit cum assensu cogitationis: & differt iste actus à cæteris omnibus. Verùm tamen Damascenus ait 4. li. quod credere est non inquisitus assensus, pro tanto quia per naturalem rationem fides nõ demonstratur: nihilominus id quod creditur, habet aliquam inquisitionem eorum per quę ad credendum homo inducitur, puta quia à deo sunt dicta, & quia confirmata miraculis. Aduertendum quoque, quod intellectus credentis determinatur ad vnum, non per rationem sed voluntatem. Ideoque in proposito assensus accipitur pro actu intellectus, secundum quod à voluntate ad vnam partem determinatur.

2. ¶ Porro in li. de verbis domini, & super Iohannem, ponit Augustinus tres actus fidei, scilicet credere deũ, credere deo, & credere in deum. Actus enim potentiæ, seu habitus, sumuntur secundum ordinem ad suum obiectum. Credere autem est actus intellectus, secundum quod à voluntate ad credendum mouetur. Itaque obiectum fidei tripliciter cõsideratur. Primo ex parte intellectus, & hoc dupliciter, quoniam in obiecto fidei duo possunt attendi, videlicet materiale, id est res quæ creditur: & formale, scilicet ratio propter quam rei credibili assensus prebetur. Ex parte ergo materialis in obiecto fidei, sic actus fidei, est credere deum: quia etiam nihil aliud creditur, nisi inquantum ad deum aliquam ordinationem habet. Ex parte vero formalis, ponitur actus fidei credere deo, quia diuina veritas est cui finaliter tota fides innititur. Tertio consideratur obiectum fidei ex parte voluntatis intellectum mouentis, & sic actus fidei est credere in deum, quia veritas prima ad voluntatem refertur prout habet rationem finis. Porro per hos tres actus nõ designantur realiter actus distincti, sed vnus & idem actus habens diuersam relationem ad fidei obiectum. Quanuis etiam infideles credant deum esse, vel deo, non tamen eo modo quo ista pertinent fidei actus, nõ enim credunt cum talibus cõditionibus quas fides includit, vt dictum est. vnde nec vere credunt. Insuper quia voluntas intellectum, & alias vires, mouet in finem: secundum hoc ponitur credere in deum actus fidei.

¶ An ad salutem necessarium sit aliquid credere quod rationem excedit. 2. Et an oporteat etiam illa credere quæ naturali ratione inuestigari possunt. Articulus 8.

INtuemur demũ in omnibus rebus bene ordinatis, quod ad perfectionem inferioris naturæ duo concurrunt. Vnum quod ei secundum motum proprium competit. Aliud quod secundum superioris naturæ influxum, quẽadmodum aqua proprio motu mouetur ad centrum, motu vero lunæ circa centrum motu fluxus atque refluxus: & in orbibus planetarum videmus quod duplici motu mouentur. Natura ergo rationalis, quia vnuersalem rationem boni & veri cognoscit, immediatum ordinem habet ad deum, cuius per cognitionem est capax. Ideoque eius perfectio non solũ in naturali cognitione consistit, sed in hoc quod diuinæ illuminationis supernaturaliter consors efficitur. Beatitudo autem hominis in supernaturali dei visione reponitur, ad quam homo pertingere nequit nisi per modum addiscẽtis, iuxta illud: Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me. Talis vero disciplinæ à deo doctore fit homo particeps, non statim, sed successiue secundum modum suæ naturæ. Addiscens autem ad perfectam scientiam venire non valet nisi credat doctori, vt etiam Aristotel. ait. Vnde peruenire non potest rationalis creatura ad dei clarã visionem, nisi per modum discipuli deo credat. Sicut autẽ per naturale lumẽ rationis assentimus primis principijs: sic per habitum & lumen fidei assentimus his quæ fidei sunt, & iudicamus quibus consentire oporteat.

2. ¶ Præterea, necessarium est fide assentire, non solum his quæ naturalẽ capacitatẽ excedũt, sed etiã his quæ naturaliter sciri possunt (sicut deũ esse & deum incorporeũ fore, ac talia propter tria. Primo, vt homo ad diuinorũ notitiã citiꝰ perducatur, quia scientia de diuinis & separatis substantijs & deo, vltimo dicitur & plura pręexigit. Ideoq; ad eã homines tarde venirẽt, nisi fide docerẽtur. Secũdo, vt agnitio de deo cõmunior fiat, nã multi ad Philosophiã indispositi sunt, & propter alias necessitudines, causas, & occupationes, studio inhærere non valent. Vñ propter istos fide tradẽda sunt, quæ ab aliquibꝰ naturaliter sciri possunt de deo atq; diuinis. Tertio ꝓpter certitudinẽ, tõ nanq; humana in indagatione diuinorũ debilis est & inter naturaliter philosophãtes de deo, multa discordia extat. Ideoq; nisi vulgꝰ per fidẽ immobilẽ instrueret, ignoraret quibꝰ pouꝰ crederet, esseq; pauca certitudo in diuinorũ notitia.

¶ Quod ad salutem requiritur aliquid explicite credere, & quod non omnes tenentur æqualiter ad fidem explicitam. Art. 9.

Porro præcepta, quæ homo implere tenetur, sunt de actibus virtutum. Actus verò ad obiectum referuntur. In obiecto autem cuiuslibet virtutis duo possunt pendi. Vnum quod est per se obiectum, & in omni actu virtutis directe intentum. Aliud quod secundario & quasi accidentaliter spectat ad propriam rationem obiecti. Obiectum autem fidei per se, est id quo homo beatus efficitur. Secundarium autem illa omnia, quæ in sacra scriptura contenta sunt, vt quod Dauid est filius Iesse. Determinatio denique actus virtuosi ad proprium & per se obiectum cadit sub præcepto, sicut & actus virtutis. Determinatio verò sit actus virtuosi ad id quod se secundario & velut indirecte habet ad obiectum, non est sub necessitate præcepti, nisi pro loco & tempore. Quantum ergo ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicite credere sicut & fidem habere tenetur. Sed quantum ad alia credibilia non tenetur explicite credere, sed implicite, vel in animi præparatione, prout, videlicet, paratus est credere quicquid in scriptura sancta asseritur. Tunc quoque explicitam tenetur fidem habere, cum agnouerit id, quod proponitur, in scriptura positum esse. Sed dicet forsitan aliquis, quia multi fuerunt qui non potuerunt fidem habere (quomodo enim credent sine prædicante) hi ergo, ad quos nemo missus est, non videntur ad fidem obligari. Respondendum quod ad multa tenetur homo quæ non potest, nisi auxilio gratiæ, sicut diligere deum & proximũ: ad articulos quoque fidei, quæ omnia patet per gratiam. Istud verò subsidium gratiæ, quibusdam misericorditer impartitur, quibusdam iuste negatur atque subtrahitur propter præcedens peccatum saltem originale, sicut admodũ in libro de correctione & gratia asserit Augustinus.

2 ¶ Præterea agnoscendum, quod explicite credere ea quæ fidei sunt, non est æqualiter ad salutem necessarium quo ad omnes. Explicatio namque credibilium fit per reuelationem diuinam, quæ ordinate deriuatur à superioribus ad inferiores, videlicet à deo ad angelos, & per angelos venit ad homines: sed & superiores homines, videlicet à deo illuminati instruere debent inferiores, vt Dionysius ait. Quemadmodum ergo superiores angeli perfectiorem notitiam habent de his de quibus inferiores illuminant, secundum Dionysium decimo capitulo de cælesti Hierarchia: sic superiores in hominibus, pleniorem habere debent notitiam credendorum, quam inferiores, & magis explicite credere, secundum Dionysium loco præfato. Vnde Gregorius dicit: quod minores in credendis, adhærere debent majoribus, quia vtique maiores plura credere obligantur. Denique minores examinandi non sunt de subtilitatibus fidei, nisi timeatur quod ab hæreticis sint depranati. Si autem inueniuntur peruersæ doctrinæ adhærere, non quidem pertinaciter, sed ex simplicitate, non eis imputatur.

¶ Vtrum fides mysterij Christi, & sanctæ trinitatis, explicita, fuerit semper ad salutem necessaria.
Articulus 10.

SVperius declaratum est, ea per se pertinere ad finem, per quæ æternam fœlicitatem consequimur. Quia ergo mysterium incarnationis passionisq; Christi via est ad beatitudinem, semper necesse fuit apud omnes mysterium incarnationis Christi aliquo modo credi: diuersimode tamen secundum diuersitatem personarum ac temporum. Nam ante peccatum primus homo habuit explicitam fidem de Christi incarnatione, secundum quod ordinatur ad consummationem glorię, non inquãtum ordinatur ad liberationem à peccato per passionem & resurrectionem. Non enim præscius fuit homo sui peccati. Videtur autem incarnationis præscius fuisse cum dixit: Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ. De quibus verbis ait Apostolus: Sacramẽtum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in ecclesia, quod sacramentum primũ hominem ignorasse non est credibile. Post peccatum verò fuit mysterium Christi explicite creditum, non solum quo ad incarnationem, sed etiam quo ad passionem & resurrectionem quibus à morte redimimur. Aliter non præfiguraſſet Christi passionẽ quibusdam sacrificijs, tam ante legem quàm sub lege: quorum quidam sacrificiorum rationem atque signatum, maiores explicite, minores verò implicite agnoscebãt, vtpote credentes ea diuinitus esse dispositа de Christo venturo. Postrò tempore gratiæ reuelatæ, omnes etiam minores habent fidem explicitam de mysterijs Christi, præsertim quo ad ea quæ communiter solennizantur & publice propo

Universidad de Deusto
Biblioteca

nuntur, vt sunt de incarnatione articuli. Considerationes vero subtiles circa incarnationem, aliqui magis vel minus credere tenentur, prout vniuscuiusque statui & officio cõuenit. Ex his innotescit, quod Ioannes Baptista, quando dixit: Tu es qui venturus es, & cætera: nõ quæsiuit an Christus venisset in carne, hoc enim agnouit. Sed secundum Gregorium, interrogauit, an in propria persona esset ad inferos descensurus: sciebat tamen, quod passio Christi vsque ad limbum patrum se extenderet, sicut prædictum est: Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua. Et quanuis Iohannes hoc nouerat, potuit tamẽ nescire an Christus in propria persona illuc descenderet. Secundum Ambrosium verò super Lucam, Iohannes non ex ignorãtia, sed ex pietate, interrogauit. Secundum Chrysostomum autem, quæsiuit vt discipuli eius magis instruerẽtur de Christo. Agnoscendum præterea, quod etiã quibusdam gentilibus de Christo reuelatio facta fuit, sicut Iob, & Sibillæ secũdum Augustinum. Tempore quoque Constantini sepulchrum inuentum est, in quo sepulrus erat homo, in cuius pectore erat aurea lamina habens inscriptũ. Christus nascetur de virgine, & credo in eum. O sol, Helenæ & Constantini temporibus iterum me videbis. Denique si qui saluati sunt quibus de Christo reuelatio facta non est, nec ipsi sine fide mediatoris saluati sunt, quia ad minus habuerunt fidem implicitam in diuina prouidentia: credentes deum esse mundi saluatorem, secundum modum sibi placentem, atque aliquibus ab ipso reuelatum. Vnde Augustinus in libro de correctione & gratia: Ista (inquit) est sana fides, qua credimus nullum hominem, siue maioris siue minoris ætatis, à contagione liberari peccati, nisi per mediatorem vnum dei & hominum Iesum Christum.

¶ Aduertendum est insuper quod cũ in mysterio Christi trinitas continearur, videlicet quod filius dei carnẽ assumpserit & per gratiam spiritussancti renouauerit mundum, atq; de spiritu sancto conceptus fit: ideo sine fide trinitatis explicite credi non potest mysterium Christi. Vnde sicut ante Christi aduentum aliqui habebant fidem de Christi mysterijs explicite, quidam implicite: pariformiter de fide trinitatis seruare oportet: quia maiores explicite eam credebãt, nam in veteri testamento sæpe innuitur. Non autem tenebantur omnes

eam explicite credere: nũc verò tempore gratiæ omnes obligantur manifeste credere supersanctæ trinitatis mysterium.

¶ *An credere sit meritorium? Et vtrum ratio humana diminuat meritum fidei.*
Articulus II.

ACtus proinde humani meritorij sunt, prout procedunt à libero arbitrio, à deo per gratiam moto. Vnde omnis actio, quæ libero arbitrio subditur, esse potest meritoria si sit in deum relata. Credere autem (vt dictum est) est actus intellectus, diuinæ veritati ex voluntatis imperio assentientis, gratia dei voluntatem mouente. Ideoque actus fidei meritorius esse potest. Denique natura comparatur ad gratiam, sicut materia ad formam, fides quoque cõparatur ad charitatem sicut dispositio præcedens formam: & igitur sicut materia seu dispositio non agit nisi forma adueniat, sic nec actus naturæ, nec fidei meritorius est, antequam charitas adsit, qua habita, vterque esse meritorius potest. Nam & actus scientiæ si ad charitatem, videlicet ad dei honorem, vtilitatemque proximi ordinetur, meritorius fit. In actu tamen scientiæ sunt duo, scilicet assensus, & ille non est meritorius, quoniam libero arbitrio non subditur, quia per vim demonstrationis, intellectus ad assensum cogitur. Actualis autem consideratio scientiæ voluntati subijcitur, & potest meritorius fieri. Actus vero fidei quo ad vtrumque videlicet assensum & vsum, meritorius esse valet. Intellectus enim non cogitur ad assensum, habet tamen sufficiens inductiuum, quia innititur authoritati diuinæ scripturæ, miraculis approbatæ: & quod potius est, quoniam interiori dei instinctu, fides in actum procedit. Porro opinio, quoniam non habet firmum assensum, non procedit ex voluntate perfecta. Ideoque ex parte assensus non apparet meritoria. Ex parte autem considerationis actualis, meritoria esse potest.

2. ¶ Præterea ratio humana dupliciter se potest habere ad id quod fides proponit. Vno modo quasi præcedens, sic quod homo non crederet nisi rationem talem audiret: & sic ratio diminuit fidei meritum, sicut passio præcedens diminuit laudem virtuosi actus, cum non propter passionem, sed rationis

iudicium, fieri debeant actiones virtutum. Secundo ratio humana se habet ad volnntatem credentis, per modum consequentem, quando videlicet credens, etiam ratione cessante, propter diuinam authoritatem promptissime crederet, tamē quia id quod credit diligit, veritatem fidei reuoluit, & ex eius amore rationes ad eius roborationem excogitat: & ita ratio humana est signum meriti amplioris, nec meriti rationem excludit, causamq; merendi non interimit. Itaque, quod ait Gregorius: Fides non habet meritum, cui ratio præbet experimentum: intelligendum est, quando homo voluntatem credendi promptam non habet, nisi propter vim rationis humanæ. Rationes præterea, quæ inducuntur ad fidem, non sunt demonstratiuæ, sed potius remouent fidei impedimenta, ostendendo ea non esse impossibilia, quæ asserit fides. Rationes verò demonstratiuæ, quæ ad aliqua quæ fidei sunt, scilicet quod deus est, & quod vnus est deus, adducuntur, sunt quasi præambula fidei, & quanuis diminuant rationem fidei, dum sciunt esse apparentia quæ proponuntur, non tamen diminuit rationem charitatis, per quam voluntas prompta est ad illa credenda, rationibus non adductis. Propterea non minuitur ratio meriti. Amplius autem sciēdum est, quod ea quæ fidem impugnant, siue interior consideratio, siue exterior persecutio, tanto magis meritum fidei augent, quanto in eorum resistentia ostenditur voluntas ad credendum deo promior aut robustior. Ideoque sancti martyres maximum fidei meritum habent, & post eos viri ingeniosi ac sapientes, qui propter rationes hæreticorum ac philosophorum, proprias quoque adinuentiones subtiles, non recedunt à fide. Vnde eis cooperatur in bonum, quod hæreses sciunt.

¶ Quod confessio est actus fidei 2. Et quomodo confessio fidei sit ad salutem necessaria.
Articulus 12.

INsuper actus exterior illius est actus virtutis, ad cuius finem ex propria specie ordinatur: quemadmodum ieiunare est actus abstinentiæ, cuius est carnem domare, conformiter quia confessio ordinatur ad id quod est fidei sicut ad finem, videlicet ad exteriorem locutionem ex fide manantem. ideo est fidei actus exterior, sicut interior conceptio

eorum quę fidei sunt, est interior actus. Est autē triplex confessio, quę in scriptura laudatur. Vna quę est actus fidei, vide licet protestatio credendorum. Secunda quæ est gratiarum actio & est actus latriæ. Tertia est confessio peccatorum, & est actus pœnitentiæ.

2. ¶ Denique confessio fidei cum sit quiddam affirmatiuum, non cadit nisi sub præcepto affirmatiuo. Præcepta autem affirmatiua obligant semper, sed non ad semper, imo obligant solum pro loco & tempore, & secundum aliquas circūstantias ad actum virtutis requisitas. Vnde fidem confiteri, solum est de necessitate salutis, quando per huius actus omissionem, honor dei, aut proximorum subtraheretur vtilitas. Si autem fides videtur periclitari, tunc quilibet tenetur fidem publice confiteri: si vero ex confessione fidei oriatur maior seditio, aut infidelium irrisio & nulla proximorum vtilitas, tunc non est laudabile fidem fateri, ne sanctum canibus detur.

¶ De diffinitione fidei secundum Apostolum.
Articulus. 13.

AD Hebræos ait Apostolus: Fides est substantiarerum sperandarum, argumentum non apparentium. Pro cuius declaratione sciendum quod habitus diffiniendus est per proprium actum, in ordine ad obiectum. Credere autem (quod est actus fidei) est actus intellectus, determinati ad vnum ex imperio voluntatis. Ideoque actus fidei ordinē habet, tam ad obiectum voluntatis, quod est bonum seu finis, quam ad obiectum intellectus, quod est verum. Cumque fides sit virtus theologica, habet idem pro obiecto & fine: vnde oportet obiectum & finem fidei sibi proportionaliter correspondere. Obiectum denique fidei est veritas prima inquantum est non visa, & ea quibus propter primam veritatem inhæretur. Sic ergo necesse est vt veritas prima se habeat ad fidei actum, secundum rationē finis, sub ratione non visi, quod pertinet ad rationem rei speratæ, secundum illud Apostoli: quod non videmus, speramus. Veritatem quippe videre, est eam habere. Quod autem quis habet, non speratː sperat vero id quod nondum habet. Sic itaque habitudo actus fidei ad finem, qui est voluntatis obiectum, si-

gnificatur in eo quod dicitur: fides est substantia rerum sperandarum. Solet nanque substantia dici prima inchoatio rei, præsertim cum tota res virtualiter continetur in tali principio: quemadmodum dicimus, quod prima principia sunt tota substantia scientiæ. Non enim capitur hic substantia prout dicitur aliquorum substantia. Fides ergo est substantia rerū sperandarum, id est, prima inchoatio rerum sperandarum in nobis, est per fidei assensum, qui in se virtute continet res sperandas. Nam in hoc fœlicitari speramus, quod aperte videbimus ea, quibus modo per fidem adhæremus. Porro habitudo actus fidei ad obiectum intellectus, prout est obiectum fidei insinuatur, cum dicitur: Argumentum non apparentium: & sumitur argumentum pro argumenti effectu, videlicet pro ipsa adhæsione intellectus ad non apparentem fidei veritatē. Vnde verba Apostoli in formam diffinitionis redigi possunt, vt dicatur: Fides est habitus mentis, qua inchoatur vita æterna in nobis. Patet ergo, quod non bene dicant, qui asserunt verba Apostoli non esse fidei diffinitionem, licet non ponatur in forma diffinitiua: imo omnia, per quæ fides diffiniri potest, Apostolus tangit. Aliorum vero diffinitiones non sunt nisi quædam explicationes diffinitionis Apostoli, vt quod Augustinus ait: Fides est virtus qua creduntur, quæ non videntur, & Damascenus. Fides est inquit, non inquisitus consensus. Quod proinde septimo capitulo de diuinis nominibus Dionysius dicit: Fides est manens credentium fundamentum, collocans eos in veritate, & in ipsis veritatem, idē est ei quod ait apostolus: Substantia rerum sperandarum. Agnoscēdum est autem, quod argumentum ex proprijs rei principijs sumptum, facit rem in seipsa apparentem. Argumentum vero ex diuina authoritate acceptum, non facit rem apparentem in se: & tale est fidei argumentum.

¶ De subiecto fidei 2. Et quemodo charitas dicitur fidei forma. Articulus 14.

DEnique ad perfectionem actus, ex duobus principijs procedentis exigitur, vtrumque actiuum principium esse perfectum ac bene dispositū: non enim esse potest perfecta serratio, nisi serans artem habeat, & serra dispositā sit. Dictum est autem, actū fidei ab intellectu à voluntate moto procedere. Ideo ad perfectionem actus fidei, oportet tam voluntatem quàm intellectum esse bene dispositum. Dispositio vero per quam potentia se ad opposita habens, ad bene agendum disponitur, est habitus. Intellectus ergo indiget habitu, quo ad actum credendi habilis fiat. Credere autem est immediate actus intellectus, quoniā verum est obiectum ipsius. Ideoque fides, quæ est principiū huius actus, est in intellectu. Et quoniam obiectum fidei est verum æternum, seu veritas prima: ideo fides est in intellectu speculatiuo. Sed quoniam veritas prima est omnium desideriorum actuumque nostrorum finis, secundum Augustinum primo de Trinitate: ideo fides per dilectionem operatur, quemadmodum & intellectus speculatiuus extensione sui fit practicus, secundum Philosophum tertio de anima. Vnde sicut ad perfectionem actus potentiæ concupiscibilis requiritur prudentia in ratione, & temperantia in concupiscibili, sic ad perfectionem actus fidei, requiritur in intellectu fides & in voluntate dilectio.

2. ¶ Propterea equidem dicitur charitas fidei forma, inquātum per charitatem actus fidei perficitur ac formatur. Vnumquodque enim per suam formam agit. Cum ergo (secundum Apostolum) fides per dilectionem operetur, recte charitas forma fidei perhibetur, non quidem intrinseca, quasi ex fide & charitate vna res constituatur, sed vt dictum est. Denique actus voluntarij speciem sortiuntur à fine. Illud autem à quo res speciem recepit, forma eius vocatur. Id igitur ad quod actus voluntarius ordinatur, forma & finis eius dici potest. Actus vero fidei ordinatur ad bonum diuinum, quod est charitatis obiectum, sicut ad finem. Et ideo charitas fidei forma censetur. Nil autem prohibet vnum actum à diuersis actibus vel habitib⁹ informati: & sic ad diuersas species ordine quodam reduci.

¶ An fides informis & fides formata sint eadem fides 2. Et vtrum fides sit virtus. Articulus 15.

DIXERVNT præterea quidam, alium esse habitum fidem formatam, & fidem informem: & quod ad ueniente fide formata, fides informis tollatur.

Itemque, quod post mortale peccatū, destructa fide formata, fides informis de nouo à deo infundatur. Istud autem inconueniens est. Nā domum dei nō infunditur propter mortale peccatum. Dicendum ergo, quod fides informis & formata non distinguūtur realiter. Habitus enim, seu virtus, nō diuersificatur nisi per id, quod per se ad ipsam pertinet. Cum ergo sit fides in intellectu per se, id tantummodo pertinet ad speciem fidei, quod pertinet ad intellectum. Ideoq;, siue charitas habeatur quæ ad voluntatem pertinet, siue non, fides vna numero manet. Licet ergo mortuum non fiat viuum, neque imperfectū perfectum, cum vita vel imperfectio est de ratione atque essentia rei: tamen cum aliquid viuum, aut imperfectum, seu perfectum dicitur, ratione alicuius accidentaliter adiuncti: tūc mortuum potest fieri viuum, imperfectūque perfectum: quemadmodum anima per peccatū mortua fit per gratiam viua: & sic est de fide informi, quæ viua efficitur per charitatem adiunctam.

2 ¶ At verò cum virtus sit quæ habentem perficit, & opus eius bonum reddit: ideo cum fides reddat actū hominis bonum, constat eam esse virtutem. Dictum est autem, quod credere est actus intellectus ex imperio voluntatis, ideo ad perfectionem fidei duo exiguntur. Vnum ex parte intellectus videlicet vt infallibiliter tēdat in suum bonum, quod est verum: aliud ex parte voluntatis, vt scilicet per charitatem ordinetur iste actus in vltimum finem: & vtrumque horū est in fide formata: ideo ipsa virtus est, non autem fides informis. Informitas enim facit eam deficere à perfecta ratione virtutis, cum virtus sit ex propria ratiōe quædam perfectio. Fidei autem informi deest id quod ex parte voluntatis requiritur.

¶ *Quomodo fides sit vna. 2. An omnium virtutum prima.*
Articulus 16.

FIdes præterea cū sit virtus & habitus, comparari potest ad obiectum. Et tunc fides est vna specie. Nam obiectum eius est vnum, videlicet veritas prima, cui innitēdo credimus quæcumque fide tenemus. Ex formali verò ratione obiecti, virtus speciem accipit. Secundo fides consideratur in ordinatione ad subiectum, sicque

diuersificatur numero, secundum diuersitatem credentium. Accidens nanque indiuiduatur per subiectum. Licet itaque fides respiciat æterna ac temporalia, tamen est vna, quoniā non est de temporalibus, nisi in ordinatione ad veritatem æternam. Sapiētia autem à scientia distinguitur, quia sapientia est de æternis, scientia de temporalibus, secundum Augustinum tertiodecimo de Trinitate, quia hi habitus considerant æterna & temporalia secundum propria rationes.

2 ¶ Sciendum præterea, quod virtus aliqua dici potest prior dupliciter. Primo per se, secundo modo per accidens. Per se ergo loquēdo, fides est virtutum omnium prima. Virtutes enim Theologicæ cæteris sunt priores, quoniam earum obiectum est vltimus finis. Finis autem in agibilibus, est sicut principium in speculationibus: sed necesse est vltimum finē prius esse in intellectu per cognitionem, quam esse possit in volūtate, in qua est per charitatem & spem. Cumque natura lis cognitio attingere deum non valeat, secundum quod est beatitudinis obiectū, oportet vt prius vniatur homo deo per fidem. Portò per accidēs dicitur aliqua virtus prima, in quātū remouet prohibens: sicut fortitudo esse potest prior fide, quia repellit inordinatum timorē quo quis à fide retrahitur. Humilitas quoque, quoniam expellit superbiam, per quā reputat intellectus se subdere veritati diuinæ, eo quod nequeat eam comprehendere. Spes etiam dicitur introducere ad fidē non quod fidem præcedat, sed quia facit fidei firmitet adhærere, atque in ea perseuerare. Verūtamen (teste Augustino in libro contra Iulianum) nulla est vera virtus nisi fide supposita. Fides enim ostendit omni virtuti debitū finem. Quod autem de fide dictum iam est, de fide formata intelligi potest. Fides nanque informis non est virtus completa.

¶ *Per quem modum fides certior est scientia, ac cæteris habitibus intellectualibus.*
Articulus 17.

CErtitudo autem veritatis dupliciter potest perpēdi. Vno modo ex parte causæ certitudinis, & sic quia diuina veritas est cui fides innititur omni sciētia, intellectualiq; habitu, ide certior est. Secūdo ex parte subiecti & sic cernus dicitur, quod cognoscentis intelle-

ctus plenius intuetur atque consequitur. Fides igitur, quia rationem naturalem excedit, & de non apparentibus est: ideo secundum hunc modum habitus intellectuales certiores sunt fide, innituntur enim rationi humanæ. Et quoniam vnumquodque iudicatur secundum suam causam simpliciter, secundum dispositionem vero subiecti secundum quid, ideo fides simpliciter loquendo, prædictis habitibus certior est. At vero quandoque habituum intellectualium duo, videlicet prudentia & ars, sunt circa contingentia. Fides autem circa æterna. Ideoque est eis certior. Aliquando vero tres habitus, scilicet sapientia, scientia, & intellectus sunt circa necessaria: quę tria quandoque nominant dona Spiritus sancti, quandoque vero accipiuntur vt sunt virtutes. Si ergo accipiuntur pro donis, tunc supponunt fidem. Vnde fides etiam hoc modo certior est eis, licet certitudo eorum manifestior sit. Nam per fidem peruenitur ad intellectum, secundum illud Isaiæ. Nisi credideritis, non intelligetis. Nihilominus tota certitudo istorum donorum procedit à certitudine fidei, sicut certitudo agnitionis conclusionum à certitudine principiorum. Vnde non est maior, quanuis apertior.

¶ An in Angelo & homine ante peccatum extitit fides? Et an in dæmonibus fides existat. Articulus 18.

AMplius autem cōstat, quod nec Angeli ante confirmationem, nec homo ante peccatum, visionem dei beatificam habuit nec vidit dei essentiam. Cū ergo fides sit argumentum non apparētium, quæ creduntur quæ non videntur: patet quod homo & Angelus in sua prima conditione fidem habuerit, nisi quis asserat eos in puris naturalibus esse creatos, & de his, quæ fidei sunt, nil prorsus nouisse, quod tamen dicendum non est. Erant enim in via accedendi ad deum. Accedentem autem ad deum oportet credere, secundum Apostolum. Ideoque erat in eis quædam inchoatio speratæ fœlicitatis ex gratia, per fidē in intellectu, per charitatem quoque & spem in voluntate. Sed considerandum, quod in obiecto fidei est aliquid formale, videlicet prima veritas, & quo ad hoc fidem habebant: & aliquid materiale, id scilicet, cui propter veritatem diuinam assensus præbetur. Et quia horum aliud est vni creditum, & ab alio scitum: ideo concedendum est quod angelus ante cōfirmationem, & homo ante peccatum, aliqua de diuinis mysterijs sciuit quæ modo sola fide tenentur. Quia (vt ait Hugo de sancto Victore in suis sententijs) nouit homo in primo statu creatorem suum, non ea cognitione quæ foris solo auditu percipitur, sed ea quæ intus per inspirationem ministratur. Clarior quippe erat ante peccatum contemplatio quā modo non tamen certitudo tanta quæ fidem excludit. Quod denique Hugo dicit: Non ea cognitione cognouit homo creatorem quomodo à credentibus absens fide quæritur, sed ea qua per contemplationis præsentiam manifestius cernebatur, quanuis verba hæc, magistralia sint, authoritatem tamen non habent. Proinde quod fides dicitur ex auditu esse, accipi debet, non solum de auditu humano exteriori, sed etiam de auditu interiori, quemadmodum scriptum est: Audiam quid loquatur in me dominus deus, & hoc modo audiebant eum Prophetæ.

¶ Ex præhabitis insuper innotescit, quod intellectus fidei assentit, non quia rem creditam videt, vel in se aut per resolutionem ad principium per se notum, sed ex voluntatis imperio: quod dupliciter contingere potest. Primo ex ordine voluntatis ad bonum, & sic credere est laudabile. Secundo quia intellectus conuincitur vt iudicet esse credendum his, quæ dicuntur, non propter euidentiam rei, sed signi, quo constat id quod dicitur à deo (qui mendacij confirmator esse nequit) proferri. Velut si propheta annunciet & miraculo id confirmet motuum suscitando, tali signo conuincitur ratio vt credat illud dici à deo, & isto modo est in dæmonibus fides. Vident namque manifesta iudicia, quibus certissime sciunt doctrinam ecclesiæ à deo. Ipsas verò veritates quas credit ecclesia, vt deum esse vnum, &c. non vident. Vnde dæmonum fides est quasi coacta, & etiam displicet eis tot fieri pro fide miracula. Ideoque nō est laudabilis, neque eorum malitiam minuit. Fides quoque dæmonum non est donum gratiæ. sed ex perspicacitate naturalis intellectus ad fidem coguntur. Fides enim quæ est gratiæ donum, inclinat hominem ad credendum secundum aliquem boni effectum, quanuis informis sit. Nunc igitur lucet, cur Iacobus dicat: Dæmones credunt & contremiscunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶Quod discredens in vno articulo fidei fidem non habet 2. Et qualiter fides vnius maior esse possit fide alterius. Articulus 19.

EX præinductis elucescit, fidem speciem ac vnitatem sortiri à formali ratione sui obiecti. Fidei autem obiectum est veritas prima, secundum quod in scriptura canonica atque doctrina ecclesiæ manifestatur. Quicunq; ergo doctrinæ ecclesiæ, quæ ex diuina veritate in scripturis manifestata procedit, non innititur, tanquam diuinæ ac infallibili regulæ: ille amittit formalem obiecti fidei rationem, nec innititur scripturarum authoritati, sed propriæ voluntati & sensui, qui credit scripturæ in vno & non in alio, & ob id in ipso fides non permanet. Vnde hæreticus discredens vnum articulum, fidem non habet nec formatã neque informẽ: Sicut qui vnum mortale peccatum cõmittit, charitatẽ penitus perdit, & ea quæ fidei sunt non seruat per fidem sicut fideles, sed alio modo, quemadmodum qui adhæret alicui conclusioni, & medium demonstrationis eius ignorat, nõ adhæret ei per sciẽtiam sed opinionem: ita hæreticus de alijs articulus non veram fidem, sed opinionem habet, secundum propriam voluntatem.

2. ¶Præterea fides sicut & quilibet habitus, considerari potest in ordine ad obiectum & item per comparationẽ ad subiectum. In obiecto autẽ fidei sunt duo, scilicet formale, quod est veritas prima, quæ est medium probandi cuncta quæ sunt dei sunt. Et quo ad hoc fides non diuersificatur in credendis, sed est vna in specie: hoc enim obiectum est vnũ & simplex. Aliud est materiale in fide, ea videlicet quæ propter primam veritatẽ creduntur: & hæc credi possunt magis vel minus explicite, sicque plura credere potest vnus quã alter, & hoc modo fides in vno maior est quàm alio. Si autem fides cõparetur ad subiectum, sic est actus intellectus à voluntate determinati & moti. Ideoq; fides vnius maior esse potest fide alterius, tam ex parte intellectus, propter ampliorem videlicet certitudinem & firmitatem, quã ex parte voluntatis propter maiorem credentis promptitudinem, deuotionem, vel confidentiam, secundum quod gratia dei est copiosior in vno quam altero. Nihilominus in omni credente exigitur, vt diuinæ veritati super omnia innitatur atque inhæreat.

¶Quod fides inest homini per infusionem à deo. 2. Et quod etiam fides informis sit donum gratiæ dei. Articulus 20.

DVo autem exiguntur ad fidẽ. Primo vt homini proponantur credẽda. Secundo requiritur assensus credentis. Cum ergo sit fides eorum notitia quæ rationem transcendunt necesse est principium istorum esse à deo credibilia reuelante. Quibusdam enim reuelantur immediate à deo, quemadmodum ait Apostolus: Quomodo prædicabunt nisi mittantur? Quantum ad secundum, potest duplex causa fidei considerari. Vna exterior ad fidem inducens, videlicet miraculum aut humana persuasio, quorũ neutrum est fidei causa sufficiens. Videntium nãq; idem miraculum, atque eandem prędicationem audientium, quidam credunt & alij non. Ideoq; præter hæc necesse est interiorẽ ponere causam, ad fidei assensum mouentem. Hanc autem Pelagiani asserebant solum liberum arbitrium hominis: dicẽtes initium fidei esse à nobis, inquantum parati sumus his quæ sunt fidei assentire, confirmationẽ verò fidei esse à deo. Hoc autem falsum est. Nam cum homo per fidem eleuetur supra suam naturam, videlicet ad supernaturalium veritatum considerationem: oportet hoc fieri à supernaturali principio, hominem interius mouente, videlicet deo: & ob id fides quã tum ad assensum, qui est principalis fidei actus, à deo est per gratiam eius.

2. ¶Insuper aduertendum, quod informitas fidei est quædam priuatio. Priuatio autem interdum est de propria ratione rei quemadmodum de ratione ægritudinis est incommensuratio seu distemperatio humorum. Quandoque autẽ priuatio non pertinet ad rationem rei, sed superuenit ei, sicut de ratione diaphani non est obscuritas. Quando autem assignatur causa rei, intelligitur assignari causa rei & eius quod pertinet ad rationem ipsius. Informitas vero non est de ratione fidei nec pertinet ad speciem eius, cum fides dicatur informis ratione formæ intrinsicæ, quæ est in voluntate, videlicet propter charitatis absentiam. Vnde sicut deus est causa fidei simpliciter dictæ, sic est etiam fidei informis causa: non tamen est causa informitatis. Itaq; cum aliquis fidem informem à deo recepit, nõ sanatur à deo totaliter, nec absoluitur à præcedẽti culpa infidelitatis, sed sanatur secũdũ

quid, vt scilicet cesset à tali peccato. Hoc autem sit sæpe vt quis deo agente cesset ab vno peccato, qui tamen propria iniquitate suggerente, non cesset etiam ab alijs: & sic datur aliquando homini à deo vt credat, non tamen datur ei charitas: sicut quandoque datur alicui donum prophetiæ vel aliud tale sine charitate.

¶ Quod fides est causa timoris 2. Et purificationis cordis. Articulus 21.

TImor denique ad virtutem appetitiuam pertinet & est motus appetitiuæ potentiæ. Omnium autē appetitiuorum motuum principium atque obiectum, est bonum vel malum apprehensum. Vnde appositio mali causat timorem. Quoniam ergo per fidem habemus notitiam de malis pœnalibus, à deo iustè infligendis pro culpis: propterea dicitur fides causa timoris. Fides enim informis est causa timoris seruilis: Formata vero est causa filialis timoris. Nam fides docet nos diuinam excellētiam & bonitatem. Et hinc oritur timor reuerētialis & castus. Docet quoque iusta dei iudicia, & sic efficit timorem seruilem. Vnde Iacobus: Dæmones (inquit) credunt & contremiscunt.

2. ¶ Porro impuritas rerum inde consurgit, quod rebus vilioribus commiscentur: velut si aurum vniatur plumbo. Si vero coniungitur aliud suo superiori, inde purificatur aut melioratur. Rationalis autem creatura inferioribus atque caducis ac sensibilibus cunctis præstantior est: & cum illis commiscetur siue inhæret, fœdatur. Cum autem ad deum & ad superiora conuertitur, sanctificatur. Huius vero quod homo ab inferioribus se elonget & ad diuina conuertat, primum principium est fides. Nam accedentem ad deum credere, & quidem fides informis impuritatem ignorantiæ delet, cùm autem di charitas copulatur, omnia cordis crimina delet, quia vniuersa peccata operit charitas. Propter prædicta, ait Petrus: Fide purificans corda ipsorum.

¶ Quod intellectus sit donum sancti spiritus 2. Positique simul in eodem esse cum fide. 3. Et vtrum sit speculatiuus vel practicus. Articulus 22.

COgnitio autem sensitiua & intellectiua in hoc differūt, quod sensitiua cognitio est circa exteriores rei qualitates & circa accidentalia rei: intellectus autē designat quandam intimam rei notitiam. Dicitur nanque intelligere, quasi intus legere. Vnde intellectus continetur essentiam rei, sub exterioribus formis latentem. Nam obiectum eius est quod est. Multa sunt autem quæ interius latent, ad quæ intellectum penetrare oportet. Nam sub accidentibus latet natura, sub verbis significatiua, sub similibus & figuris veritas figurata, sub effectibus causa, & vice versa. Lumen denique naturale ipsius intellectus finitæ veritatis est. Vnde non nisi ad determinatum aliquid pertingere potest. Multa sunt itaque ad quæ per se peruenire non valet, quæ videlicet naturalem rationem transcendunt: indiget ergo supernaturali quodam lumine, quo roboratus ad supernaturalia intelligenda penetret, & hoc lumen dicitur donum intellectus. Patet ergo, quod intellectus quandoque est nomen potentiæ, interdum autem est nomen habitus. Hic vero pro dono accipitur. Porro lumen istud ita se habet ad ea quæ nobis supernaturaliter innotescunt, quemadmodum lumen naturale ad ea quæ naturaliter agnoscuntur. Vnde istud lumen non dicitur ratio, sed intellectus. Ratio quippe semper ab intellectu principiorum incipit, & ad conclusionis intellectum terminatur. Ratiotinamur nanque ab aliquibus intellectis inchoantes, tuncque rationis discursus perficitur, dum id quod ante ignotum erat, intelligimus.

2. ¶ Præterea, intellectus prout est donum, esse potest simul cum fide in vno, nec prohibet ea quæ fidei sunt, hoc modo intelligere: circa quod aduertendum quod quædam cadunt directe sub fide vt articuli fidei: quædam secundario, quæ videlicet ordinantur ad fidem, quemadmodum alia vniuersa in sacra scriptura contenta. Rursus intelligi aliquid dupliciter dicitur: vno modo perfecte, quando videlicet essentia rei in seipsa cognoscitur, & sic ea quæ directe ad fidem pertinent, intelligi in hac vita præsenti non valent. Secundo modo intelligi dicitur aliquid imperfecte, non quod natura eius in ipsa sciatur, vel quod veritas propositionis agnoscatur, quomodo sit: cognoscitur tamen quod ea quæ forinsecus per sensum vel per naturalem rationem apparent, veritati creditæ non contrariantur, & sic ea quæ fidei sunt,

intelligere dicimus, inquantū videmus propter ea quæ exterius apparent, non esse recedendum à fide, sicque fides & intellectus sunt simul.

3. ¶ Ex his elucescit, vtrum intellectus, qui est donum, sit speculatiuus an practicus. Dictum est enim, quod quædam principaliter & directe cadunt sub fide, quæ videlicet speculabilia tantum sunt, & omnem rationem excedunt. Et respectu horum est principaliter intellectus. Secundario autem cadunt sub fide actus humani, inquantum ordinantur ad fidei finem: & circa hæc operabilia est etiam donum intellectus secundum quod in agendis regulamur rationibus æternis legis diuinæ, & prout referuntur ad fidem felicitatis æternæ, quibus conspiciendis & consulendis inhæret, secundum Augustinum duodecimo de trinitate, superior ratio: quæ vtiq; ratio intellectus dono perficitur & sic actus humani sortiuntur excellentiam quendam. Itaque intellectus iste est principaliter speculatiuus. Quia tamen fides per dilectionem operatur, ideo secundario est quodammodo practicus. Sicut in psalmo habetur: Intellectus bonus omnibus facientibus eū. At vero humanorum actuum regula duplex est, scilicet ratio humana, & lex diuina. Sicut igitur lex diuina rationem naturalem excedit, sic humanorum agnitio actuum, prout diuina lege regulantur seu diriguntur rationem transcendit & ita sub fide & intellectu (fidei donum est) cadunt.

¶ Quod donum intellectus sit in omnibus habentibus gratiam. 2. Et solum in eis. 3. Et quod donum intellectus à cæteris donis distinctum sit. Articulus. 23.

AT vero in omni habente gratiā necesse est esse rectitudinem voluntatis circa vltimum finem. Nā secundum Augustinum, volūtas per gratiam præparatur ad bonum. Ad ordinationem autem voluntatis ad deum requiritur cognitio intellectus, quæ est per fidem. Et sicut per donum charitatis ordinatur ad deum voluntas, sic deus per donum intellectus illuminat mentem, vt supernaturalem veritatem recte cognoscat, in quam tendere voluntatem oportet. Ideoque sicut donum charitatis omnibus gratiam habentibus in est, sic & donū intellectus. Verū tamen habens gratiam gratum faciētem pati potest hebetudinem mentis, contra quam, secundum Gregorium in secundo moralium, datur donum intellectus, in his quę non sunt de necessitate salutis: sed circa ea quæ de necessitate salutis sunt, instruitur sufficienter à deo, secundum illud Iohannis: Vnctio docet vos de omnibus. Et ita patet quomodo dicat Gregorius, quod donum intellectus sanctis interdum vtiliter subtrahitur, ne in elationem erigantur.

2. ¶ Præterea sciendū, quod donum intellectus solis habētibus gratiam inest. Dona etenim spiritussancti perficiunt animam, inquantum ipsa est mobilis à spiritu sancto, & supernaturale donum intellectus animam perficit, inquātum circa vltimi finis notitiam dirigibilis est. Hæc autē motio, est consideratio qua homo apprehendit veritatem circa vltimū finem: & ob id nisi de illo veram æstimationē habeat donū intellectus nondum susceptit. De vltimo vero fine veram æstimationem non habet, nisi qui circa illum non errat, sed ei tā quam optimo firmiter inhæret. Hoc autem nō est nisi habētibus gratiam gratum facientem, quemadmodum in mortalibus habet homo rectam æstimationem de fine per habitum virtutis. Ex his patet, quod fides importat solum assensum ad ea quæ fidei sunt. Intellectus autem penetrationem vel perceptionem quandam importat veritatis, eorū quæ fides proponit circa vltimum finem. Porrò in Daniele scriptum est: In telligentia est opus in visione. Illic aliter capitur intelligentia quam hic, vtpote pro illustratione circa dicta prophetica, quæ sine gratia esse potest.

3. ¶ Præterea, distinctio doni intellectus à tribus, videlicet pietate, fortitudine, & timore, euidens est, cum illa ad vim appetitiuam pertineant. Intellectus ad cognoscitiuam potentiam. Alia vero tria dona, scilicet sapientia, scientia & consilium & etiam intellectus, ad supernaturalem cognitionem fidei ordinantur. Fides autem est ex auditu, & non de te visa. Et primo quidem circa primam veritatem, secundario quoque circa quasdam creaturas, in ordine ad deum consideratas, & vltra extenditur ad actus humanos, quia fides per dilectionem operatur. Itaque circa credenda per fidem, duo exiguntur ex parte nostra. Primo vt intellectu quodammodo perspiciantur ac penetrentur, & hoc fit per donum intellectus. Secundo, vt de his habeat homo rectum iudicium, quateaus æstimet eis firmiter inhærendum

Universidad de Deusto
Biblioteca

atque ab eorum oppositis præcauendum. Hoc autem iudicium, quantum ad res diuinas, pertinet ad donum sapientiæ quantum vero ad res creatas, ad donum scientiæ. Quo ad operationes autem humanas, videlicet quantum ad applicationem ad singularia opera, pertinet ad donum consilij. Alij aliter distinguunt ista dona, dicentes quod donum scientiæ & consilij pertinent ad practicam cognitionem: intellectus autem ad speculatiuam. Intellectum quoque à dono sapientiæ diuidunt, quoniam ad sapientiæ donum iudicium pertinet. Ad intellectum vero capacitas seu penetratio intima eredendorum. Hæc autem distinctio non apparet valere, quia (secundum præhabita) donum intellectus non solum respicit speculanda, sed etiam operanda. Similiter donum scientiæ, sicut patebit. Denique tam donum intellectus quàm fides sunt circa prima principia cognitionis gratuitæ, scilicet articulos fidei. Differmiter tamen. Fidei enim est eis assentire, intellectus vero, quodammodo penetrare.

¶De beatitudine correspondente dono intellectus 2. Et quomodo fides dicitur fructus intellectus. Ari. 24.

Sicut in libro de sermone domini in monte ait Augustinus: Sexta operatio Spiritussancti, quæ est intellectus, conuenit mundis corde, qui purgato oculo videre possunt, quæ oculus non vidit. Vnde sexta beatitudo, videlicet: Beati mundo corde, correspondet dono intellectus. In hac autem beatitudine, sicut in cæteris, duo continentur. Vnum per modum meriti, scilicet cordis munditia: aliud per modum præmij, scilicet visio dei: & horum vtrumque ad donum intellectus quodammodo pertinet. Est nempe duplex cordis munditia, vna quasi præambula ac dispositiua ad dei visionem, quæ est expurgatio affectus ab affectionibus inordinatis, & fit per virtutes & dona, vim appetitiuam perficientia. Alia est cordis munditia, quæ est quasi completiua respectu visionis diuinæ: & hæc est munditia mentis à fantasmatibus atque erroribus depuratæ, quando diuina non corporaliter neque fideliter, sed syncera acie conspiciuntur: & hanc efficit donum intellectus. Conformiter visio dei est duplex, vna perfecta, quæ est diuinæ essentiæ clara inspectio, quæ est in patria. Alia est dei visio imperfecta, in qua licet

non videamus de deo quid sit, cernimus tamen quid nō est. Et hæc notitia est tanto perfectior: quanto amplius videmus deum excedere omnia, quæ de ipso dicuntur. Vtraque autem visio pertinet ad intellectum. Prima ad donum intellectus consummatum, prout habetur in patria. Secunda ad donum inchoatum in via.

2. ¶Insuper aduertendum, quod finis rei dicitur fructus eius. Fructus ergo spiritus sunt quædam vltima & delectabilia, quę in nobis ex virtute Spiritussancti proueniunt, tale autem vltimum habet rationē finis, qui est voluntatis obiectū. Vnde id quod est vltimum delectabile in voluntate, est quodammodo fructus omnium ad alias potentias pertinentiū. Fructus ergo boni, vel virtutis potentiam perficientis est duplex. Vnus ad suam potentiā pertinēs, & sic dono intellectus correspondet pro fructu fides, id est, fidei certitudo. Intellectus quoque qui est donum, est fructus fidei, quæ est virtus. Secundo modo dicitur fructus, vltimum quoddam pertinēs ad voluntatem, & sic dono intellectus correspondet gaudiū, dono autem consilij non correspondet proprie aliquis fructus. Quoniam consilium pertinet ad practicam cognitionem duntaxat. Practicæ verò cognitionis fructus esse non potest in ipsa, cùm talis cognitio non habeatur propter se sicut speculatiua, sed referatur ad aliud. Denique donis sapiētiæ, intellectus, atque scientiæ correspondet vnus tandummodo fructus, videlicet certitudo significata nomine fidei. Donis autem quæ ad vim appetitiuam respiciunt, plura dona correspondent, quia ratio finis, qui includitur in ratione fructus, ad appetitum potius pertinet.

¶Quod scientia est donum 2. Et quod pertinet ad res creatas. Articulus 25.

Natura proinde non vtique perfectior est quā gratia, sed è contra. Ideoque gratia non deficit in his in quibus homo per naturam perfici potest. Circa veritatem autem naturaliter cognitam, dupliciter perficitur intellectus. Primo quod veritatem conspicit, secundo quia de ea rectum iudicium habet. Cōformiter in his quę fidei sunt, intellectus duobus perficitur. Primo vt credenda sane accipiat, quod ad donum intellectus pertinet: secundo

vt de eis certum iudicium habeat, & credenda à nõ credendis discernat. Tale autem iudicium circa creata credenda ad scientiam pertinet, prout hic accipitur: ideoque est donum. Et sicut scientia dei non est discursiua nec raciocinatiua sed absoluta & simplex: sic scientia, quæ est donũ, non est discursiua, sed est diuinæ scientiæ similis, cum sit quædam participata similitudo ipsius. Portò circa credibilia duplex assignatur scientia: vna de qua nunc est dictum, quæ est donum sancti spiritus, & est omnibus communis gratiam habentibus. Alia est qua homo scit ea quæ fidei sunt manifestare, explanare, persuadere, defendere. Et de ista scientia ait Augustinus, quod licet plures fideles polleant fide, non tamen scientia. Amplius quoque sciendum, quod licet dona virtutibus moralibus & intellectualibus perfectiora sint, non tamen virtutibus theologicis: imo omnia dona ad eas tanquã ad finẽ ordinantur, & ob hoc non est inconueniẽs si vni virtuti theologicæ plura dona respondeant, sicut & fidei correspondent intellectus & scientia.

2. ¶ At verò certum rei iudicium ex causa sua potissime sumitur. Ideo secundum ordinem causarum est ordo iudiciorum. Et sicut causa prima est causa causæ secundæ: sic de causa secunda iudicatur per causam primam. De causa autẽ prima nõ potest iudicari per causam aliam. Vnde iudiciũ quod datur per primam causam, perfectissimum primumque existit. In his verò, in quibus est vnum perfectissimum, aliquod speciale nomen adaptatur perfectissimo. Nomen autem generale reseruatur inferioribus. Cumque nomen scientiæ iudicium quoddam certum importet, & iudicium quod sit per altissimam primamque causam, proprio nomine dicatur sapientia: ideo nomen scientiæ reseruatur iudicio quod de rebus creatis atque humanis habetur, & circa illas est tantum donum scientiæ.

¶ Vtrum scientia, quæ est donum, sit practica. 2. Et quæ beatitudo correspondeat ei. Articulus 26.

EX præostensis nunc patuit, quod tam causa scientiæ quàm intellectus donum, ad fidei certitudinem ordinetur. Cùm ergo fidei obiectum formale sit veritas prima, fides primo & principaliter in contemplatione

consistit. Sed quia veritas prima est vltimus hominis finis, propter quem omnia agimus: Ideo fides ad operationem se extendit: nam per dilectionem operatur. Pariformiter donum scientiæ primo atque præcipue ad speculationem se habet, quia per ipsum agnoscimus quid circa creata tenendum sit fide. Secundario autem etiam ad operationem extenditur, prout per scientiam dirigimur in agendis, circa ea quæ ad credibilia consequuntur. Porro sicut non omnis qui intelligit, habet donum intellectus, sed qui intelligit ex habitu gratiæ: Sic illi duntaxat donum scientiæ habent, qui ex infusione gratiæ certum iudicium habent circa credenda atque agenda: sic quod à rectitudine iustitiæ in nullo aberrent. Hæc est autem sanctorum scientia, de qua dicitur: Iustum deduxit dominus per vias rectas, & dedit illi scientiam sanctorum.

2. ¶ Igitur ad scientiam pertinet rectum de creaturis in ordine ad vltimum finem, iudicium. Ex creaturis verò homo occasionaliter à deo auertitur. Iuxta illud: Creaturæ factæ sunt in odium: & in muscipulam pedibus insipientium, vtpote, qui in eis finem sibi constituunt. Per donum autem scientiæ docetur homo de creaturis recte sentire, ac per hoc ei innotescit peccatum & damnum, quod incurrit eis etroneè inhærendo, ex qua insuper agnitione oritur luctus. Vnde tertia beatitudo, videlicet: Beati qui lugent, respondet dono scientiæ. Dicit enim Augustinus in libro de sermone domini in monte: Scientia conuenit lugentibus, qui didicerunt quibus malis vincti fuerunt, quæ quasi bona petierunt. Secundario tamen dono scientiæ respondet consolatio, dum homo per iudicium scientiæ ordinat creaturas ad bonum diuinum. Bona nempe creata spirituale non excitant gaudium, nisi referantur ad deum. Ideoque pax, & gaudium consequens, dono sapientiæ correspondent directe. Contuendum est quoque, quod dono scientiæ ratione considerationis, nulla beatitudo correspondet, quia in solius dei speculatione fœlicitas ponitur. Sed beatitudo hominis in debito vsu & ordinata affectione creaturarum quodammodo sita est, & hoc quantum ad beatitudinem viæ, & ergo non attribuitur scientiæ beatitudo ad contemplationem respiciens, sed consolatio quæ hic inchoatur, & in futuro perficitur.

¶ *De peccato infidelitatis 2. De subiecto eius 3. An infidelitas sit maximum peccatorum. Artic. 27.*

COgnoscendum est insuper, quod infidelitas quandoque accipitur purè negatiue, vt ex hoc solo dicatur infidelis, quoniam fidem non habet: & sic infidelitas in his qui nihil de fide audierunt, non habet rationem culpæ sed pœnæ, quæ pœna seu ignorantia ex primi parentis peccato secuta est. Et hi damnantur non propter infidelitatis peccatũ, sed ad alia crimina, quæ sine fide remitti non possunt. Vnde super illud Ioannis. Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. ait Augustinus. Q uod dominus loquitur de peccato illo, quo non crediderunt in Christum. Secundo modo infidelitas sumitur secundum contrarietatem ad fidem, vt dum quis resistit auditui fidei, vel fidem contemnit, & in hoc ratio infidelitatis consistit, sicque peccatum vocatur. Oritur enim ex superbia, quia non dignatur se homo scripturæ sanctæ subijcere. Vnde ad peccatum superbiæ infidelitas potest reduci. Sciendum autem, quod sicut virtutes Theologicę non reducuntur ad cardinales sed sunt eis priores, sic quoque non oportet peccata theologicis virtutibus contraria ad septem vitia capitalia reduci.

2. ¶ Denique contrariorum est idem subiectum: Ideo sicut fidei subiectum est intellectus, sic & infidelitatis, quæ fidei contrariatur. Proprie enim dicitur esse peccatum in illa potentia, quæ est principium actus peccati. Intellectus vero est proxima causa actus infidelitatis. Est autem duplex principium actus: vnum quasi primum & vniuersale, quod impetrat omnes actus, & sic voluntas est causa infidelitatis. Aliud est principium proximum & proprium actum eliciens, & ita est intellectus subiectum & causa infidelitatis.

3. ¶ Præterea, cum peccatum formaliter in auersione mentis à deo consistat, tanto peccatum est grauius, quanto à deo magis elongat. Infidelitas vero maxime elongat à deo, quia infidelis nec valet de deo notitiam habere. Nec potest quantum ad aliquid cognoscere deum, quia de eo falsam opinionem habet: nam quod opinatur esse deum, deus non est. Vnde omnium peccatorum, quæ circa peruersitatem morũ, (id est quæ contrariantur virtutibus moralibus) contingunt, infidelitas grauissimum est: seruus vero est de alijs vitijs, quæ

contrariantur virtutibus theologicis, sicut patebit. Dicit autẽ Augustinus, & habetur in iure, quod non audet præcipitare sententiam de hoc. An fidelis pessimis moribus imbutus, peior sit hæretico qui aliunde malus non est, an non: nam quamuis peccatum hæretici ex genere grauius sit, potest tamen ex circunstantia leuius fieri quibusdam peccatis eius qui credit.

¶ *An quælibet actio infidelium sit peccatum 2. Et de speciebus infidelitatis 3. Et quorum infidelitas grauior est. Articulus 28.*

PEccatum proinde mortale gratiam gratificantem penitus tollit: naturale tamen bonum, seu dona naturæ, non aufert. Infidelitas autem mortale peccatum est, non ergo potest infidelis aliquid meritorie agere. Potest tamen aliquod bonum morale, ad quod naturalis potentia se extendit, operari. Vnde non oportet quod infidelis in omni actu peccet. Itaque quod Apostolus ad Romanos ait: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Itemq; quod illic Glossa adiungit: Tota vita infidelium peccatum est, intelligi debet quod vita infidelium sine peccato esse non potest: vel quia quicquid ex infidelitate operantur, peccatum est. Nam sicut fidelis non peccat faciendo actum, quem ad fidei finem non ordinat: dummodo non ordinet ad finem cõtrarium virtuti ac fidei, sic infidelis aliquid sine peccato efficere potest, dum illud ad suæ perfidiæ finem non refert. Quicquid autem ad finem, quem sperat in sua secta, refert, hoc culpa est. De Cornelio quoque centurione sciendum, quod fidem implicitam habuit.

2. ¶ Præterea virtus in eo consistit, quod rectæ cognitionis vel operationis regulã mediumq; attingit quod vno dumtaxat modo cõtingit. Vnde de 4. ca. de diuinis no. Dionysius dicit: Bonũ vno modo efficitur, malum verò multipliciter. Et idem secundo Ethicorum Aristoteles ait: Propterea vni virtuti plura vitia opponuntur, quorum diuersitas consideratur dupliciter. Primo secundum diuersam habitudinem ad virtutem, & sic species vni virtuti oppositæ determinatæ sunt. Nam virtuti morali opponitur vnum vitium secundum excessum: aliud secundum defectum. Secundo diuersitas ista attenditur secundum corruptionem circunstantiarum, & eorum quæ ad virtutem exiguntur: & sic vni virtuti, vt sortitudini, & cætera, infinita vitia opponuntur, prout mini-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis modis contingit varias circunstantias, quæ ad virtutem requiruntur corrumpi. Itaque secundum primum modum tres assignantur species infidelitatis, nam infidelitas principaliter consistit in quodam veritatis renisu atque contemptu: quod dupliciter accidit, quia vel renititur quis fidei nondum susceptæ. & sic est infidelitas gentiliũ seu paganorũ. Aut renititur fidei Christianæ susceptæ. Et hoc dupliciter, vel in figura, & sic est infidelitas Iudæorum, qui veterem legem suscipiunt quæ nouæ legis figura est: vel in manifestatione, & sic est infidelitas hæreticorum, qui euangelicam legem recipiunt.

¶ Si autem secundo modo pensetur diuersitas infidelitatum, sic indeterminate sunt species infidelitatis, secundum quod circa fidem infiniti errores accidere possunt, vt in libro de hæresibus Augustinus inducit. Denique formale obiectum infidelitatis non est veritas prima, sed sententia ei falsè adhęretur. Veruntamen veritas prima est obiectum infidelitatis secundum rationem mali, inquantum per eam à summa veritate receditur, sed inde infidelitas non suscipit speciem, sed potius est speciei priuatio.

3. ¶ Insuper aduertendum, quod si attendamus in infidelitate comparationẽ eius ad fidem, sic eorum infidelitas, qui veritati fidei susceptæ repugnant, grauior est: & ita infidelitas hæreticorum grauissima est, deinde Iudæorum, postremo paganorum. Secundo considerari potest in infidelitate corruptio alicuius, quod ad fidem requiritur. Cum ergo in pluribus errent pagani quàm Iudæi, & Iudæi quàm hæretici: ideo hoc modo grauior est infidelitas paganorum infidelitate Iudæorum, & iudæorum quàm hæreticorum, nisi forte quorundam, puta Manichæorum, qui circa fidei veritatem plus errant quàm pagani. Iterum autem grauitatem primæ præponderat secundum rationem culpæ, quoniam infidelitas culpam potissimè habet propter veritatis renisum. Plus autem veritati renituntur qui veritatem semel nouerunt. Vnde simpliciter loquendo, hæreticorum infidelitas est grauissima, paganorum leuissima, Iudæorum autem est media, nam & ipsi recipiunt Christianæ fidei veritatem in figura, quam male exponunt.

¶ Quando cum infidelibus disputandum est publicè 2. Et verum infideles ad fidem compellendi sint 3. Et an liceat fidelibus communicare cum infidelibus. Articulus 19.

PRimo in disputatione duo pensanda sunt. Vnum ex parte disputantis, videlicet intentio. Si namque disputet tanquam dubitans, & fidei argumenta experiri intendens, nec fidem pro certo supponens: tunc peccat tanquam infidelis. Quod si disputet propter confutandos errores, aut propter exercitium, laudabile est. Secundo attendenda est qualitas audientium, quia vel sunt eruditi, & in fide firmati ac sapientes, & coram illis disputare non extat periculum: vel sunt simplices & in fide minus instructi: & tunc distinguendum videtur. Nam aut sunt de fide pulsati, aut solicitati per infideles, fidem eorum corrumpere satagentes: & tunc necesse est coram eis publice disputare de fide, si assint idonei, qui disputare possint, quorum taciturnitas foret robur erroris. Vnde Gregorius in secundo libro Pastoralis: Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, sic indiscretum silentium eos qui audire poterant, in errore relinquit. Si vero simplices nõ sint ita de fide pulsati, tunc periculosum est coram ipsis disputare de fide, præsertim cum eorum fides tanto sit firmior, quo nihil à sua fide diuersum audierunt. Vnde non expedit eis verba perfidorum audire. Ex istis patet quomodo dicat Apostolus: Noli verbis contendere. Itemque lex Martiani Augusti per canones confirmata, sic dicit: Iniuriam facit iudicio religiosissimæ synodi, si quis semel iudicata ac rectè disposita reuoluere & publicè disputare contendit: hoc quippe vult, quod disputandum non est de talibus ex dubiosa inquisitione.

2. ¶ Denique infidelium quidam fidem nunquam receperũt & hi ad fidem nequaquã cogẽdi sunt. nam credere est solum volentis, secundum Augustinum. Attamen si adsit facultas, cohibendi sunt ne fidem aliquo modo impediant. Ideo enim contra eos Christiani belligerant frequẽter, quos tamen etiã si victi & capti fuerint, ad fidem non cogunt. Alij sunt infideles qui fidem semel professi sunt, vt hæretici atque apostatæ: & tales quoque corporaliter ad credendum cogẽdi sunt, quatenus quod promiserunt ac susceperunt, tenendo adimpleant. Nam sicut vouere est voluntatis, reddere autem necessitatis, sic fidem suscipere voluntatis est, susceptam verò tenere, necessitatis. Quod vero dominus in euãgelio prohibet zizania colligi, ne simul eradicetur & triticum, intelligendũ est (secundum Augustinum) quando ex occisione hæreticorũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

inflat periculum occisionis fidelium: illo tamen metu sublato, non sunt tolerandi hæretici.

¶ Præterea, communio alicuius personæ interdicitur Christiano dupliciter. Primò in pœnam eius cui auferitur cõmunio, scilicet excommunicato. Secundò oportet cautelam eorum qui alijs communicare vetantur. Cum ergo ecclesia de his qui fidem nunquam receperunt, iudicare non habeat spirituali iudicio, dicente Apostolo: Quid mihi de his qui foris sunt iudicare, sed temporali duntaxat, quando videlicet inter fideles morantur & peccant: propterea non prohibentur fideles secundum primum modum communicare Iudæis neque paganis, dicit nempe Apostolus. Si quis vos vocat infidelium ad cœnam, & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate. Sed his qui fidem receptam reliquerunt, isto modo est subtrahenda communio. Nam & excommunicationis sententiam contra eos profert ecclesia. Quo ad secundum vero modum quãdo videlicet propter cautelã prohibetur communio, distinguendum est secundum diuersitatem personarum, negotiorum, & temporum. Nam si fideles sint tales quod potius speranda est infidelium conuersio ad Christum quàm fidelium à fide auersio, tunc communio mutua prohibenda non est, quo ad eos qui fidem nunquam habuerunt, maxime si vrget necessitas. Si verò fideles sint simplices & in fide non bene fundati, ita quod de eorum subuersione timendum apparet, tunc prohibendi sunt à communione perfidorum, & potissime à magna familiaritate, & cũ nulla occurrit necessitas. Vnde Deut. 7. dicitur: Non inibis cum eis fœdus, &c. Iudei namque ad idololatriam proni erãt. Nihilominus potest ecclesia propter specialem causam, communionem fidelium infideli subtrahere.

¶ Amplius autem sciendũ, quod licet fidelibus infideles seruos habere, quia probabilius est quod seruus sequetur dominum, quàm dominus seruum. Si tamen domino ex tali seruo immineret periculum, eum abijcere statim deberet, sicut scriptum est. Si pes tuus scandalizat te, erue eum, &c.

¶ An infideles habere possint prælationem atque dominium super fideles? et vtrum infidelium ritus sint tolerandi. Art. 30.

COnsiderandum præterea, quod dominium & prælatio hominum sunt inducta ex iure humano. Distinctio autem fidelium & infidelium oritur ex iure diuino, quod est ex gratia, non tollit ius humanum, quod est ex naturali ratione. Ideoque distinctio fidelium secundum se non tollit prælationem neque dominium infidelium super fideles. Veruntamen de ista prælatione dupliciter possumus loqui. Vno modo de prælatione quasi de nouo instituenda: & sic nullatenus permittendum est vt infideles dominentur fidelibus, tum propter vitandum scandalum, tum propter vitandum periculum. Faciliter enim homines imitantur eos quorum iurisdictioni subduntur. Tum propter vitandum fidei contemptum, quam infideles contemnunt, dum fidelium defectus cognoscunt. Vnde Apostolus ad Corint. prohibet fideles apud infideles litigare aut iudicari.

¶ Secundo loqui possumus de dominio præexistente, & sic (vt dictũ est) possunt infideles dominari fidelibus, quod tamen dominium potest ecclesia, dei potestatem habens, ab infidelibus tollere, eo quod merito suæ perfidiæ, merito perdant authoritatem super fideles, qui transferuntur in libertatem filiorum dei, & interdum quidem ecclesia facit hoc quãdoque non facit. Nam de illis infidelibus, qui ecclesiæ & mẽbris eius subijciuntur, ecclesia statuit, vt seruus Iudæorum Christianus effectus mox à seruitute liberetur nullo præcio dato, si sit vernaculus in seruitute natus. Si autem emptus est ad mercationem, tenetur eũ Iudæus infra tres menses ad vẽdendum exponere. Et hoc ecclesia iuste agit. Cum enim Iudæi sint serui ecclesiæ, potest ecclesia de eorum rebus rite disponere. In illis autem infidelibus, qui potestati ecclesiæ nõ subduntur, ecclesia istud non statuit, quamuis posset propter scandalum vitandum, quemadmodum Christus ostendit se à debito tributi liberum, quoniam liberi sunt filij: quod tamen ne scandalizarentur persoluit. Vnde Apostolus: Quicũque (inquit) sub iugo sunt serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen domini & doctrina eius blasphemetur. Permittit tamen ecclesia vt fideles colant terras Iudæorum, hoc enim minus periculosum est, quia per hoc nõ subduntur infidelibus simpliciter, sed solũ ad quædam specialia opera, nec propter hoc indiget multũ cõuersari cũ eis. Nã & Salomon ab Iram rege Tyri expetijt magistros operum.

¶ Dicit autem philosophus primo Politicorum, quod seruus est domini sui instrumentum in his, quæ pertinent ad vitam humanam, sicut minister est instrumentum artificis in perti-

nentibus ad artis operationem.

¶ Amplius aduertendum, quod regimen humanum à diuino regimine oritur ipsumque imitatur. Sicut ergo omnipotens & summe bonus deus multa mala permittit, quæ vtiq; impedire solo nutu posset, ne malis sublatis maiora bona omittantur, vel plura mala sequantur. Sic quoque in humano regimine prælati ac principes quædam mala permittunt, ne bona tollentur, vel peiora nascantur, vt in libro de ordine vniuersi Augustinus ait, sic ergo ecclesiasticus Iudæorum tollerat, quia per hoc testimonium nostræ fidei ab hostibus nostris elicimus, eo quod in ritibus Iudæorū veritas nostræ legis præfigurata sit. Ritus vero gentiliū non sustinet, cum nihil veritatis aut vtilitatis inde proueniat, nisi forte ad vitandum scandalum atque dissidium. Sic quippe ritus hæreticorum ac paganorum ecclesia quandoq; sustinuit quando illorum magna multitudo extiterat. propterea Gregorius in decre. distin. 45. capitulo. Qui seruire, dicit de Iudæis: Omnes festiuitates suas, sicut hactenus ipsi & patres ipsorum tenuerunt, liberam habeant seruandi celebrandique licentiam. Denique interdum ad tempus tollerandi essent ritus gentilium & hæreticorum, propter salutem ipsorum, qua tenus sic tollerati paulatim conuertantur ad fidem.

¶ An Iudæorum & aliorum infidelium pueri sint baptizandi inuitis parentibus.

Articulus 31.

MAximam denique authoritatem habet consuetudo ecclesiæ, quæ est semper æmulanda, nam & catholicorum dicta doctorum ab ecclesia authoritatem suscipiunt. Vnde multo maiorem authoritas ecclesiæ quàm Augustini, vel Hieronymi, aut alicus doctoris. Nunquam autem ecclesiæ consuetudo fuit, vt Iudæorum pueri inuitis parentibus baptizarentur, cum tamen præteritis temporibus fuerint potentissimi principes, vt Constantinus & Theodosius quibus familiarissimi erant sanctissimi Antistites, vt Constantino Syluester, & Ambrosius Theodosio, qui nequaquā omissent istud impetrari ab ipsis, si licitum fuisset. Ideo periculosum esset nunc recenter inducere, quod pueri tales sic baptizarentur. Primo propter periculum fidei quam postea forte de facili ex inductione parentum reliquerent, eo quod nescientes baptizati essent. Secundo, quia

hoc repugnaret naturali iustitiæ. Filius enim est aliquid suorum parentum, & vsque ad vsum rationis est sub cura ipsorū, nam vsque tunc non differt ab irrationabilibus brutis.

¶ Adhuc autem antiquorum patrum infantes in fide parentum saluati sunt, quo constat quia parentum est prouidere filijs ad salutem. Rursus non est parentibus auferendum ius patriæ potestatis.

¶ *De specie hæresis. 2. De eius materia. Articulus* 32.

QVemadmodum Hieronymus ait, & habetur in decretis. 44. quæst 3. hæresis græce ab electione dicitur, eo quod sibi vnusquisque disciplinam eligat quam meliorem existimat. Vnde sicut voluntas spectat ad fidem, sic electio ad hæresim. Denique electio est mediorum ad finem, præsuppositio fine. In credendis autem voluntas assentit primo vero, tanquam proprio bono ac vltimo fini. In fide ergo credentis est aliquid, cuius dicto credens assentit, & hoc est principale in fide, aliud est sententia quā sectando alicui credit. A fide ergo Christiana dupliciter deuiatur. Primo non assentiendo ipsi Christo, & talis est infidelitas Iudæorum atque gentilium, qui circa finem malam habent voluntatem. Secūdo per hoc quod assentire Christo intendit, sed errat in medijs, ea videlicet eligendo, quę nō sunt vere à Christo tradita, sed quæ sibi propria ratio suggerit, & iuxta proprium sensum verba Christi exponit. Vnde hæresis est species infidelitatis eorum videlicet, qui fidem Christi profitentur, sed fidei documenta corrumpunt: sic igitur proximus finis hæresis est adhærere sententiæ propriæ, & inde speciem habet, finis autem remotus est honor, fama vel gloria. Dicit enim Augustinus in libro de vtilitate credendi, hæreticus est qui temporalis commodi & maxime principatus aut gloriæ suæ causa, falsas nouasque opiniones vel gignit vel sequitur. Propter quod patet, quod vt frequenter hæresis ex cupiditate vel superbia oritur, quandoque tamen ex illusione fantastica nascitur. Hæresis ergo vt modo accipitur, corruptionem fidei importat.

2. ¶ Dupliciter quoque (vt præhabitum est) pertinet aliquid ad finem, videlicet directe, vt articuli fidei: & indirecte, vt omnia alia quæ in scriptura sacra habentur, & circa vtūq; cōtingere hæresis potest. Itaq; sicut hæreses Iudæorū erāt circa quæstiōes Iudaismi, sic hæreses Christianorū sunt circa ea

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ fidei sunt. Dicit aũt Hieronymus, quod qui aliter scripturã intelligit aut exponit quã sensus spiritus sancti efflagitat, licet ab ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest: quod tunc contingit: dum quis veritatem scripturæ retorquet ad ea quæ fidei extant contraria, & suæ opinioni fauentia. Rursus Hieronymus dicit, quod ex verbis inordinate prolatis oritur hæresis. Confessio nanque, quæ est fidei actus, per verba exprimitur, & ergo si verba inordinate dicantur, per exteriorem actum, interior fides potest corrumpi. Veruntamẽ (vt Augustinus testatur, & habetur in decretis. 27.q.3.) nemo deputatur hæreticus, quamuis falsam ac fidei contrariam sententiam teneat, nisi eam pertinaci animositate defendat. Porro contra authoritatem summi pontificis, nullus doctorum sanctorum suam sententiam defensare præsumit.

¶ Vtrum hæretici sint sustinendi 2. An reuertentes sint recipiendi. Articulus 33.

DVo præterea in hætetico pensari possunt. Vnum ex parte hæretici, scilicet peccatum ipsius, & per hoc meretur non solum excommunicari, sed insuper occidi, cum multò sit grauius fidem corrumpere quàm monetam falsare. Si ergo pecuniatum falsarij occiduntur, multo iustius conuicti de hæresi mox possunt interfici. Secundò consideranda est misericordia ecclesiæ, cuius est errantem ad fidem reducere, & sic ecclesia non statim prima vice hæreticum damnat, sed post primam & secundam admonitionem, vt docet Apostolus. Si vero tunc pertinax manserit, separet eum se ecclesia, per excommunicationis sententiam, & vlterius relinquit eum seculari iudicio, tradendum ad mortem. Dicit nanque Hieronymus, & habetur in decretis 44. q. tertia. Secandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caule repellenda, ne tota domus massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arrius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quoniam non statim oppressus est, totum orbem eius flamma depopulata est. Itaque sunt extirpanda zizania, dum sine extirpatione tritici fieri potest.

2. ¶ Aduertendum est insuper quod ecclesia, Christo docente, etiam inimicos diligit, & eis benefacit. Est autem duplex bonum, quod per charitatem proximo exhibemus. Vnũ spirituale, videlicet animæ salus, quod charitas principaliter respicit: & quãtum ad hoc ecclesia semper hæreticos quotiescunque reuertuntur, ad pœnitentiam recipit, offerens eis viam salutis. Aliud est temporale bonum, quod charitas secundariò respicit, vtpote vita corporalis, possessio, dignitas, fama: & talia non debemus alijs, nisi secũdum quod ipsorum atq; aliorum salutem expediens est. Propterea ecclesia primò ab hæresi redeuntes, ad fidem suscipit quo ad vtrunque bonum, cõseruans eos in vita & interdum pristinam dignitatem propter bonum pacis, eisdem restituens. Si verò iterum relabantur, non recipit eos ad temporale bonum, nec à morte tuetur. Primo quia si semper reciperentur, alij securius fidem desererent. Secundo, quia iste relapsus est in inconstantiæ signum. Tertio, quia si reciperentur, id posset in aliorum præiudicium euenire. Nam si rursus à fide recederent, fideles occiderent. Ideo decre. dicit, quod si aliqui post abiurationem erroris deprehẽsi fuerint in abiuratam hæresim recidisse, seculari iudicio sunt relinquendi.

¶ Quod apostasia ad infidelitatem pertineat 2. An propter apostasiam princeps ius dominandi amittat. Articulus 34.

RECessum autem à fide apostasia significat. Sicut ergo homo multipliciter deo vnitur, videlicet primò per fidem. Secundò per obedientem voluntatem. Tertiò per specialia erogationis opera, scilicet per susceptionem religionis, clericaturæ, seu ordinis: sic quoque multipliciter à deo recedit. Nam recessus à religione susceptа vel ordine, dicitur apostasia religionis seu ordinis. Sed non est apostasia simpliciter dicta, remoto quippe posteriori remanet prius, sed non econtrà. Et ergo quanuis homo à deo recedat religionem, vel ordinem relinquendo, aut dei mandatis non obediendo: manet tamen deo per fidem vnitus, quàm si reliquerit, omnino atque simpliciter apostasiam incurrit. Vnde ad infidelitatem apostasia pertinet, nõ sicut species eius, sed sicut circunstantia aggrauans, secundum illud Petri: Melius erat eis veritatem non cognoscere, quã post agnitã retro ire.

¶ Amplius intuendum, quod infidelitas secundum se non repugnat dominio, cùm dominium sit ex iure humano, fidelitas autem ex gratiæ dono. Ius autem diuinum non tollit humanum. Potest tamen per infidelitatẽ peccans, ius prælationis amittere per sententiam ecclesiastici iudicis, sicut & quãdoque propter alia mala. De his autẽ qui foris sunt, id est, fidem nunquam receperunt, ecclesia iudicare nõ habet, vt eo-

rum infidelitatem puniat. Sed in his qui fidem relinquunt, rationabiliter perfidos punit per hoc quod fideles ab eorum dominio liberat. Præsertim, ne per infideles dominos à fide subuertantur. Vnde quandocunque princeps denunciatur apostata, absoluuntur ab eius dominio Christiani. Vnde Gregorius septimus dicit: Nos sanctorum prædecessorum statuta tenentes, &c. quæ consonant istis.

¶ *De blasphemia, quod sit opposita confessioni 2. An sit semper mortale peccatum 3. Vtrum sit maximum peccatorum 4. An inueniatur in damnatis. Articulus 35.*

PRæsens articulus quatuor tangit. Circa primum sciendum quod blasphemia est derogatio alicuius excellentis bonitatis, & præcipue diuinæ. Deus autem est (secundum Dionysium) ipsa bonitatis essentia, & quicquid ei conuenit, pertinet ad bonitatem ipsius. Quicunque ergo de deo negat quid ei conuenit, vel ei assetibit quod sibi non conuenit, derogat bonitati diuinæ. Quod dupliciter accidere potest. Vno modo tantũ in corde, videlicet secundum solam opinionem intellectus, aut affectionem voluntatis. Et hæc est blasphemia cordis. Secũdo, quod talis derogatio per locutionem prodeat foras, & hęc dicitur blasphemia oris, & opponitur confessioni, quæ est fidei actus exterior.

¶ Ponunt autem quidam tres blasphemię species prima cum deo assetibitur quod ei non cõuenit, secunda cũ ab eo negatur quod sibi competit, tertia cum creaturæ tribuitur quod deo appropriatur. Sed secundum ista duo prima nõ possunt proprie accipi diuersæ species peccati blasphemiæ, quia non differunt nisi secundum negationem & affirmationem, quæ diuersitas distinctionem specificam non inducit. Nam affirmatio & negatio per eandem scientiam agnoscuntur, & per eandem ignorantiam circa vtrumque erratur, cum negatio per affirmationem probetur, quemadmodum primo posteriorum habetur.

2. ¶ Præterea cum mortale peccatum sit illud, quod separatur homo à primo principio spiritualis vitæ, quod est charitas, constat quod blasphemia ex suo genere sit peccatũ mortale, derogat enim diuino honori, & sic repugnat diuinæ bonitati, quæ est charitatis obiectum. Aduertendũ tamen quod cum ea quæ ex subreptione contingunt videlicet sine deliberatione, non sint peccata mortalia: ideo blaphemia si ex subreptione eueniat, sic quod homo propter passionis vehemẽtiam, significationem verbotum non pensat, neque considerat, tunc veniale peccatum erit, & non habet perfectam rationem blasphemiæ. Si autem aduertat hoc quod dicit esse blasphemiam, tunc passio subita à peccato mortali non excusat, sicut nec ille qui ex subito motu iræ aliquem perimit, à mortali excusatur peccato.

3. ¶ Insuper quoniam dictum est quod blasphemia opponatur confessioni fidei: ideo habet in se infidelitatis peccatum, & addit super hoc si adueniat detestatio veritatis, grauatur quoque culpa blasphemiæ magis si in verba exteriora prorumpat sicut & laus dei augetur & clarificatur per dilectionem & confessionem.

¶ Itaque sicut infidelitas secundum suum genus est maximũ peccatum, sic & blasphemia, additque supra culpam infidelitatis. Perfecta vero blasphemiæ ratio est, cum quis intendit derogare diuinæ bonitati, loquendo conuicia, non tantum secundum conceptionem intellectus, sed etiam secundum affectionem voluntatis, detestantis & impedientis honorem diuinum pro viribus. Quandoque autem dicitur quod excusatio culpę sit maximum peccatum. Quod ideo dictum est, quia excusatio talis est circunstantia quædam aggrauans omne peccatum.

4. ¶ Amplius autem considerandum, quod in inferno est miserorum blasphemia, est enim illic detestatio bonitatis diuinæ, videlicet iustitiæ dei. Nam cum in damnatis remaneat semper peruersa voluntas, diligunt ea pro quibus puniuntur, vellentque, si possent, vti eisdem, pœnas quoque iustas odiũt, & de peccatis commissis dolent, non quia ea secundum se odiunt, sed quoniam propter ea torquentur, & ita detestantur iustitiam dei: & hæc cordis detestatio, est interior eorũ blasphemia. Credibile etiam est, quod post resurrectionem erit in ipsis vocalis blasphemia, sicut in sanctis laus vocalis.

¶ Denique, vt asserit glosa super illud Apocalyp. 16. Aestuabant homines æstu magno, & blasphemabant nomen dei, habentes potestatem super plagas has. Quamuis in inferno sciant se iuste puniri, dolebunt tamen quod deus tantam potestatem habet quod eis talia infert.

¶ *De peccato seu blasphemia in spiritum sanctum 2. De speciebus eius. Articulus 36.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

TRiplex insuper inuenitur apud doctores modus loquẽdi de peccato in spiritum sanctum. Antiqui enim doctores, Athanasius, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, accipiunt peccatum in spiritũ sanctũ, prout spiritus sanctus est nomen essentiale toti trinitati & singulis personis conueniens, nã quælibet persona est spiritus & sanctus, siue prout est nomen tertiæ personæ in diuinis, & secundum hoc Mathæi. 12. diuiditur blasphemia in spiritum sanctum contra blasphemiam in filiũ hominis: Christus quippe quædam operabatur vt homo, manducando, bibendo, &c. quædam vt deus, per virtutẽ diuinitatis & spiritus sancti, mortuos suscitando, &c. Iudæi igitur primo blasphemabant opera eius humana, appellantes eum voratorem &c. & hæc dicitur blasphemia in filium hominis. Secundo opera eius diuina, diabolo eius ascribendo miracula: & ista est blasphemia in spiritum sanctum. Augustinus autẽ in libro de verbis domini: ait peccatum in spiritũ sanctum esse finalem impœnitentiam, dum quis vsque ad mortem in peccatis perseuerat, quod fieri potest verbo, cogitatione, & actu: & dicitur peccatum tale in spiritum sanctum, quoniam est contra remissionem peccatorum, quæ à spiritu sancto præstatur. Alij verò dicunt peccatum in spiritum sanctum quod sit contra appropriatum spiritui sancti, cui appropriatur bonitas, sicut patri potentia, filio sapientia. Vnde sicut peccatum ex infirmitate est contra patrem, peccatum ex ignorantia in filium: sic peccatum ex certa malitia, id est, ex electione mali, cum scilicet malitia propter se placet, est peccatum in spiritũ sanctum, vt dicit magister libro secundo. Quod dupliciter accidere potest. Primo ex inclinatione habitus vitiosi, qui malitia dicitur, & hoc non est peccare in spiritum sanctum, sed quædam generalis peccati conditio. Secundo quia contemnitur atque abijcitur quod mali electionem, peccatumque impedit vt sunt spes, timor, & alia quædam, quæ spiritussanctus proprie operatur in nobis, & istud secũdum tertium modum est peccare in spiritum sanctum. Potro secundum primam & tertiam expositionem peccatum seu blasphemia spiritussancti est speciale genus peccati. Non autem secundum expositionem Augustini, sic namque esse potest circunstantia cuiuslibet generis peccati.

2. ¶ Præterea, sicut ex diuersis libris Augustini colligitur, sex sunt peccata in spiritum sanctum quæ etiam conueniens ter vocantur species peccati in spiritum sanctum, secundum tertium modum de isto peccato loquendo, videlicet præsumptio, desperatio, impœnitentia, obstinatio, impugnatio, veritatis agnitæ atq; inuidia gratiæ fraternæ, quorum distinctio datur secundum ea, vel eorum contemptum, per quæ homo à peccati electione retrahitur, quorum sunt quædam ex parte diuini iudicij, quædam ex parte donorum dei, quædam autem ex parte peccati. Auertitur enim homo à malo, considerando iudicium dei, in quo cõprehenditur misericordia atq; iustitia, & ex consideratione misericordiæ concipitur spes, ex iustitia vero oritur timor. Cũ ergo peccator tollit à se spẽ de misericordia dei diffidendo, dicitur desperatio: cum vero timorem contemnit, præsumptio dicitur, dum quis præsumit gloriam sine meritis, aut veniam sine pœnitentia adipisci.

¶ Dona autem dei, quibus à peccato retrahuntur, sunt duo, videlicet veritatis agnitio, contra quod committitur impugnatio veritatis agnitę, dum homo veritatem fidei agnitam impugnat, quatenus licentius peccet. Aliud est gratiæ interioris auxilium, cui renititur inuidentia gratiæ fraternæ, dũ homo nõ solum personę fratris, sed gratię dei crescentis in mundo, est inuidens. Ex parte quoque peccati sunt duo, quibus homo merito à peccato retrahi debet. Primum est inordinatio seu turpitudo actus peccaminosi, & contra hoc ponitur impœnitentia, non secundum quod dicit permanentiam in peccato vsque ad finem, sic namque est communis circunstantia culpę: sed capitur hic impœnitentia pro proposito non pœnitendi. Aliud autem est parutas & breuitas boni quod in peccato optatur, & hoc remouetur per obstinationem qua quis firmat propositum vt peccato inhęreat.

¶ *De irremissibilitate peccati in spiritum sanctum* 2. *An quis peccare possit in spiritum sanctum, non præcedentibus alijs culpis. Articulus* 38.

EX præostensis iam patuit quomodo peccatum tripliciter dicatur in spiritum sanctum. Si itaque peccatum in spiritum sanctum dicatur finalis impœnitentia, sic est simpliciter irremissibile, quia nec in presenti, nec in futuro dimittitur. Secundum alias vero acceptiones dicitur irremissibile, nõ quod nequaquam remitti posset, quoniã omnipotenti medico nullus languor insanabilis exist, sed

quia ex se meritum habet vt nunquam ignoscatur, & hoc dupliciter. Primo ex parte pœnæ. Peccatum namque ex ignorantia & infirmitate aliquam excusationem habet, vnde pœna eius minui queat. Peccatum vero ex certa malitia, nullis. Secundo quantum ad culpam, quemadmodū enim morbus corporalis insanabilis fertur, quia ex se habet rationē quod sanari non possit: quamuis deus eum sanare posset, sic peccatum in spiritum sanctu quia ea excludit & spernit per quæ remissio fit, ideo ex parte culpæ irremissibile est: per hoc tamen non præcluditur via omnipotentię atque clementię dei, per quam tales peccatores quasi miraculose interdum conuertuntur.

¶ Præterea si peccatum in spiritum sanctum, seu ex certa malitia, dicatur quia ex inclinatione habitus mali procedit, sic peccatum in spiritum sanctū nō potest primo & ante alia peccata fieri, oportet namque ante habitum malum actus multos præcedere, sed hoc non est proprie peccare in spiritum sanctum. Si autem peccatum in spiritum sanctum proprie accipiatur, vtpote quia est ex contemptu eorum, quę peccata impediunt: tunc iterum non potest alia cuncta peccata præcedere, scriptum est enim, Impius cum in profundum peccatorum venerit contemnit. Potest tamen contingere quod aliquis in primo actu peccati in spiritum sanctum peccet per contemptum, tum propter libertatem arbitrij. Tum propter varias præuias dispositiones, vel propter forte motiuum seu debilem affectum ad bonum. Vnde viris perfectis, raro vel nunquam contingere potest, vt statim in principio in spiritum sanctum peccent, vt ait Origenes in libro Periarchō. In pluribus enim tam in bono quām in malo est successiuus processus ab imperfecto ad perfectum. De iustis nempe habetur: Iustorum semita, quasi lux splendens, crescit & proficit vsque ad perfectum diem.

¶ De cæcitate mentis 2. De hebetudine sensus 3. De distinctione atque origine vitiorum istorum. Articulus 38.

Sicut cæcitas corporei visus est priuatio luminis, per quod fit visio corporalis: sic cæcitas mentis est priuatio luminis quod est principiū intellectualis visionis. Hoc autem principium seu lumē triplex est: vnum est naturale lumen rationis, & hoc tolli non potest, quia ad speciem hominis pertinet. Potest tamen per inferiores potentias

impediri & obtenebrari, quemadmodum in amentibus, furiosis constat. Secundum principium visionis mentalis est habituale gratiæ lumen naturali lumini super adiunctum, quo anima per peccatum priuatur, vt scriptum est: Excæcauit eos malitia eorum. Tertium eius principium est aliquod primum intelligibile, per quod homo intelligit alia, & cui intēdere ac non intendere potest: quod autem tali principio non intēdit dupliciter accidit. Primò quia se abillius consideratione sponte auertit. Secundo quia circa alia occupatur: de primo scriptum est, Noluit intelligere vt bene ageret. De secundo, Supercecidit ignis, scilicet concupiscentiæ, & non viderunt solem, veritatis videlicet atque iustitiæ. Vtroque autem modo cæcitas mentis peccatum existit. Denique quod Iohannis nono scribitur: Si cæci essetis, non haberetis peccatum, intelligēdum est de cæcitate quæ ex naturali defectu contingit, illa enim à peccato excusat.

2. ¶ Cōsiderandum præterea, quod hebes acuto opponitur. Ideoq; sicut acutum aliquid dicitur quia penetrare ad intima potest, sic hebes vocatur quod obtusum est, penetrare nō valens. Vnde sensus corporalis acutus est, quia aliquid à remoto percipit, vel quia aliquid sensibile paruum sentit: qui etiam appellatur obtusus, si non nisi magna ac de propinquo sentire valet. Similitudinarie igitur dicitur quispiam obtusi sensus circa intellectualia. Sensus autem circa intelligibilia nō percipit obiectum per medium corporalis distantię, sed per media rationis, cognoscendo causam per effectum, & essentiam per qualitates & actus. Sicut ergo intellectu aliter acuti dicitur sensus, qui mox ex accidentibus atq; effectibus naturā occultasq; rei conditiones cognoscere valet, hebes verò qui vix per multa sibi exposita, intima atq; subtilia capere potest, & si capit, non tamen profundè intelligit: sic in proposito hebetudo sensus circa intelligentiam debilitatem designat circa spiritualium considerationem bonorum. Cæcitas verò mētis omnimodam priuationem cognitionis eorum importat, & sic patet horum distinctio.

¶ Vtrunq; autem dono intellectus opponitur, cuius est spiritualia quasi penetrando subtiliter intueri, habet quoque hebetudo sensus rationem peccati, inquantum voluntaria est, vt cum affectus circa carnalia delectatus, spiritualia pēsare siue discutere fastidit ac negligit.

5. ¶ Aduertendum proinde, quod intellectualis operationis perfectio in homine, in abstractione & elongatione à sensibilium rerum fantasmatibus imaginibusque consistit, & quanto intellectus à talibus absolutior fuerit, tanto ad considerandum intelligibilia, ordinandum quoque sensibilia, efficacior redditur. Vnde Anaxagoras ait, quod oportet intellectum esse immixtum, quatenus imperare atq; materiæ dominari sufficiat. Delectatio autem applicat & reprimit intentionem ad ea, in quibus quis delectatur. Dicit namq; Aristoteles primo Ethicorum. Vnusquisque ea in quibus delectatur, optime operatur, alia verò nequaquam vel debiliter. Cùmque gula & luxuria circa maximas delectationes carnales consistant, ideo per eas homo maximè applicatur & immiscetur carnalibus, atque à spiritualibus impeditur: Maximè per luxuriam, quanto delectationes venereæ cæteris extant maiores, propterea ex luxuria oritur cæcitas mentis, quę quasi totaliter spiritualē notitiam tollit, ex gula verò hebetudo sensus. Denique sicut vitia ista actum rationis præsertim offuscant, sic virtutes oppositæ, abstinentia scilicet & castitas, ad intellectualis operationis profectum potissimè conferunt, sicut in Daniele de pueris abstinentię & sobrietati vacantibus, scribitur. Propterea quod in Moralibus Gregorius asserit, quod hebetudo mentis oritur ex gula, cæcitas verò animæ ex luxuria.

¶ De præceptis pertinentibus ad fidem, & ad dona intellectus atque scientiæ. Articulus 39.

EX quo ad Romanos tertio Apostolus veterem legem vocat legem factorum, diuidens eam contra legem fidei, videri forsitan posset: quod in veteri lege non essent data nec danda præcepta de fide, seu credendi: Cognoscendum itaque quod lex non datur à domino nisi subiectis. Prima autem subiectio hominis sub deo est per fidē. Ideo fides requiritur ante legis præcepta, & ideo in Exodo fides præmittitur ante præcepta, cum dicitur: Ego sum dominus deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Et in Deuteronomio: Audi Israël, dominus deus tuus, deus vnus est. Sed in veteri lege non erant secreta fidei populo exponenda sicut in noua lege. Sunt tamen in ea multa præcepta prohibitiua eorum, quæ fidem corrumpunt. Deniq; dantur etiam in veteri lege præcepta ad dona intellectus & scientiæ pertinētia. Vnde in Deuteronomio habetur: Hæc est vestra sapientia & intelligē-

telligentia corā populis, vt audientes & intelligētes vniuersi præcepta hæc dicāt: En populus sapiens & intelligens, quo innotescit quod fidelium scientia & intellectus, in præceptis diuinæ legis consistat. Ideoque primo danda erāt præcepta, & postea ad illorum intellectum, atque scientiam erant homines inducendi. Præterea, circa scientiam & intellectum tria possunt pensari. Primo ipsorum acceptio, quę fit per doctrinā & disciplinam, & de hoc dicitur in Deuteronomio. erūt verba hæc in corde tuo, quod ad discipulum pertinet, vt scilicet cor suum applicet doctrinę, docentis. Et narrabis ea filijs tuis hoc pertinet ad doctrinam. Secundo consideratur vsus ipsorum. Vsus autem intellectus & scientiæ est meditatio eorum, quæ homo scit atque intelligit, & de hoc subditur. Et meditaberis sedens in domo tua. Tertio consideratur horum conseruatio, quæ fit per memoriam, indeque subditur. Ligabis ea quasi signum in manu tua. Hæc quoque mandata in noua lege copiosius præcipiuntur.

¶ Dicitur autem in Deuteronomio: Meditaberis ea dormiens atque consurgens. Quod intelligendum non est, quasi homo atque consurgens. Quod intelligendum non est, quasi homo dormiendo meditari valeat, sed dormiens, id est, vadens dormitum. Nam ex hoc dormienti meliora occurrunt fantasmata, quia fantasmata transeunt intus à vigilantibus ad dormientes secundum Philosophum septimo Ethicorum. Præterea, mandatur vt in omni opere quis meditetur in lege nō quod homo semper actu meditari posset in lege, sed vt cuncta quæ agit moderetur per legem ac ordinet.

¶ Quod spes est virtus 2. De obiecto ipsius 3. An vnus homo sperare possit aliį beatitudinem sempiternam. Articulus 40.

VIrtus est, quæ bonum facit habentem & actum eius efficit bonum vt secūdo Ethicorum habetur. Et ideo vbicunque inuenitur actus bonus, necesse est vt ex aliqua virtute procedat. Potrò bonum in actibus humanis dicitur secundum quod attingit propriam mensuram & regulam. Actuum verò hominis duplex mensura est, vna proxima & homogenea, scilicet ratio humana: alia suprema atque excedens: videlicet deus. Omnis ergo actus: qui rationem vel deum attingit, bonus cōsistit. Talis autem est actus spei. Nam spei obiectum est bonum arduum, futurum haberi possibile. Dupliciter autem est aliquid nobis possibile, vt ter-

tio Ethicorum dicitur. Vno modo per nos. Secundò per alios scilicet amicos. Itaq; inquantū speramus aliquid, vt possibile nobis per diuinum auxilium, sic spes nostra attingit ad deū, vnde constat quod sit virtus prout nunc de ea fit sermo.

2. ¶ Cum ergo spes diuinæ innitatur virtuti, quæ vtique infinita est, propterea aliud nihil à deo sperare debemus finaliter quàm bonum infinitum, quod est beatitudo æterna. Causa namque & effectus proportionari debent, & igitur infinitæ dei virtuti proprium extat, ad infinitum bonū perducere, sic itaque beatitudo æterna est spei obiectum, & alia quæ à deo speramus & petimus, ad illud principale obiectum referuntur, sicut & aliqua credimus de creaturis, prout ad increatam veritatem ordinem sortiuntur.

3. ¶ Præterea spes ab amore distinguitur, quoniam amor vnionē importat amantis ad amatum, spes verò processionē seu motum in bonum arduum, vnio autem est distinctionem habentium, cum ergo amans propter amorem, alium tanquā seipsum reputet: ideo amor directè alium respicere potest. Spes verò respicit directe proprium bonum, eo quod motus est ad proprium terminum mobili proportionatum. Si ergo loquamur de spe absolutè, sic solum respicit propriū bonum. Si autem loquamur de ipsa spe præsuppositā vnione amoris per aliū, sic aliquis desiderare atq; sperare potest alterū bonū, sicut & sibi, & etiam vitam seu fœlicitatem æternam. Deniq; sicut est eadem charitas quā deum proximumq; diligimus, ita est vna spes quā nobis & alijs vitam æternam speramus.

¶ *An liceat sperare in homine 2. An spes sit virtus theologica ab alijs distincta. Artic. 41.*

EVcelcit ex dictis, quod spes principaliter atque finaliter respicit vltimum finem, qui est beatitudo æterna. Secundario autem ea per quæ vltimum finem obtinemus, vt est auxilium dei. Itaque si consideretur finalis spei obiectum ac vltimus finis, sic in solo deo sperandum est. Si verò pensemus ea, quæ quasi instrumentaliter conferunt & opem impendunt ad vltimi finis adeptionem, sic in hominibus bonis confidimus atque ad sanctos conuertimur.

2 ¶ Denique beatitudo æterna habet rationem vltimi finis. Illa verò quæ ad ipsam introducunt, habent rationem causæ efficientis. In causa autem tam finali quàm efficiēti est ordo. Est nanque finis simpliciter vltimus, & finis secundarius ad vltimum

vltimum ordinatus, & est causa efficiēs principalis & prima, est quoque causa instrumentalis ac secundaria. Fides autem respicit æternam beatitudinem vt vltimum finem: diuinum verò auxilium vt causam principalē efficientem ac primam, cæterorum autem subsidia, vt causas instrumēntales & secundarias, in quibus spei actus non sistit, sed in deo eiusq; auxilio vltimate quiescit. Præterea, cum spes attingat supremam actuum humanorum regulam, scilicet deū, sicut primam causam efficientem, inquantum eius auxilio innititur, & vt vltimam causam finalem, secundum quod ex eius fruitione fœlicitatem expectat, elucescit quod sit virtus theologica: habet nanque deum pro principali obiecto.

¶ Potrò virtus moralis consistit in medio duorum vitiorum, quia est circa ea quæ ratione regulantur, videlicet passiones: virtus autem theologica, cum sit circa ipsam regulā primā non regulatam, non consistit in medio nec habet excessum per se, quoniam deo atque diuino auxilio nemo potest nimis inniti, sed per accidens, ratione rei quæ speratur, potest spes habere extrema, inquantum præsumit de his, quæ vires suas transcendūt, vel de sibi possibilibus desperat, & simile est de fide & charitate. Sciendū quoq; quod expectatio quæ in diffinitione spei locatur, non designat dilationem quemadmodū expectatio ad longanimitatem pertinens, sed respectum ad diuinum auxilium, siue illud quod speratur differatur siue non.

¶ Denique cum virtutum theologicarum obiectum sit deus, necesse est hoc esse secundum rationem diuersam, cum virtutes distinguātur per obiecta. Potest enim aliquis alicui rei adhærere dupliciter. Vno modo propter seipsam. Secundo, inquantum per ipsam deuenitur ad aliud. Charitas itaque quia vnit affectum amantis cum deo, facit hominē deo adhærere propter seipsum. Fides verò & spes adhærere faciūt deo sicut principio à quo nobis bona quædam proueniunt. Sortimur verò à deo veritatis notitia, perfectamq; fœlicitatē: & quo ad primū facit fides deo adhærere, spes autem quo ad secūdum, inquantum speramus à deo completam bonitatis suæ participationem, ad quam fides formata perducit. Sic igitur cōstat quomodo spes sit specialis virtus. Ex his insuper patet, quod vniuersaliter loquendo spes fidē præexigit, nā per fidē agnoscimus quid sperare oporteat, & quid habere possibile sit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Quod ergo quandoque dicitur spes introitus fidei, intelligendum est de actu fidei, vel de re ipsa quæ creditur.

¶ An spes sit prior charitate, vel econtra. Artic. 42.

DVpliciter autem dicitur aliquid prius altero. Primò secundum viam generationis atque materiæ, sicut imperfectum præcedit perfectũ. Alio modo secundum viam perfectionis & formæ, sicut perfectum imperfecto naturaliter prius est. Spes igitur primo modo prior est charitate. Nam spes, omnisque motus appetitiuus, ex amore derivatur. Amorum autem alius est perfectus, quo scilicet aliquis secundum se amatur, cui videlicet amator vult bonum, quemadmodum homo amat amicum. Alius vero est amor imperfectus, per quem quis aliquid amat non secundum seipsum, sed vt illud bonum sibi ipsi proueniat, sicut rem aliquam homo propter propriam vtilitatem concupiscit. Primus autem amor ad dei pertinet charitatem, quæ deo inhæret propter seipsum. Spes vero ad secũdum spectat amorem. Nam quod quis sperat, hoc sibi obtinere intẽdit. Ideoque in via generationis spes charitate est prior. Sicut enim timor seruilis introducit ad charitatem, eo quod per hoc quod quis sibi met puniri cessat à culpa, sic spes ad charitatem inducit, vt eũ quis ex consideratione diuinæ remunerationis ad dei amorẽ accendatur. Porrò secundum ordinem perfectionis, charitas prior est spe eamque perficit, quia de amicis præsertim confidimus, & secundum hoc ait Ambrosius: Ex fide est charitas & ex charitate spes. Et Magister tertio libro: Spes, inquit, ex meritis prouenit quod de ipe formata intellectui congruit. Nõ tamen omnis spes prouenit ex charitate, qua homo sperat bonum à deo tanquam amico, huc enim spei formatæ est proprium. Omnis vero spes ex tali ad minus amore procedit, quo quis bonum expectatum amat.

¶ De spei subiecto. 2. Vtrum spes sit in beatis. 3. Vtrum sit in damnatis. 4. De spei certitudine. Artic. 43.

HAbitus insuper cognoscuntur per actus, sicut forma per operationem. Cùm ergo actus spei sit motus appetitiuæ potentiæ, constat quod spes in appetitiua parte consistat. Appetitus vero est duplex, sensitiuus videlicet, qui in concupiscibilem irascibilemque diuiditur: & intellectiuus qui nuncupatur voluntas. Consimiles quoque motus, qui sunt in appetitu sensitiuo, fiunt cum passione: in superiori verò appetitu sine passione. Cùm autem obiectum spei non sit bonum sensibile, sed immateriale atq; diuinum, oportet spem in superiori appetitu, videlicet in voluntate, sicut in subiecto existere. Nam sicut obiectum appetitus sensitiui irascibilis, est bonum arduum sensibile: sic voluntatis obiectum est arduum intelligibile. Aduertendum autem quod actus charitatis & spei, ordinem habent ad inuicẽ, & ob id simul in eadem potentia esse possunt: quemadmodum intellectus multa simul intelligere valet ad inuicem ordinata.

2. ¶ Præterea, subtracta differentia seu ratione specifica, tamen remanet eadem species. Spes autem speciem habet à suo obiecto, quod est beatitudo æterna, inquantum ipsa est bonum arduum haberi possibile ex diuino auxilio. Vnde bonum tale non cadit sub spe, nisi sub ratione futuri. Cùm igitur beati tale nunc bonum adepti sunt, non est spes in ipsis. In Christo quoque non erat spes, tamen quia viator fuit secundum passibilitatem naturæ quam tulit, ideo gloriam immortalitatis sperare valebat, sicut in Psalmo de eo habetur: In te domine speraui. Denique beati in patria beatitudinem sperare possunt illis pro quibus orant, non tamen per virtutẽ spei, sed ex charitatis amore.

3. ¶ Item quemadmodum in beatis non est spes, quia beatitudo non est in eis futura: sic nec in damnatis, quoniam felicitatis non est in ipsis possibilis, sicut enim de ratione beatitudinis est vt voluntatem quietet, sic de ratione pœnæ est vt repugnet affectui. Non potest autem voluntatem quietare nec ei repugnare quod ignoratur, & ob id (secundum Augustinum) angeli ante suam confirmationem perfectè esse beati non poterãt, quoniam sui euentus non fuerant præscij. Itaque sicut ad beatitudinem pertinet vt quis certus sit de perpetuitate ipsius, quatenus contentetur ac quieretur in ea, sic cũ perpetuitas pœne sit de ratione perfectæ miseriæ, opus est vt reprobi sciant se nunquam posse pœnas euadere. In purgatorio tamen est spes, qui fœlicitatem expectant.

4. ¶ Præterea dupliciter conuenit alicui certitudo, videlicet essentialiter: & sic conuenit cognoscitiuis potentijs: Secundo participatiue, vtpote his quæ à cognoscente ad debitum finem directè mouentur. Et ita natura certitudinaliter operatur, inquantum à diuino intellectu mouetur, & virtu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tes morales mouentur à ratione, & per hunc modũ spes via totum certitudinem habet, prout tendit in suum finem, à fide quæ est in intellectu, certitudinem suam participans.

¶ Et aduertendum quod spes principaliter innititur non gratiæ habitæ, sed diuinæ omnipotentiæ ac misericordiæ de quibus certus est quod eam consequi possit, omnis qui filiam habet quamuis gratiam nondum sortitus sit.

¶ Vtrum deus timeri debeat. 2. De diuisione quoque timoris. 3. An timor mundanus semper sit malus. Artic. 44.

QVoniam obiectum timoris est malum futurũ, deus autem ipsa bonitatis essentia, ideoq; habetur quomodo deus timendus dicatur. Sed respondendum quod sicut spes primò directeq; respicit beatitudinem æternam, secundario autem diuinum auxilium cui innititur: sic timor respicit primo suum obiectum, vtpote malum quod refugit, secundo id à quo malum tolligi præuenireq; potest. Deus igitur secundo modo obiectum timoris esse potest, & hoc dupliciter. Primò inquantum ab ipso malum tollitur, quod est malum pœnæ pro culpa. Secundò per comparationem ad ipsum. Nam per comparationẽ ad ipsum potest nobis malum culpæ accidere, si separemur ab eo, & vtroque modo deus timendus est, sicut enim ratione misericordiæ in eo confidimus, sic propter iustitiam eum timemus.

2. ¶ Denique quatuor dantur species timoris, quas tertio libro assignat magister, est namque timor filialis, seruilis, initialis, atque mundanus. Timor quippe (vt modo accipitur) est secundum quod per ipsum ad deum conuertimur vel ab ipso auertimur. Obiectum namque timoris est malum. Propter malum autem quandoque homo recedit à deo, & sic est timor humanus siue mundanus. Interdũ vero propter malũ, quod homo timet, ad deum conuertitur, & hoc malum est duplex, videlicet pœnæ & culpæ. A malo pœnæ oritur timor seruilis. A malo culpæ filialis seu castus, inter quos timor initialis est medius, cum vtroque participans. Timor proinde naturalis his speciebus non connumeratur, quia nec bonus nec malus est. Prædictæ enim species respiciunt morale bonum vel malum, quod præcipue in conuersione aut auersione dei consistit. Timor verò naturalis, præsupponitur bono & malo morali. Damascenus denique libro secundo ponit sex species timoris, addit namque erubescentiam atque segnitiã, sed

sed ipse loquitur de timore prout est passio animæ.

3. ¶ Agnoscendum præterea, quod actus habitusq; morales, à propijs obiectis nominantur ac specificantur, obiectum vero motuum potentiæ appetitiuæ est bonum finale. Ideoque actus & habitus appetitiuæ virtutis à fine nomen sortiuntur & speciem. Vnde amor mundanus vocatur, quo quis mundo tanquã fini innititur, & ob id semper est malus. Timor autẽ ex amore causatur, quia secundum Augustinum, hoc homo timet amittere quod amat habere. Sicut itaque timor mundanus ex mala radice nascitur: sic & ipse semper malus censetur. Respicit enim pœnam à deo auertẽtem, quam inimici dei quandoque infligunt, cum tamen à deo & iustitia ac ratione propter nullas pœnas recedere fas sit. Præterim cum dicat. 1. ethicorum philosophus, quædam esse mala, propter quæ nequaquam à virtute abeundum est, cum ea sit peius committere, quàm quascunque pœnas subire.

¶ De timore seruili. 2. An sit bonum. 3. An realiter idem cum timore filiali. 4. Et vtrum cum charitate permaneat. Artic. 45.

PRoro timor seruilis, inquantum seruilis, semper malus est. Seruitus nanque libertati opponitur. Sicut ergo liberum est quod est causa sui, sic seruus est, qui nõ causa sui operatur, sed velut aliunde motus atque ab extrinseco inductus. Hoc autem est charitati contrarium, quoniam omnis amans, ex interiori inclinatione ad operandum mouetur. Sed aduertendum quod seruilitas nõ est de ratione timoris seruilis, quemadmodum nec informitas est de ratione fidei informis, nam actus & habitus moralis ex obiecto speciem trahit. Obiectum vero timoris seruilis est pœna, cui accidit quod bonum tali pœnæ cõtrarium ametur vt vltimus finis, & ex consequenti malum pœnæ timeatur tãquam principale finale & malum, quod accidit in non habente charitatem, sicut in habente charitatem malum huius timoris ordinatur ad deum, dum scilicet quis timet pœnam, non solum quia est propri boni diminutiuum, sed quoniam est à dei bonitate elongans. Timor ergo seruilis secundum substantiam bonus est, seruilitas vero ipsius mala existit, & ita verba sanctorum dicentiũ timorem seruilẽ esse malũ, sunt exponenda.

¶ Denique amor mercenarius propter temporalia bona operatur, quod est simpliciter charitati contrarium. Ideoque talis amor semper est malus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3. ¶ Præterea, cùm obiectum timoris seruilis sit malum pœnæ, obiectum autem timoris filialis malum culpæ, patet hos duos timores realiter esse distinctos. Vnde præhabitum est, secundum diuersitatem malorum diuersos esse timores. Plus ergo differunt timor seruilis & filialis, quàm fides formata & informis. Nam vtriusque fidei est vnum obiectum.

4. ¶ Intuendū præterea quod timor seruilis causatur ex suipsius amore, sicut ergo amor proprius cum charitate stare potest, sic & timor seruilis. Amor vero sui tripliciter ad charitatem se habet: vno enim modo est ei contrarius, quando videlicet aliquis in amore proprij bonifinem constituit. Secundo includitur in charitate, vt cum homo diligit se in deo & propter deum. Tertio modo à charitate distinguitur, non tamen eidem contrariatur: sicut dum homo amat seipsum propter proprium bonum, non tamē in hoc sibi finem cōstituit. Quemadmodum etiam proximum aliquis amare potest speciali affectione, videlicet consanguinitatis seu alterius cōmunionis humanæ, præter dilectionem dei: dummodo affectio talis sit ad deum & ad charitatem referibilis. Pariformiter timor pœnæ includitur vno modo in charitate. Nā à deo separari est summa pœna, quam maximè refugit charitas: & hoc pertinet ad timorem castum. Alio modo timor pœnæ contrariatur charitati, dum scilicet malum pœnæ timetur tanquam principale & maximum malum, & tunc timor seruilis cū charitate esse non valet. Tertio modo timor pœnæ distinguitur secundum substantiam à timore filiali, quia timet quis malū pœnale inquantum est proprio naturalique bono contrariū. Non tamen penitus contrariatur charitati, quoniam pœna non timetur finaliter tanquam potissimum malum. Talis igitur timor cum charitate manet, non tamen vocatur seruilis: nisi quando malum pœnæ principaliter formidatur. Et ob id timor seruilis, inquantum seruilis, cum charitate non permanet quanuis substantia huius timoris cum charitate perseuerare queat, & per hoc soluuntur authoritates, quæ asserunt charitatem non compati secum timorem seruilem.

¶ Quomodo timor dicatur initium sapientiæ 2. Et an timor initialis distinguatur realiter à timore seruili. Artic. 46.

DEniq; initium rei duobus modis accipitur. Primo, quia est principium rei quārum ad suam essentiā: sicut principia ex quibus procedit scientia, sunt scientiæ

initium. Secundo quantum ad effectum seu opus: quemadmodum fundamentum vocatur initium artis ædificatiuæ, quoniam ab ipso domus inchoatur. Primo modo initium sapientiæ sunt articuli fidei seu fides. Secūdo modo timor, quia à timore incipit sapientia operari.

¶ Insuper cum sapientia sit diuinorum cognitio, aliter cōsideratur à fidelibus aliterque à philosophis. Nam cum secūdum fidem catholicam finis noster sit supernaturalis dei fruitio, nos loquimur de sapientia non tantum vt est cognoscitiuus habitus, sed etiam vt est directiua ad deū vitæ humanæ, quæ dirigitur non tantum ratione humana, sed lege quoque actione diuina, secundum Augustinum. 12. de trinitate: Ideoq; sapientia à timore operandi sumit exordium, veruntamē aliter timor seruilis est initium sapientiæ quàm filialis. Timor enim seruilis est initium eius quasi extra disponens, inquantum à peccato facit discedere, scriptum est equidem: Timor dei expellit peccatum, & ita habilitat ad sapientiæ actum. Timor autem filialis est initium sapientiæ, sicut primus eius effectus. Ad sapientiam namque pertinet vt vita hominis reguletur secundum rationes diuinas, cuius regulationis initium est, quod homo deum reueretur & ei se subijcit, quod ad castum timorē pertinere nunc dictum est. Vnde timor iste cōparatur ad vitam humanam per sapientiam regulatam, vt radix ad arborem, & ergo in Ecclesiastico habetur: Radix sapiētiæ est timere deum. Sicut igitur radix est virtualiter tota arbor: sic timor dicitur sapientia, nō essentialiter, sed virtualiter, & ideo Iob ait: Timor domini ipsa est sapientia.

2. ¶ Præterea, cum tam timor seruilis quàm castus sit initiū sapientiæ, ac per hoc vterque aliquo modo dici possit initialis: iam tamen timor initialis accipitur prout competit incipientium statui, in quibus inchoatur amor filialis per inchoationem charitatis, & admiscetur eis aliquid timoris seruilis: vnde sicut se habet charitas imperfecta ad perfectam, sic timor initialis ad filialem. Per quod innotescit, quod isti duo timores secundum essentiam idem sunt, sed secundum statum tantummodo differunt. Nam perfectum & imperfectum seu magis & minus, non diuersificant speciem. Est itaque timor initialis inter seruilē filialemq; medius, non sicut inter extrema eiusdē generis, sed sicut ens imperfectum est mediū inter non ens, & ens perfectum, quòd à non ente penitus differt,

sed

sed cum ente imperfecto realiter est idem, vt dicitur secundo Metaphysicæ.

¶ Quod timor donum est spiritus sancti 2. et quomodo charitate crescente timor dicatur diminui. Articulus 47.

TImor insuper, qui inter septem dona cõnumeratur, non est timor mundanus neque seruilis, quia isti timores sine charitate habentur: sed est timor filialis, de quo Christus: Nolite (inquit) timere eos qui corpus occidunt, &c. Dona quippe spiritussancti sunt quædam habituales vitium animæ perfectiones, quibus redduntur à spiritusancto faciliter mobiles, sicut potentiæ appetitiuæ per virtutes morales rationi promptè subdũtur. Cum ergo timor filialis faciat hominem deo reuerentur subiectum, non repugnantem nec pigrum, constat quod meritò donum vocetur, teneatque primum locum ascendendo, vltimum verò descendendo, secundum Augustinum. Amor tamen perfectior est timore, quia directè respicit bonum: timor verò pro obiecto habet malum, dicit autem Gregorius quod timor datur contra superbiam: Nam cum initium superbiæ sit apostatare à deo, id est, deo nolle subdi, id quod deo hominem subditum facit, merito contra superbiam datur, hoc verõ efficit timor filialis, vnde & ipse est humilitatis principium. Considerandum est autem quod dona spiritussancti sunt principia virtutum intellectualium atque moralium, & perfectiora sunt eis, virtutes verò theologicæ sunt donorum principia.

2. ¶ Præterea, quanto amplius crescit charitas, tanto timor filialis magis augetur, quia quo quis deum intentius diligit, tanto offensam ipsius ac separationem ab ipso vehementius expauescit. Denique timor, quo ad seruilitatem charitate adueniente penitus tollitur. Manet tamen timor pœnę secundum substantiam, sed charitate crescente iste timor quantum ad actum decrescit: quia quõ aliquis deum ardentius amat, eò pœnam minus formidat, tum primo quia minus attendit proprium bonum, cui timor pœnæ contrarius est: tum secundo quoniam quo amplius deo adhæret, eò de præmio magis confidit.

¶ Vtrum timor in patria maneat. 11. Et de beatitudine dono timoris correspondente. Articulus. 48.

Nunc

NVnc autem scire oportet, quod licet timor seruilis per securitatem æternæ fœlicitatis omnino auferatur in patria: tamen timor filialis in patria perficietur, sicut & charitas. Nõ autem secundum eundem actum remanebit in patria, quẽ modo habet. Sicut enim obiectum spei est bonum possibile: sic obiectum timoris est malum possibile: vnde timor est quædam fuga mali possibilis. Cumque vniuscuiusque bonum in hoc consistat, vt in suo ordine perseueret, & malum cum debitum ordinem deserit. Bonum rationalis creaturæ est, vt deo se subdat. Malum verò dum inferioribus rebus per amorem se subijcit. Itaq; malum intellectualis substantiæ est deo non subdi in eum præsumptuose insilire, aut eum contemnere, hoc autem malum possibile est omni creaturæ, secundum suam naturam considerate propter libertatem arbitrij, sed in beatis est impossibile tatione fruitionis & gratiæ. Itaque fuga seu timor huius mali quod est deo non subijci, secundum quod est naturæ creatæ possibile, fœlicitati verò impossibile, in patria permanet quemadmodum scriptum est: Timor domini sanctus permanens in seculũ seculi. Vnde Gregorius super illud sancti Iob: Columnę cœli contremiscunt, virtutes (aut) cœlestes, quę deũ sine cessatione conspiciunt, in ipsa contemplatione contremiscunt, sed idem timor ne eis pœnalis sit, nõ timoris est sed admirationis.

¶ Timor igitur iste in patria manet quoniam naturalem defectum importat creaturæ à creatore in infinitum distantis.

2. ¶ Præterea, cum filialis timoris sit deum reuereri eique subijci, id quod ex hoc actu consequitur ad donum timoris pertinet, ex hoc autem quod quis deo reuerenter se subijcit, oritur quod in nullo alio quàm in deo magnificati desideret diuitias, famam, honorem, & gloriam hominum aspernãdo, sed hoc certum est ad paupertatem spiritus pertinere. Ideoque prima beatitudo quæ est, beati pauperes spiritu, correspõdet dono timoris: Hanc nanque beatitudinem exponit Augustinus de humiliatione inflati superbique cordis. Ambrosius atque Hieronymus de temporalium abiectione bonorũ, quæ sponte ac spiritualiter fit.

¶ De desperatione quomodo sit peccatum. 2. An absque infidelitate committi possit. 3. Vtrum etiam sit maximum peccatorum. 4. Et de origine eius. Articulus. 49.

Secundum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secundum Aristotelem sexto Ethicorum, quod est in intellectu affirmatio & negatio, hoc in voluntate est persecutio & fuga. Itemque sicut se habet ad intellectum verum & falsum: sic ad voluntatē bonum ac malum. Propterea motus appetitiuus conformis intellectui vero est bonus, cōformis autē intellectui falso, est malus. Vera insuper intellectus de deo æstimatio est, vt de misericordia eius venia speretur, falsa quoq; si propter eius iustitiam desperetur. Vnde sicut spes, cum sit conformis veræ æstimationi de deo extat laudabilis, sic desperatio quoniam falsæ æstimationi de deo similis est vituperanda consistit.

¶ Considerandū autem, quod peccata virtutibus theologicis contraria, principaliter respiciunt auersionem à deo. Cætera verò peccata respiciunt conuersionem ad bona caduca, quia immediatum theologicæ virtutis obiectum est deus.

2. ¶ Præterea, desperatio sine infidelitate accidere potest, nam infidelitas pertinet ad intellectum, desperatio ad voluntatem. Intellectus verò est vniuersalium, appetitus autē circa particularia versatur. Potest verò aliquis in communi veram habere habitualem notitiam, quāuis in particulari actus notitiæ per passionem, seu habitum oppositum, impediatur: sicut qui fornicatur, quanuis sciat fornicationem esse mortale peccatum, tamen in particulari eius electio propter passionem aberrat. Pariformiter habens fidem, quod in ecclesia sit peccatorum remissio, desperationem incidere potest ex suggestione, passione aut alia causa sine infidelitate.

3. ¶ Amplius autem considerandum, quod peccata virtutibus theologicis opposita, secundum genus cæteris omnibus graniora sunt, & in auersione à deo præcipuè attenduntur. Ideoque illud quod primo & per se auertit à deo, est inter mortalia peccata grauissimum. Si ergo comparemus infidelitatem, desperationem, & odium adinuicem, erit desperatio minus peccatum quàm alia duo. Nam duo illa contrariantur deo secundum quod in seipso est, vt infidelitas diuinæ veritati, odiumque bonitati diuinæ. Desperatio autem contraria deo est secundum quod participari potest à nobis. Nam desperatio est, quia non confidimus nos dei bonitatem participare posse: veruntamen ex parte nostra desperatio periculosior est, sicut enim per spem reuocamur à malis atque ad bona inducimur, sic per desperationem spe sublata homo in omne

omne vitium, sine refrenatione prolabitur, & ob hoc interdum perhibetur desperationem omnium peccatorum esse grauissimum.

4. ¶ At vero obiectum spei est bonum arduum possibile adipisci. Vnde dupliciter deficere potest spes à beatitudine obtinenda. Primo quia obiectum spei non reputatur vt arduum, id est, magnum atque præcipuum bonum, & secūdum hoc desperatio oritur ex luxuria, per quam accidit quod homo spiritualia bona parupendit atque fastidit, nec ea tanquā ardua sperat. Secundo spes deficit, quoniam beatitudinem aliquis non reputat sibi possibilem: & quo ad hoc desperationem inducit acedia, per quam homini videtur quod nunquā ad altiora ac spiritualia bona erigi possit. Est nanque acedia tristitia quædam, spiritus deiectiua & oppressiua, & ergo per nimiam desidiam animo dominantem desperationem adducit, quia tamen ad rationem obiecti spei, esse possibile specialiter pertinet (Nam bonum & arduum ad alias quoque passiones respiciunt) ideo ex acedia oritur specialius desperatio, & hoc in moralibus Gregorius dicit.

¶ De obiecto præsumptionis. 2. De præsumptionis peccato. 3. Cui virtuti præsumptio contrarietur. 4. De eius origine. Articulus 50.

PRæsumptio insuper spei excessum designat. Spei verò obiectum est bonum arduum possibile adipisci. Dupliciter quoque est aliquid possibile homini, vtpote ex seipso, & item per virtutem diuinam. Et circa vtrūque cōtingere potest immoderatio spei. Primo, cū aliquis intendit in aliquid quod vires suas excedit secundum quod in libro Iudith scribitur: Præsumentes de se humilias. Secundo ex parte virtutis diuinæ est spei excessus, dum aliquis intendit in aliquid tanquā possibile per virtutem & misericordiā dei: quod tamen impossibile est. Sicut cum quis sperat adipisci veniam sine pœnitentia, vel gloriam sine meritis. Et hæc præsumptio est propriè species peccati in spiritum sanctum, quoniam per eam contemnitur auxilium spiritussancti, quo quis à peccato trahitur, scilicet timor diuinæ iustitiæ. Vnde cōstat, quod grauius peccat, qui immoderatè innititur diuinæ potentiæ, quā propriæ potestati. Diminuit enim diuinam iustitiam, quod grauius est quàm propriam extollere facultatem.

2. ¶ Præterea cum præsumptio correspondeat intellectui falso

falso de deo, videlicet quod deus perseuerantibus in malo veniam aut gloriam præstet: ideo extat peccatum. Est tamen minus peccatum quàm desperatio, quanto amplius proprium est deo misereri & parcere quàm punire, cum sibi ex seipso misericordiam teneat: punire autem ob nostras malitias. Sciendum autem, quod peccare cum proposito perseuerandi in malo sub spe veniæ, ad præsumptionem pertinet, si verò quis peccet sub spe veniæ cum proposito absúnendi à culpa, hoc non est peccatum in spiritum sanctum, sed peccatum diminuit. Et sic magister dicit libro secundo, quod Adam peccauit sub spe veniæ.

3. ¶ Ex his patet, quod præsumptio secundum veritatem opponitur spei. Quia quod spes ordinatè, hoc præsumptio inordinatè confidit. Nihilominus videtur habere manifestã oppositionem contra timorem, præsertim seruilẽ, qui ratione diuinæ iustitiæ pœnam formidat. Ipsis quippe virtutibus non solum contrariantur vitia manifesta, sed etiã palliata & quasi vicina virtutibus: quemadmodum prudentiæ non tantũ contrariatur temeritas, sed etiam astutia.

¶ Spes demque & præsumptio non dicuntur respectu malũ nisi abusiuè.

4. ¶ At verò præsumptio, qua quis propriis viribus nimis innititur, ex inani gloria oritur, quia inanis gloria facit hominẽ laudis famæque cupidum, & per consequens altiora se autem tantem. Præsumptio autem, quæ deo immoderatè inhæret, ex superbia nascitur, ac si putet, quia nec peccantem deus reprobabit & punet.

¶ *De præceptis pertinentibus ad fidem & timorem. Artic. 51.*

Oportet quoq; aduertere, quod præceptorum sacræ scripturæ quædam sunt præambula ad legem, ea videlicet sine quibus dari lex nequit. Et hæc sunt præcepta spei, & fidei. Nisi enim homo per fidem, dei veritatem agnosceret & per spem præmium speret, ac per ista se deo subijceret, lex viuendi ei à deo donari non posset. Alia autem sunt præcepta pertinentia ad substãtiam legis scilicet quæ ad vitæ rectum finem directionemque pertinent. Et ista latio in ipsa legislatione proponũtur homini deo per fidem & spem subiecto. Prima autem præcepta, in principio proponenda non erant per modum præcepti: sed præcepta de fide per modum denuntiationis & commemorationis. Præcepta verò

verò spei, per modum promissionis primitus tradenda extiterant. Veruntamen quoniam lege iam posita, sapientum est virorum vt homines ad præceptorum non solum obseruantiam sed etiam ad fundamentum & perfectionem inducant. Ideo post primam legis & præceptorum decalogi latione, multa in sacra scriptura inducta sunt de spe, non solum per modum promissionis sed etiam admonitionis & præcepti, vt est: Spera in domino, &c. Præterea, cum sit duplex timor seruilis videlicet & filialis, sicut homo inducitur ad bene agendum spe præmiorum, sic quoque inducitur ad præceptorum obedientiam timore pœnarum. Vnde sicut de spe non erant danda præcepta in prima legislatione, sic nec de seruili timore, sed ad eum inducendi erant homines communicatione pœnarum, quod factum est in traditione præceptorum decalogi, secundarijs quę legis præceptis. Portrò sicut prophetæ, quorum intentio erat homines stabilire in obedientia legis, multa docuerũt de spe, nedum per modum promissionis, sed communicationis ac iussionis, sic & de timore seruili fecerũt docendo. Timor autẽ filialis, quoniã ad dilectionẽ pertinet & ex ea procedit, est quasi quoddã principiũ omniũ quæ in dei reuerẽtia obseruantur. Nã timor iste ac charitas, præambula sunt ad exteriores actus in lege præceptos, ad quos mandata decalogi pertinent. Ideoq; sicut de dilectione, sic & de timore filiali dantur præcepta in lege. Quẽadmodũ scriptũ est. Et nunc Israel, quid dñs deus tuus petit à te, nisi vt timeas eũ?

¶ *Quod charitas est amicitia 2. Vtrum sit aliquid creatum in anima. Articulus 52.*

NON quilibet autem amor rationem amicitiæ habet, sed ille qui cum benevolentia est, quando videlicet volumus alicui bonum. Si enim res amatas diligimus, inquantum ad nostram vtilitatẽ cedunt, non amore amicitiæ, sed concupiscentiæ eas amamus, sicut equum vel cibum, ad quæ nullus amicitiam habere probatur. Denique nec benevolentia ad amicitiam sufficit, sed reamatio quædam exigitur. Est enim amicus amico amicus. Hæc verò reamatio in communicatione quadam fundatur. Est autem nobis cum deo communicatio, secundum intellectualem animæ perfectionem, secundum quam nobis deus suam beatitudinem nunc inchoatiuè per fidem, postmodum autem planè per speciem communicat. Propterea est inter

nos & deum amicitia quæ charitas dicitur. Vnde apostolus, Fidelis (inquit) deus, per quem vocati estis in societatem filij eius. Et ad Philippenses. Nostra, inquit conuersatio in cœlis est. Considerandum autem, quod amicitia se extendit ad aliquē dupliciter. Vno modo respectu suijpsius. Et sic nullus diligit nisi reamantē amicum. Secundo modo respectu alterius personæ, propter cuius amorē vniuersa ad eū spectantia, tam filij quàm serui & alia, diliguntur. Et quoniam dilectio amicitiæ tanta esse valet, vt propter eum diligamus eos qui attinent ei quamuis nos offendant vel odiant. Ideo hoc modo inimicos propter deum, & in ordine ad eum, ex amicitiæ charitate diligimus. Imo & non virtuosos, propter amorem virtuosi amamus ex charitate, quāuis ista dilectio primo ac principaliter respiciat virtuosum.

1. ¶ Præterea agnoscendum, quod magister sententiarum primo libro asserit, charitatem, qua diligimus deum, esse spiritum sanctum, non tamen vult dicere quod ipse motus dilectionis quo deum amamus, sit spiritus. sed quod motus talis à spiritu sancto immediatè procedat mentem inhabitante. non mediante habitu virtutis animam informante, quemadmodum aliarum actiones virtutum, à spiritu sancto emanant per intermedios habitus, & hoc dixit propter charitatis excellentiam. Nam cum hominem ad infinitum bonum perducat, videtur quandam infinitam dignitatem sortita. Hæc autem positio vera non est. Nam de ratione actus charitatis est, quod sit voluntarius. Et ergo oportet, quod etiam ipse amans sit aliquo modo huius actus principium. Quod esse non potest, nisi per habitum informantem. Actus enim voluntarius est, cuius principium est in seipso. Quod esse non potest, nisi sit aliquid in volente, inclinans ipsum ad actum. Vnde deus, qui cuncta ad debitos fines dirigit, singulis proprias formas impressit, per quas ad connaturales operationes & fines inclinantur. Ideo enim omnia suauiter regere dicitur. Cum ergo actus charitatis naturalem animæ virtutem excedat, necesse est, vt supernaturalis quædam virtus seu habitus, animæ conferatur, quod diligat deum. Præsertim cum dilectio sit omnium radix meritorum, & ipse actus charitatis sit maximè iucundus & facilis, quoniam nulla virtus tantam habet inclinationem ad suum actum vt charitas, & ipsa delectabilius operatur, & tanto iucundius agit quo vehementior

hementior fuerit. Porro quod AVGVSTINVS secundo de Trinitate ait. Qui proximum diligit, consequens est vt dilectionem diligat, deus autem est ipsa dilectio. Consequēs, est igitur, vt deum præcipuè diligat. Hæc atque similia verba AVGVSTINI, dicta sunt secundum modum loquendi Platonicorum, quorum doctrinis AVGVSTINVS instructus erat. Nam sicut dicimus boni aut sapientes bonitate vel sapientia, quæ deus est, non quod deus sit formalis bonitas aut sapientia nostra: sed inquantum bonitas aut sapientia, qua formaliter boni sapientesque sumus, est diuinæ bonitatis participatio. Sic diligere dicimur dilectione, quæ deus est. Et istud quidam non attendentes, ex verbis Augustini errorem illapsi sunt.

¶An charitas sit virtus. 2. An sit virtus specialis. 3. An sit virtus vna. 4. An omnium virtutum altissima. art. 53.

DVplex autem est mensura seu regula actuum humanorum, vt dictum est, scilicet ratio humana, & ipse Deus seu lex diuina. Vnde sicut de ratione virtutis moralis est, vt secundum rectam rationem existat: sic virtus diuina est, quæ secundum deum agit & dirigit. Charitas autem deo nos vnit, & ad ipsum actus nostros perducit. Ideoque virtus est.

2. ¶ Est insuper charitas virtus specialis. Habet enim speciale obiectum, videlicet deum secundum quod est vltimus finis, seu beatitudinis obiectum. Dicit tamen Hieronymus, quod charitas est omnis virtus, non quod sit essentialiter omnis virtus: sed quia ad omnes virtutes se extendit, & ab ea omnes dependent.

3. ¶ Demq; charitas est vna virtus. Charitas nanq; est amicitia quædam. Amicitiarum autē species vno modo accipitur secundum diuersitatem finis, & sic sunt tres species amicitiæ, scilicet amicitia honesti, vtilis, & delectabilis. Secundo secundum diuersitatem communicationum, in quibus fundantur amicitiæ. Vnde alia est amicitia consanguineorum, quæ fundatur in communicatione naturali. Alia conciuium, quæ fundatur in communicatione ciuili. Alia peregrinantium, vt dicitur 8. Ethicorum. Neutro autem modo charitas diuidi potest. Nā finis eius est vnus, scilicet bonitas æterna, cōmunicatio quoque in qua fundatur, est vna, videlicet beatitudo æterna. Quamuis autem charitatis obiecta dicantur deus &,

Universidad de Deusto
Biblioteca

proximus, hoc tamen non est ex æquo. Est enim vna ratio diligẽdi deum & proximum scilicet bonitas dei, & ideo eadem charitate vterque diligitur, deus propter seipsum, & proximus propter deum.

4. ¶ Insuper, quoniam charitas deo mentem perfectissimè vnit, & ipsum deum, qui est summa actuum humanorum mẽsura ac regula, directè secundum quod in se est attingit: ideo est summa virtutum. Id enim quod est per se, dignius est illo quod est per aliud. Spes autem & fides non vniunt nos deo nec ipsum attingunt, nisi secũdum quod ab ipso prouenit nobis adeptio boni atq; cognitio veri. Vnde sicut in virtutibus moralibus prudentia cæteris virtutibus excellentior est, quia rationem quæ est regula operationum bonarum attingit: secundum se, sic omnibus virtutibus charitas est sublimior, quoniam deo secundum se vnit. At verò idẽ est obiectũ charitatis & spei, sed diuersimode. Nam charitas importat vnionem ad illud, & ergo de ratione obiecti sui non est arduum. Spes verò distantiam quandam à bono significat, respicit enim bonum arduum haberi possibile, id est, futurum, & sic charitas perfectius deo copulat quàm spes.

¶ Quod sine charitate nulla sit perfecta virtus. 2. Quod charitas est forma virtutum. Articulus 44.

VIrtus autem ordinatur ad bonum finemq; rei, bonum namque & finis coincidunt. Nam ea, quæ ordinantur ad finem, non sunt bona nisi per comparationem ad finem. Sicut autem duplex est finis, videlicet vltimatus & proximus: sic duplex est bonum. Vltimum scilicet & particulare seu proximum. Vltimũ verò principaleq; bonum hominis, est dei fruitio. Secundarium autem seu proximum, est particulare alicuius bonum, quod tamen ad vltimum finem, quantum in se est, aliquo modo ordinabile est. Tale bonum est duplex vtpote verum, & apparens. Charitas ergo ordinet hominem ad verũ ac vltimum siue quod deus est seu dei fruitio, ideo sine ea nulla est virtus simpliciter dicta atq; perfecta. Possunt tamẽ quædã virtutes, dici virtutes non perfectæ sed ad particulare bonũ relatæ, quando charitas desit. Sicut quæ ordinantur ad conseruationem reipublicę, aut simile aliquid. Porro vt Augustinus ait lib. quarto contra Iulianum, quicquid agit infidelis inquantum infidelis, videlicet quod refert ad finem suæ perfidiæ, est peccatum, quamuis nudum operiat aut esurientem alat. Alius autem actus hominis charitate carentis non secundum quod charitate caret, sed secundum quod alia dona dei habet, vtpote spẽ aut fidem informem seu alia, & sic agere potest opera ex genere bona, imperfecta tamen & immeritoria.

2. ¶ Præterea in moralibus formæ actus præcipuè attenditur ex parte finis, forma autem ad finem actus, consequitur formam agentis. Ideo quod in moralibus dat actui ordinem ad finem. Sed charitas est aliarum virtutum ordinatiua, & ergo dat eis formam, & ob id vocatur forma virtutum, nõ exemplaris vel essentialis, sed quasi effectiua atque extranea, inquantum eis ordinem imprimit.

De charitatis subiecto. 2. Quod sit per infusionem à deo 3. Vtrum charitas infundatur secundum capacitatem naturalium. Articulus 55.

QVemadmodum autem appetitus sensitiui obiectũ est bonum sensu apprehensibile, sic appetitus intellectiui, qui appellatur voluntas, obiectum est bonũ sub communi ratione boni, videlicet apprehensibile per intellectum. Cum ergo charitatis obiectum non sit bonum sensibile, sed bonum diuinum, palam est, quod charitatis subiectum sit ipsa voluntas. Regulatur quoque charitas non à ratione humana, sed à diuina sapientia.

2. Præterea charitas est amicitia hominis ad deum, in cõmunicatione æternæ felicitatis fundata, vt dictum est. Hæc autem felicitas est supernaturale & gratuitum donum. Ideo charitas ad eam perducens, naturalem facultatem excedit: nec generatur ex actibus humanis, sed per infusionem gratię datur. Naturalia enim agere non possunt vltra proprium gradum: vnde nec per ea ad supernaturalem finem pertingitur. Quod autem ait Apostolus. Finis præcepti est charitas, de puro corde & conscientia bona, &c. accipi potest de actu charitatis, vel quia illa disponunt ad charitatis receptionem. Conformiter intelligi debet verbum Augustini dicẽtis, quod timor introducit charitatem: & quod ait Glossa Matthæi primo. Fides generat spem, spes charitatem.

¶ Insuper, cum charitas naturalem proportionem ac facultatem transcendat, & ex sola liberalitate spiritussancti conferatur: ideo non dependet ex naturali virtute, neque secundum capacitatem naturaliũ infunditur, sed secundum voluntatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatem donantis, quemadmodum scriptum est, Spiritus vbi vult spirat. Et Apostolus: Hæc omnia (inquit) operatur vnus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.

¶ Est tamen quædam dispositio seu conatus in homine præcedens gratiam dantis. Et propter hanc dicitur. Dedit vnicuique secundum propriam virtutem. Verumtamen conatum dispositionemque hanc præuenit spiritus sanctus, mentē hominis mouens, vel plus vel minus secūdum suam voluntatē.

¶ Denique charitas & natura non pertinent ad idem genus, sicut gratia & gloria. Ideoque necesse non est, vt secundum dispositionem naturalium charitas infundatur. In angelis tamen secundum magistrum libro secundo, infusa sunt dona gratuita secundum naturalium dignitatem. Angeli enim sunt omnino intellectualis naturæ, & ergo in quod feruntur, in id totaliter mouentur. Et ita in superioribus fuit maior conuersus siue ad bonum siue ad malum, & per consequens maior conuersio charitatis vel auersio consecuta est. Et quo angeli erant dignioris naturæ, eo sunt maioris gloriæ vel malitiæ. Sic autem non est de homine, qui quandoque est in actu quandoque in potentia, & est etiam sensitiuæ naturæ.

¶ De charitatis augmento. 2. Vtrum quælibet alia charitatis augeatur. 3. An in infinitum possit augeri. Articulus. 56.

QVoniam præsens vita est via quædam ad vitam futuram, ad quam charitas nos perducit: palam est quod charitas viæ augeri possit, secundum quod ad deum magis ac magis accedimus. Ad quem appropinquamus, non passibus corporis, sed mentis affectibus. Vnde Augustinus super Iohannem. Charitas, inquit, meretur augeri, vt aucta meretur & perficit. Istud verò augmentum non est secundum quantitatem dimensiuam sed virtualem. Quæ attenditur non solum secundum numerū obiectorum, prout videlicet, plura aut pauciora amantur, sed secundum intentionem actus, inquantum aliquid efficacius diligitur. Illi ergo qui charitatem dixerunt augeri non secundum essentiam, sed radicationem in subiecto seu feruorem, propriam vocem non intellexerunt: Nam cum charitas sit accidens, cuius esse est inesse. Vnde nihil aliud est eam secundum essentiam augeri, quā subiecto magis inesse, quod est in subiecto radicari. Conformiter cum charitas essentialiter augeatur

dinetur ad actum, nihil aliud est charitatem essentialiter augeri, quām ipsam efficientiam habere ad feruentiores actus amoris.

¶ Porrò augmentum istud charitatis, non est per additionē charitatis ad charitatem. Potest enim forma augeri per additionem vno modo ex parte obiecti, sicut dum se aliquis intus extēdit ad plura obiecta quā ante vt in scientia aliqua accidit, quando quis de nouo quædam in ea incipit scire, quæ ante non nouit. Secundo ex parte subiecti, quemadmodum albedo augetur per appositionem albi ad album. Quoniam ergo minima charitas se extendit ad omnia, quæ charitate amanda sunt, subiectum quoquē charitatis: videlicet anima simplex sit, constat quod neutro horum modorum charitas augeri valeat per additionem charitatis ad charitatē. Propterea charitatis augmentum non est nisi secundū quod subiectum magis aut minus charitatem participat, vtpote quia magis reducitur in actum charitatis, & ei perfectius subditur. Hic quippe modus augmenti proprius est cuilibet formæ, quæ intenditur, eo quod talis formæ esse, omnino consistat in hoc quod subiecto inhæret. Et sic quoniam magnitudo rei cōsequitur esse ipsius, talem formam esse maiorem, est ipsam magis inesse & adhærere susceptibili, non autem aliam formam adiungi. Itaque in charitatis augmento, non incipit aliquid inesse, quod ante non inerat, sed quod ante debilius inerat, tunc inerat, tūc incipit inesse perfectius, prout similitudo spiritus sancti, qui charitas est plenius participatur in anima.

2. ¶ Aduertendum demum quod charitatis augmentum aliquo modo simile est corporali augmento. Sicut ergo in animali ipsa augmētatio non est motus cōtinuus, sic vt in qualibet parte temporis partim aliquid addatur, sed natura ad tempus ad augmentum disponit, & postmodum augmentū actu producit: sic non quolibet actu charitatis ipsa augetur, sed quilibet actus ad eius augmentū disponit secundū quod operantem promptiorem, ad eundem actum aut similem habiliorem efficit, qua habilitate crescente, prorumpit homo in actum feruentiorem dilectionis, conando ad charitatis profectum, & tunc charitatis augmentum sortitur.

3. ¶ Amplius autem notandum, quod augmento alicuius formæ præfigitur terminus tripliciter. Primò ex parte formæ, quemadmodū in pallore, & in formis medijs, in quibus

vlterius progrediendo venitur ad aliam formam, puta albedinis siue nigredinis. Secũdo ex parte agentis, cuius virtus se vltra extendere nequit. Tertiò ex parte subiecti, quod ampliotis perfectionis capax non est. Sed nullo horum modo cum charitatis augmento terminus ponitur. Nam charitas cũ sit participatio charitatis immẽsæ, quæ est spiritussanctus, finem non habet. Causa quoque efficiens charitatis, videlicet deus, est infinitæ potestatis. Anima etiam quò magis in charitate crescit, eo ad magis amandum habilior fit.

¶ Charitatis ergo augmento terminus statui nequit: sed in infinitum in via augeri potest. Est tamen ad aliquem finem cum sit quidam motus: sed ille non est in vita præsenti sed patria. Capacitas itaque intellectualis naturæ per charitatem augetur, quia per eam dilatatur, dicente Apostolo. Cor nostrum dilatatum est. Veruntamen charitas viæ, quæ ex fide procedit, ad æqualitatem charitatis patriæ venire non potest: quoniam non est hic eadem ratio quantitatis, cum charitas patriæ sequatur visionem apertam, charitas verò viæ ænigmaticam visionem.

¶ *An charitas in hac vita possit esse perfecta. 2. De gradibus charitatis. 3. Qualiter charitas diminuatur.*

Articulus 57.

DEnique charitas perfecta dici potest vno modo ex parte diligibilis. Deus autem est bonitas infinita, & per consequens est infinito amore amandus. Sic verò à nullo perfectè amari valet, nisi à seipso. Et sic charitas ex parte obiecti, scilicet dei, non potest esse perfecta in mente creata. Secundo charitas vocatur perfecta ex parte amantis, videlicet quando aliquis secundum totum suum posse diligit deum. Et hoc tripliciter accidit. Primo cum aliquis toto corde semper actualiter fertur in deum: & ista est perfectio patriæ: quæ præsenti viæ impossibilis est, propter vitæ infirmitatẽ humanæ. Secundo dum aliquis studium suũ ordinat ad vacandum deo atque diuinis, vniuersis relictis, quantum vitæ necessitudo permittit. Hæc autem perfectio est huic vitæ possibilis, sed non est cunctis communis. Tertiò sic quod quis totũ cor suũ habitualiter ponat in deo, ita quod nihil deo cõtrarium velit aut cogitet, & est ista perfectio cũctis communis charitatem habentibus. Peccata enim venialia non contrariantur charitati, sed actui eius.

Præterea

2. ¶ Præterea tres sunt gradus charitatis, incipientium, scilicet, proficientium, & perfectorum. Quorum distinctio sumitur secundum diuersa studia, ad quæ per charitatis augmẽtum homo perducitur. Primò nempe incumbit homini vt recedat à malo, & cõcupiscentijs malis resistat, & hoc agit charitas incipiennium, quæ propter suam imperfectionem nutrienda fouendaque est. Huic autem studio succedit secundum quo homo principaliter occupatur circa profectum in bonis: quod proficientibus conuenit, qui ad hoc præcipuè tendunt, vt in ipsis charitas per augmenta roboretur. Tertio studendum est homini, vt deo inhæreat & ipso fruatur, quod est perfectorum, cupientium dissolui & esse cum Christo. Horũ simile est in motu corporali. Nam primo receditur à termino à quo, secundo acceditur ad terminum ad quem, tertio in ipso termino quies est.

¶ Porro proficientes similes sunt illis de quibus in Esdra habetur, quod ædificantes, vna manu faciebãt opus, ex alia parte habentes manum ad gladium. Propter præinducta ait Augustinus super primam canonicã Iohannis. Charitas cũ fuerit nata, nutritur, cum fuerit nutrita, roboratur, cum roborata, perficitur: cum ad perfectionem venerit, dicit: Cupio dissolui & esse cum Christo.

3. ¶ Insuper aduertendum quod charitas ex parte obiecti nec augetur nec minuitur. Nam illud inuariabile est, scilicet deus. Si ergo minuatur, hoc est ex parte subiecti, vel ergo minuitur per actum contrariũ, vel per cessationem ab actu. Per cessationem quidem ab actu minuuntur & quandoque corrumpuntur virtutes ex actibus acquisitæ, quia vnumquodq; depẽdet à sua causa. Vnde Philos. 7. Ethic. dicit, quod multas amicitias inappellatio, id est non appellare amicũ neq; colloqui ei, dissolut. Charitas autem nõ causatur ex actibus, sed à deo infunditur. Ideo per cessationẽ ab actu non potest diminui, dummodo in cessatione desit peccatum. Si ergo minuitur, hoc esset per peccatum. Non autẽ per peccatum mortale, illud enim charitatem non minuit, sed penitus destruit. Similiter nec per peccatum veniale charitas minui potest, nec effectiuè nec meritorie. Non effectiuè, quia tale peccatum charitatem non attingit, cum charitas sit circa vltimum finem. Peccatum verò veniale, est inordinatio quædam circa media ad finem: sed non minuitur amor finis ob id, quod aliquis in-

ordinationem aliquam cõmittit circa ea quæ sunt ad finem quemadmodum ægrotantes, aliquando sanitatem multũ desiderant, quamuis circa dietę obseruationem inordinatè se habeant. Rursus, veniale peccatũ charitatis diminutionem nõ meretur. Nam deus non magis auertit se ab homine, quã homo ab ipso: & ergo propter delictũ in minori, non meretur homo diminutionem pati in maiori. Vnde propter hoc quod aliquis circa media ad vltimum finẽ inordinate se habet, non meretur detrimentũ pati in ipsa charitate, per quam immediatè ordinatur ad deum. Relinquitur ergo quod charitas directè loquendo, diminutionẽ nullo modo pati possit, sed indirectè, secundũ quod dispositio ad charitatis corruptionem quę per peccata venialia fit dici, potest charitatis diminutio quæ etiam dispositio per cessationem exercitiorũ charitatis accidere valet.

¶ *Quomodo charitas possit amitti. Articulus 58.*

TRipliciter insuper considerari charitas potest. Primò ex parte causæ suæ, quæ est spiritussanctus animam ad dei dilectionẽ mouens, & ex hac parte charitas impeccabilitatem sortitur, propter virtutem spiritus sancti infallibiliter operantis, & in anima quidquid sibi placuerit facientis. Et ergo prima Ioannis dicitur: Omnis, qui natus est ex deo, peccatũ non facit, quia semen dei manet in eo. Secundo attenditur charitas secundum propriam rationem: & sic charitas non potest nisi id, quod ad charitatis rationem pertinet. Et quo ad hoc charitas non potest peccare, sicut nec calor infrigidare. Propter quod Augustinus in epistola ad Iulianũ comitem, dicit: Charitas, quæ desert, potest nunquam vera charitas fuit. Tertio cõsideratur ex parte subiecti, & ita amitti potest, quia subiectũ ratione liberi arbitrij existit verubile. Charitas verò partię amitti non potest, tum quia semper in actu est, tum quia totã intellectualis naturæ potentiam replet, quorum neutrum charitati viæ conuenit. Ideoq; actu charitatis cessante, aliquid potest occurrere, per quod charitas amittatur.

¶ Porro peccatum mortale charitati directè contrariatur. Nam ratio charitatis exigit, vt se homo deo omnino subiciat, atque in ipsum omnia ordinet, ipsumque super omnia amet. Cùm ergo vnum contrarium aliud tollat, euidens est quòd omne peccatum mortale, imò vna sola actio peccati mortalis,

lis, charitatem pœnitus aufert. Virtus tamẽ acquisita ex actibus non statim corrumpitur per vnum actum contrarium, quoniam actus directè opponitur actui, non ipsi habitui. Sed in charitatis infusione deus se habet ad animam sicut & sol in illuminatione ad aërem. Et ideo mox interueniente obstaculo diuinæ conseruationi seu infusioni, charitas perditur. Agnoscendum autem quòd charitas dupliciter perditur. Primò, per actualem contemptum, & hoc modo Petrus Christum negando charitatem nõ amisit. Secundò indirectè, cõmittendo aliquid charitati contrarium propter passionem concupiscentiæ, vel timoris: & sic Petrus charitatem amisit, sed eandem cito recuperauit. Et quo ad hoc aliqualiter saluari potest, quod Leo Papa ait ad Petrum loquens: Vidit in te dominus non fidem fictam, nec dilectionem auersam, sed cõstantiam fuisse turbatam, abũdauit fletus, vbi non defecit affectus. Affectus charitatis fauit verba formidinis. Ex quibus verbis motus est Bernardus, vt diceret in Petro negante, charitatem non fuisse exunctam, sed sopitam.

¶ *An solus deus sit charitate diligendus 2. Virum ipsa charitas per charitatem diligenda sit 3. An irrationales creaturæ sint ex charitate amandæ. Articulus 59.*

HAbitus autem diuersificãtur per actus, & actus per obiecta secundum formalem rationem eorum. Vnde necesse est, vt idem specie actus sit, qui fertur in rationem obiecti & in obiectum sub ratione forma li; quemadmodum eadẽ visio est qua color videtur, & ipsum lumen, quod est ratio videndi colorẽ. Deus autem est qui directè diligitur & charitatis obiectũ est, & ipse quoq; est ratio diligendi proximum. Idcoq; idem est actus in specie, quo deus amatur & proximus, & extendit se charitas secundario ad proximum. Et sicut dicitur de amore proximi, quo amatur propter deũ, quod sit eiusdem rationis cum amore deifico de timore proximi, quo timetur propter aliquid diuinum in ordine ad deum, dicendum est, quod sit eiusdem speciei cum timore quo deus timetur, loquẽdo de actu timoris. Nam habitus timoris vnus est sicut & amor.

2 ¶ Præterea intellectus & voluntas sunt conuersiui ad seipsos & ad proprium actum reflexiui: & ob hoc volũtas velle & amare potest proprium actum & habitum, inquantũ est quoddam bonum sub obiecto voluntatis contentũ. Dictum

est

Universidad de Deusto
Biblioteca

est autem, quod charitas non est simplex amor, sed etiã amicitia. Per amicitiam verò aliquid dupliciter diligi potest. Vno modo sicut id cui bonũ volumus, & ita amatur amicus. Alio modo sicut bonum quod amico volumus, & sic charitas per charitatem diligitur. Ipsa namque est bonum, quod omnibus volumus, quos ex charitate amamus. Et similis ratio est de beatitudine aliisque virtutibus.

3. ¶ Denique constat ex his, qualiter irrationales creaturæ diligi possunt. Non enim sunt diligendæ ex charitate secundum primum modũ, videlicet vt id cui bonum volumus, sed solum secundo modo, inquantum optamus eas conseruari ad honorem dei vtilitatemq; proximi. Et huius triplex est ratio. Prima, quoniam propriè non possumus bonum velle creaturæ irrationali, cum non sit domina vtendi bono, sed ordinetur ad rationalem creaturam. Secunda, quia amicitia fundatur in quadam communicatione vitæ, quæ non conuenit homini secundum rationalem ac propriam perfectionem cum irrationabilibus. Tertia, quia charitas fundatur (vt dictum est) in communicatione æternæ beatitudinis, ad quam irrationalia nullum ordinem sortiuntur.

¶ Quemadmodum ex charitate diligere debemus nosipsos. 2. Quomodo proprium corpus 3. Quomodo peccatoret. Articulus 60.

POtrò de charitate dupliciter loqui cõtingit. Vno modo in communi, inquantum est amicitia quædam. Et sic nemo propriè diligit seipsum, quia amicitia vnionem designat. Hominis autem ad seipsum nõ est vnio sed vnitas. Vnde sicut de ipsis principijs non habetur scientia, sed aliquid maius, videlicet intellectus, sic nemo ad se habet amicitiã, sed aliquid maius. Ait enim Philosophus 9. Ethicorum, quod amicitia ad alterum oritur ex amicitia quæ est ad seipsum. Secundo de charitate loqui possumus secundum propriam rationem ipsius, videlicet prout est amicitia hominis principaliter ad deum & ex consequentia de ea quæ ordinantur ad deum, inter quę est etiam ipse homo qui diligit. Ideoq; qui deum amat se quoque in ordine ad deum amat.

2. ¶ Denique quia corpus nostrum, secundum propriam naturam consideratum, est instrumentum animæ, quo anima vti potest ad dei honorem & per ipsum deo seruire, ideo etiam corpus nostrum ex charitate diligere possumus. Imperfectionem autem culpæ corruptionemque pœnæ corporis nostri, non diligere, sed odire debemus, quia per hæc elongamur à deo, vnde Apostolus: quis (inquit) liberabit me de corpore mortis huius?

3. ¶ Insuper, peccatores diligere debemus secundũ eorum naturam, per quam deo assimilantur, & beatitudinis capaces constituunt. Secundum culpam verò, qua deo aduersantur odiendi sunt etiam parentes atque propinqui. Sed isto modo eos odire, est ipsos verè diligere, & hoc est perfectum odiũ, quod veræ & diuinæ charitati cõtrarium non est, de quo phera ait: Perfecto odio oderam illos. Nam eiusdem rationis est malum alicuius odire: & bonum ipsius amare. Veruntamẽ opera charitatis quibus corrigi possint, peccatoribus subtrahenda non sunt, nisi in obstinatam & insanabilem malitiam incidãt. Nam & Arist. 9. Ethicorũ testatur, quod amicis peccantibus beneficia subtrahi non debẽt, quandiu habetur spes de sanatione ipsorum.

¶ Porro imprecationes sacræ scripturæ, quæ peccatoribus mala optare videntur, vt est, conuertantur peccatores in infernum, & similes, tripliciter possunt exponi. Vno modo per modum prænuntiationis, vt sit sensus, conuertantur, id est cõuertentur. Secundo per modum optationis, non tamen quo ad pœnam hominis, sed quo ad iustitiam punientis. quia nec deus lætatur in perditione impiorum, sed in sua iustitia. Tertio vt desiderium referatur ad culpæ remotionem, non autem ad pœnam, videlicet vt peccata destruantur, homines verò remaneant.

¶ Denique sicut in viris iustis laudabile est, vt cum peccatoribus conuersentur, quatenus eos corrigant, sic infirmis periculosa est conuersatio talis.

¶ An peccatores seipsos diligant 2. Quod inimici sint ex charitate diligendi 3. An necesse sit eis signa amicitiæ exhiberi. Articulus 61.

ESt autem quidam amor vniuersis communis, nã omnes homines naturali amore amant seipsos, inquantũ amant propriam conseruationem, & hic amor nascitur ex cognitione, qua quis intelligit se secundum id quod purat se esse, sed quia aliqui æstimãt se id quod principaliter sunt, vtpote secundum intellectualem naturam, quæ secundum Apostolum dicitur homo interior, aliqui verò, videlicet

Universidad de Deusto
Biblioteca

delicet mali, æstimant principale suæ substantiæ esse sensitiuam naturam, & illi nō verè, sed carnaliter tamē se diligūt, quia nec veraciter se agnoscunt: primi autem verè se diligūt, quoniam se verè cognoscūt, & hoc Aristoteles nono Ethicorum ostendit per quinque, quæ amicitiæ cōpetunt, quorum primum est, quod amicus vult amicū suum esse. Secūdo vult ei bona. Tertio cooperatur ad hoc. Quarto delectabiliter cōuiuit eidem. Quinto concordat amico in eisdem delectando secum & contristando. Hæc autem bonis se mutuo amantibus, nō autem malis, conueniunt: volunt enim boni sibi inuicem vera ac spiritualia bona, & eadem sibi impendūt &c. Mali autem nō iuuant se mutuo in veris bonis, sed est ipsis amor priuatus, de quo Augustinus decimo quarto de ciuitate dei ait, quod ciuitatem Babylonis constituit, & vsque ad dei contemptum perduxit.

2. ¶ Præterea, de inimico tripliciter loqui possumus. Primo secundum quod inimicus est, & sic nō debemus inimicum diligere, quia hoc esset malum eius amare, quod charitati repugnat. Imò displicere nobis debet, quod inimicatur nobis. Secundo cōsideratur inimicus quantū ad naturam, per quā dei imago est, sed tamen in vniuersali inquantum est homo, & ita dilectio inimici est de necessitate salutis, quia ab illa generali dilectione, qua deum proximumq; diligere iubemur, excludi nō debet. Tertio considerari potest inimicus vt est singularis persona, & tunc inimicorum dilectio non est absolute de necessitate salutis, quia nō obligamur in speciali motum dilectionis ad inimicum habere, imò nec ad alios quoniam hoc impossibile est vt quis singulos sigillatim amet. Est tamen dilectio inimici necessaria, quo ad præparationem animi, vt scilicet homo præparatus sit animo, subuenire inimico si articulus necessitatis occurreret. Sed sine necessitate hanc dilectionem impendere & subuenire, ad perfectionem pertinet, non ad necessitatem. Nam dum deū aliquis perfectissimè diligit, tunc omnes homines tanto amplius amat, quo deū plus diligit, & per hæc patet quomodo intelligi debeat quod in Enchiridio asserit Augustinus. Hoc [inquiens] tam magnū bonum, vt est inimicos diligere, non est tantæ multitudinis, quantam credimus exaudiri in oratione, qua dicitur: Dimitte nobis debita nostra.

3. ¶ Præterea innotescit ex his, quādo & quoniam necessarium

sarium sit inimicis signa seu effectū dilectionis impendere. Signa enim atque effectus amoris ex interioti dilectione procedunt, & proportionantur eidem. Ideo sicut tenemur inimicos diligere in communi de necessitate in speciali verò secundum præparationem cordis: sic quoque communia beneficia, & signa dilectionis eis subtrahere nephas est, vt sunt ea quæ exhibentur proximis in cōmuni, videlicet cum aliquis orat pro cunctis fidelibus, aut communitati aliquid præstat: si talia subtraherentur inimicis signum esset liuoris atq; vindictæ cōtra quod Moses dicit. Nō quæres vltionem nec memor eris iniuriæ ciuiū tuorū. Alia autē sunt spiritualia charitatis signa, quæ alicui specialiter impenduntur: & talia inimicis offerre nō est de necessitate præcepti, nisi secundum animi præparationem. Puta si necessitatis articulus se offeret, alias talia exhibere perfectionis existit, qua quis studet nō solum nō vinci à malo, quod necessitatis est, sed insuper vincere malū in bono, satagens inimicū beneficijs ad suum amorem inducere, quod vtique ad perfectionis cumulū pertinet. Ait enim glossa super illud Matei septimo, benefacite his qui vos oderunt, quod inimicis benefacere, est cumulus perfectionis.

¶ Virum angeli sint diligendi 2. An dæmones sint ex charitate diligendi 3. De numero diligendorum, Articulus 61.

QVemadmodum præinductum est, vera charitas in communicatione æternæ beatitudinis fundatur. Cùm ergo homines ad angelicam felicitatem ordinentur, erunt enim sicut angeli dei: cōstat quod angelos quoque ex charitate teneamur diligere, sicut in libro de doctrina Christiana Augustinus fatetur. Denique dilectio angelorum reducitur ad dilectionem proximorum, quantis enim homo & angelus non conueniāt in natura specifica, cōueniunt tamen in vno fine, etiam in gratia, & homo nunc aliquo modo angelicam conuersionem habere potest, quam postea perfecte habebit.

2. ¶ Præterea, quoniam naturam iniquorum tenemur diligere & culpam odire: ideo dæmones non sunt ex charitate diligendi, quia in nomine dæmonis peccatum includitur. Si autem nominentur nomine aliquo, in quo nō includitur culpa tunc sunt diligendi, nō sicut intellectuales substantiæ beatitudinis susceptiuæ, ad quas proprie habemus amicitiā: nō enim

enim possumus eis bonum tale velle, cum sint in æternum damnati per diuinam iustitiam, quam per charitatem approbare tenemur. Sunt tamen diligendi sicut irrationales creaturæ, in quantum volumus eos conseruari in bonum alterius, videlicet in gloriam diuinam, naturalia eorum sunt bona, & iustitia dei relucet in ipsis.

3. ¶ Insuper aduertendū quod secundū Augustī. 1. de doctrina Christiana, quatuor sunt ex charitate diligenda. Vnum quod super nos est, vtpote deus, alterum quod nos sumus, tertiū, quod iuxta nos est, scilicet proximus, quartum quod infra nos est, videlicet corpus. Cū enim charitatis amicitia fundetur in communicatione beatitudinis, in beatitudine verò est vnum, beatitudinem influens, scilicet deus, aliud est beatitudinem directè participans, puta homo & angelus. Tertium est beatitudinis quandam redundantiam ex influentia animæ sortiens, & est corpus humanum. Id autem quod beatitudinē directè participat, potest diligibile duplici ratione consistere, vel quia est vnū nobiscū, & ita homo amat seipsum, vel quia est nobis in beatitudinis participatione consociatū, & ita diligitur proximus, in quo etiam intelligitur angelus. Sic igitur innotescit, quod diuersa habitudo diligentis ad diligibile, facit diuersam rationem diligibilitatis, & secundū hoc assignatur quatuor diligenda. Quamuis ergo homo diligens & proprium eius corpus, sint duo diligibilia, proximus tamen & corpus eius sunt vnum diligit se quia directe beatitudinis capax corpus autem suum, quia beatitudinis redundantiam capere potest. Proximus verò & corpus eius vna duntaxat ratione diliguntur, videlicet propter cōsociationem in beatitudinis participatione nobiscum.

¶ *De ordine charitatis 2. Quod plus diligere debemus Deum, quàm proximum 3. Quod plus diligere debemus Deum, quàm nosipsos. Artic. 36.*

SEcundum præhabita, charitas tendit in Deum sicut in primum beatitudinis causale principiū. Sed vbicunque est aliquod principium, necesse est esse aliquē ordinē. Ordo aūt includit prius & posterius. In his ergo quæ charitate amātur, est ordo seruandus, & dilectio ordinate ponderanda, quemādmodum Canticorum secundo scribitur. Ordinauit in me charitatem.

2. ¶ Denique cum amicitia charitatis in beatitudinis cōmunicatione

nicatione fundetur, eamq; respiciat: ideo sicut deus est essentialiter & eminenter beatitudinē habens, & omnis fœlicitatis principiū: sic est primo & maximè diligendus. Sciendum verò, qđ duplicitet dicitur aliquid causa dilectionis. Primò quia est ratio diligendi, & sic bonū est causa amādi. Secundo quia est via ad diligendū: & ita visio est diligēdi causa, nā per eam ad amandū perducimur. Et quo ad hoc secundū, primo diligendus est proximus: non quod sit magis diligendus quàm deus, sed quia primo occurrit nobis ad diligendum, cùm sit magis visibilis & notus quàm deus. Et ob id dicit Iohannes: Qui non diligit fratrem suum quem videt, deum quem non videt, quomodo potest diligere?

3. ¶ Præterea amore naturali, qui in cōmunicatione naturalium donorū fundatur, homo in suæ integritate naturæ consideratus, plus diligit deum quā seipsum: & nō solùm homo, sed etiā quælibet creatura, suo modo plus amat vel appetit deum quā seipsum, vel intellectuali vel rationali vel animali, vel naturali saltē amore. Nam quælibet pars plus amat naturaliter bonum commune totius, quam bonum particulare ac proprium. Quod ex operatione partis ostenditur.

¶ At verò in virtutibus quoque politicis cernimus quod cives pro bono cōmuni seu principis, propriarū rerum & personarum incurrunt pericula: deus autem est primum omnium vniuersaléque bonum, sine quo nihil esse vel persistere potest. Si ergo naturali amore deus summé amatur, tunc multo amplius charitate amicitiæ, quæ in communicatione donorū gratuitorū fundatur. Hoc verū est. Plus ergo amare debemus deum quā nosmetipsos. Ideoque quod Aristote. 9. Ethicorum, ait amicitiam ad alium oriri de amicitia ad seipsum, intelligi debet, de amicitia rei, quæ habet bonitatem nō essentialiter & secundum plenitudinem, sicut deus, sed per participationē vt creaturæ. Itemque de amicabilibus in quibus est bonum secundum particularem modum, & non de his in quibus est ratio boni secundum quandam communitatem & rationem totius.

¶ *Vtrum homo magis seipsum diligere debeat quam proximū. 2. An impensius proximum, quàm corpus proprium. 3. An etiam plus vnum proximū quam alium. Articulus. 63.*

MAgis autem diligere debet homo seipsum, quam aliquem alium post deum. Nam secundum præostensa, deus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſa, deus diligitur tãquam principium boni, in quo charitatis dilectio eſt fundata, & ſeipſum diligit homo inquãtum iſtius boni eſt particeps: proximum verò ratione conſociationis in participatione boni diuini: cõſociatio autẽ in vnione fundatur. Vnde ſicut vnitas prior & potior eſt vnione: ſic dilectio ad ſeipſum maior eſſe debet dilectiõe ad aliũ. Nã dilectio ad ſeipſum eſt exemplar dilectionis ad alium: ſcriptum eſt enim: Diliges proximum tuum ſicut teipſum: Sed exemplar principalius eſt exemplato.

¶ Itaque quanuis proximus ſit quãdoque melior ac deo propinquior quàm homo qui diligit, non tamen ob hoc amplius diligi debet. Nã dilectio, ſicut & quælibet actio, nõ ſolum habet quantitatem ex parte obiecti, ſed etiam ex parte ſubiecti. Nullus autem eſt tam propinquus amanti vt ipſe ſibi. Et ſignum horum eſt quod homo non debet ſubire malum animæ, ſiue peccatum propter proximum quanuis temporalium rerum periculà, imo & proprij corporis incurrere debeat propter ſpirituale proximi bonum. Semper tamen bonum cõmune eſt magis amabile vnicuique e, quàm proprium bonum. Nam charitas nõ quærit quę ſua ſunt, quoniam bonum commune propriori bono præponit, ſecundum Auguſtinum.

2 ¶ Denique cum proximus ratione animæ ſit directè eſſentialis beatitudinis, quę eſt dei fruitio, particeps: corpus verò per ſolam redundantiam ab anima: ideo magis debemus diligere proximum, quàm corpus proprium. Non tamen teneretur homo corpus ſuum exponere mortis periculo propter proximum, niſi cum imminet ei cura ſalutis pro proximo. Quod ſi quis vltro ſe ſponte pro ipſo exponat, hoc perfectionis eſt, non neceſſitatis.

1. ¶ Præterea ſicut in naturalibus inclinatio naturalis ineſt ſecundum conuenientiam actionis & motus cuiuſlibet rei: vt in terra eſt maior inclinatio grauitatis ad locum deorſum, quàm in aqua: quoniã cõpetit terræ eſſe ſub aqua: ſic in inclinatione gratiæ ex charitate procedente, oportet vt ipſa interior charitatis affectio proportionetur exterioribus ſignis atque effectibus charitatis. Vnde ſicut vni ſunt magis impendenda charitatis beneficia quàm alteri: ſic eſt vnus alio amplius interiori affectu amandus. Rurſus quia quantitas dilectionis penſatur ex propinquitate ad deũ & proximum: ideo ſecundum quod vnus eſt deo vel ipſi amanti magis propinquus, ſic magis eſt diligendus.

¶ *Quis magis diligendus eſt. 1. Melior vel coniunctior. 3. Secundum carnem affines vel aliunde coniuncti. 4. Pater vel filius, pater vel mater. Articulus 67.*

VT dictũ eſt, actus proportionatur obiecto & agenti, & ex obiecto habet ſpecies, ex virtute verò agẽtis intẽſionem vel remiſſionẽ quemadmodũ motus ſpecificatur à termino ad quem, velocitatẽ autem habet ſecundum diſpoſitionem mouentis: conformiter dilectio ſpecies habet à ſuo obiecto quod eſt deus. Sed intẽſionem ſui actus habet ex diſpoſitione amantis. Meliores ergo ſunt magis diligendi quãtum ad ſpecies dilectionis. Sunt enim variæ ſpecies dilectionis, ſecundum diuerſa bona quæ alicui volumus. Melioribus autem velle debemus maius bonum, videlicet ampliorem diuinæ bonitatis participationem ſeu fœlicitatem. Hoc nanque charitas exigit, vt velit homo diuinam iuſtitiam cõſeruari, quæ melioribus maiorem gratiam tribuit. Porro ex parte diligẽtis maiori effectu, diligimus propinquiores, quia affectuoſius optamus eis id bonũ quod eis optamus, quàm melioribus maius bonum.

¶ Denique propinquiores pluribus modis diligimus quàm meliores, ſecundum quod in pluribus cum eis communicamus, amicitia nẽpe in communicatione fundatur. Adhuc autem charitas quæ in communicatione diuina fundatur, omnib⁹ alijs amicitijs bonis imperat: & ſic ſiue diligatur aliquis cõſanguineus, vel quia conciuis, aut ſodalis: omnes iſtæ amicitiæ in deum ordinati poſſunt, & per conſequens propinqui intenſius diliguntur.

2. ¶ Amplius autem charitas nos deo conformat, non vt ſemper velimus quæ deus, ſed ſecundum proportionem: quatenus ſicut deus diligit quod ei conuenit, ſic homo ſe habeat ad id quod ſuum eſt. Ex his eluceſcit, quod ſecundum carnalem originem propinqui ſunt maximè diligendi, quia cum illis eſt nobis maior communio, diuerſorum enim dilectio eſt menſuranda ſecundum coniunctionem diuerſam, vt vnuſquiſque in eo potiſſimè diligatur, quod pertinet ad coniunctionem illam propter quam diligitur. Vnde conſanguineos plus diligere decet in his, quæ ſpectãt ad bona naturæ, & ad neceſſaria vitæ: concines autem in his quæ pertinent ad cõuerſationem ciuilem, commilitones verò in bellicis rebus. In

Universidad de Deusto
Biblioteca

his autem cõmunicationibus & coniunctionibus potissima est, quæ est secundum carnalem propaginem: est enim prior & immobilior, quia est secundum substantiã rei. Aliæ verò accidentales & delebiles extant. Ideo cõsanguineorum amicitia stabilior est. Aliæ tamen possunt esse maiores secundũ quid, videlicet in eo quod singulis propriũ est. Vnde in proverbijs scribitur: Vir amicabilis ad societatem, magis est amicus quàm frater. Nam quia talis amicitia ex propria libertate contrahitur, ideo in agendis præponderat. Sic quoq; Ambrosius, in primo de officijs dicit: se nõ minus diligere quos in euangelio genuit, quàm si carnaliter eos genuisset. Nam talibus in instructione morũ & bonis gratiæ, maximè proni dere debet pater spirituales.

3 ¶ Præterea gradus dilectionis ex duobus pensatur. Primo ex parte obiecti, & sic q; est magis bonũ, est magis amandũ. Et quo ad hoc, plus diligere debet homo patrẽ suum quàm filium, quia pater habet rationẽ principij & causæ, filius autem rationẽ effectus. Secundo ex parte subiecti diligentis, & ita quod est magis cõiunctum magis diligitur: & sic magis diligit homo filium quàm patrem secundum Philosophum secundo Ethicorum. Primo quoniam parentes diligũt filios tanquã aliquid sui, quia filius de substantia parentum est genitus, pater verò nõ est aliquid filij. Secundo, quia parentes certius sciunt de filijs quod sui sint, quàm econtra. Tertio quia filius est parenti propinquior, cũ sit pars eius. Quarto quia parentes diutius amauerũt quàm filij, amor autem tanto est fortior quanto diuturnior, iuxta illud Ecclesiastæ 9. Nõ derelinquas amicũ antiquũ, nouus enim non erit similis ei. At verò quoniam patet habet rationem principij, ideo filius debet parentibus honorem & reuerentiam exhibere. Parentes verò filijs prouidere habent, quia filius habet rationẽ effectus, effectum autẽ conuenit recipere influẽtiã à suo principio, Ideoq; Apostolus: Non debent (inquit) filij thesaurizare parentibus, sed parentes filijs. Vnde secundũ Aristotelẽ. 8. Ethicorum parentes naturaliter plus diligũt filios quam diligantur ab eis. Veruntamen in necessitatis articulo obligatur filius maximè prouidere parentibus, propter beneficia sibi impensa.

4 ¶ Præterea pater inquantum pater per se loquendo, magis diligendus est quàm mater secundum quod ma. e. quibus aliunde propter speciales rationes vel virtutes, oppositũ sæpe contingere possit. Pater quippe & mater amantur vt principia quædam naturalis originis. Sed pater habet excellentiorem rationem principij in generatione quàm mater: habet nanque se per modum actiui principij, mater autem per modum patientis. Et quamuis ipsa matet iam ministret informem: tamẽ in semine patris est virtus formatiua: & ita pater magis disponit ac formæ substantialis susceptionem quàm mater.

¶ Quem magis diligere debet homo parentẽ vel vxorẽ. 2. Benefactore vel beneficiatum. 3. An ordo charitatis ex patria perseueret Artic. 66.

AMplius autem, cùm parentes habeãt rationẽ principij respectu filiorum: ideo magis diligendi sunt quã vxor, ex parte obiecti amoris, qd' est bonum. Sed quoniã vxor magis copulatur viro quàm parentes, sunt enim vna caro: ideo secundũ rationem coniunctionis, quæ causat gradum dilectionis ex parte diligẽtis, vxor magis diligitur. Nam licet homo propter vxorem parentes relinquat quo ad cohabitationem, carnalemq; copulã in quibusdam tamen magis debet homo assistere parẽtibus quàm vxori.

2. ¶ Præterea, quia benefactor habet rationem principij respectu eius cui benefecit, & quandam dignitatem super beneficia recipientem: ideo attẽdẽdo gradũ dilectionis ex parte obiecti seu boni, magis amare debet homo benefactorem quàm beneficiatum. Pensando autem gradum dilectionis ratione coniunctionis, seu ex parte subiecti, magis diligendus videtur beneficiatus, vt 9. Ethicorũ habetur. Cuius assignat Philosophus quatuor rationes. Primò, quia beneficiatus est quasi quoddam opus benefactoris. Secundo quia benefactor videt in beneficiato propriam quandam perfectionem, videlicet rationem boni honesti, beneficiatus autem in benefactore non respicit, nisi bonum vtile suum. Tertio, quia ad amantem pertinet agere circa dilectum, quod benefactori maximè conuenit. Quarto, quoniam difficilius est bona impendere quàm recipere: ea autẽ in quibus magis conamur magis diligimus: quæ verò de facili veniunt, quasi contemnimus. Veruntamen quidam sunt benefactores, vi-

delicet deus & pater, quos præ omnibus beneficiatis oportet magis diligere.

4. ¶ Denique palàm est ordinem charitatis remanere in patria, quo ad hoc vt deus super omnia diligatur. Sed de ordine charitatis quantum ad seipsum distinguendum est. Nã secundum præostensa, gradus dilectionis attenditur primo secundum differentiam boni, quod quis optat amato. Secundo ex parte intensionis ipsius dilectionis. In patria itaque plus diligit homo meliores quàm seipsum quia per charitatẽ maius bonum eis volet, secudum quod dei iustitia exigit: minus autem bonos minus amabit, tunc quippe cessabit potestas merendi, & ob id non optabit minus bono maius bonum: quod tamen nunc fieri potest, secundum præhabita.

¶ Quantum verò ad secundum plus diliget homo seipsum quàm proximum etiam meliorem, quia dilectionis intensio pensatur ex parte subiecti amantis & sic sicut homo est sibi coniunctior quàm alteri, sic intensiùs vult sibi bonum, quod competit sibi.

¶ Denique ad hoc datur vnicuique charitas à deo, vt primo propriam mentem ordinet in deum. Secundario autem ordinem aliorum ad deum velit, & pro posse efficiat. Porro cõsiderando ordinem proximorum adinuicem, sic in patria ille simpliciter magis amabitur, qui deo propinquior est & melior. Nam totus ordo dilectionis in patria, est secundum comparationem beatorum ad deum. Tunc quoque cessabit necessitudo vitæ præsentis, & promissio, propter quæ propinquiores nunc magis amantur, & ampliora beneficia dilectionis exigunt. Nihilominus propinquiores in patria pluribus de causis diligentur, quoniam honestæ causæ amicitiæ non tollentur, eo quod gratia naturalia non auferat sed perficiat. Sed his omnibus incomparabiliter præferetur ratio dilectionis, quæ prouenit ex propinquitate ad deum.

¶ Virum sit charitati magis proprium, amare vel amari. 2. An amare sit idem quod beniuolentia. 3. Quod deus est propter seipsum amandus. 4. Virum in hac vita possit immediate amari. Articulus. 67.

CHaritas denique cum sit quædam virtus, ex propria natura inclinationem habet ad proprium actum: amare autem nõ est actus charitatis eius qui amatur sed amantis. Ideoque amare conuenit charitati inquantum est charitas. Amari verò secundum communem rationem boni prout aliquis ad bonũ tale mouetur, quia est bonum quoddã. Vnde magis charitati conuenit amare quã amari, vt octauo Ethicorum habetur, cui⁹ duplex est signũ. Primum, nam amici magis laudantur ex hoc quod amant, quàm qui amantur. Secundum, quia mattes, quæ maximè amant, potius quærunt amare quã amari. Sicut illæ non quærunt amari, quæ filios suos committunt nutrici, vt Philosophus asserit. Qui etiam dicit, quod plures volũt amari quàm amare. Et ideirco multi fiunt adulatores, homines enim volũt amari, inquãtũ volũt honorari. Nam sicut honor exhibetur in testimoniũ virtutis: sic homo amatur propter bonum, quod in ipso putatur, & ex hoc cõsequenter honoratur.

2. ¶ Præterea secundum Philosophum nono Ethicorum, beniuolentia est simplex actus voluntatis, quo bonũ alicui volumus, & differt ab actuali amore appetitus sensitiui, quia ille est passio, & cum impetu quodam inclinat in suum obiectum. Passio quoque amoris nõ subitò generatur in aliquo, sed ex assidua impressione rei dilectæ in amantem. Beniuolentia autem ex solo rationis iudicio oritur, & interdũ subitò generatur: quemadmodum videns homo pugilem quandoque repentè appetit ei triumphum. Sed amor per consuetudinem inest & gignitur. Distinguitur insuper beniuolentia ab actu amoris intellectiui, qui in voluntate cõsistit, nam talis actus vnionẽ importat amantis atque dilecti: sic quod amans reputat amatum tanquã vnum secum, vel pertinẽtem ad se: beniuolentia autem est simplex motus non designans vnionẽm huiusmodi. Propter quod ait Philosoph⁹ nono Ethicorum, quod beniuolentia nõ est amicitia neque amatio sed principium eius, dilectio namque includit beniuolẽtiam & addit vnionem. Et quo ad hoc secundo Rhetor. Aristoteles dicit, quod amare est alicui bonum velle, quod ad beniuolentiam pertinet.

3. ¶ Præterea cùm dicitur aliquid amabile propter aliud, propter habitudinem causæ designat. Est autem quadruplex causa videlicet efficiens, finalis, formalis, & materialis. Et secundum vnamquãque potest aliquid esse amabile. Deus autem non potest esse amandus propter causam formalem, finalem aut efficientem: cum ipse sit omnium primum principium, tam formale seu exemplare, quàm finale & effectiuũ.

Potest tamen dici amandus propter causam materialem, id est, materialem dispositionē, inquantum per affectus ipsius, vtpote beneficia vel promissa, vel minas dei, ad eius amorē disponimur atque inducimur, quanuis postquam amare incepim⁹, nō iam propter sua beneficia ipsum diligamus, sed propter propriam suę bonitatis virtutem per quam ipse nos prior dilexit. Vnde Augustinus in libro de catechizandis rudibus astruit, quod nulla est maior prouocatio ad dilectionē, quàm præuenire amando.

4. ¶ Amplius intueri oportet, quod cognitio fertur in agitum, secundum quod illud est in ipso cognoscēte. Deū autē in hac vita cognoscere nō valemus, nisi per res creatas, quæ diuinam naturam in seipsa non plenè repræsentant. Appetitus verò fertur in rem volitam, secundum quod res est in semetipsa. Ideoq; charitas etiam in via mouetur immediatè in ipsum deū. Nam ibi cognitio sistit, ibi dilectio incipit. Sed deum in præsenti vita, immediatè videre aut noscere nequaquam possumus, quoniam non inest menti per propriam speciem, amor autē intrat, vbi cognitio foris stat.

¶ Quomodo deus possit totaliter amari 2. Qualiter diuinæ dilectionis nō est aliquis modus. 3. Vtrū sit magis meritorū diligere inimicū vel amicū. 4. Vtrum etiam magis sit meritorū amare deū vel proximū. Artic. 68.

EX quo dilectio inter amantem atque amatū medii quoddā est vniens vnum cum alio: cum quęritur an deus possit amari totaliter, primo potest ista totalitas referri ad deū: & sic deus totaliter diligi debet, quia quicquid ad eum pertinet, amabile est. Secundo intelligi potest totalitas ex parte amantis. Et tunc quoq; deus totaliter est amandus, quia rationalis creatura totis viribus suis deū diligere habet. Tertio accipitur totalitas secundum comparationem diligentis ad dilectum, vt sit sensus, an deus tantū possit amari quantū extat amandus. Et ita cùm deus sit infinita bonitas, in infinitum diligibilis est, nec ab alio quā à seipso hoc modo totaliter diligi potest.

2. ¶ Præterea secundum Augustinū, modus est quem vnicuique propria mensura præfigit, determinatio autem mensuræ, quam modus significat, diuersimodè est in ipsa mensurata & in mensuratis. In mensura nanque inuenitur essentialiter & per se, eo quod mensura secundū seipsam determinet & mo-

& modificet mensurata. In mēsuratis verò est secundū quod mensuram attingit. In mensura ergo nihil immodificatū accipi potest. Porro in agibilibus & appetibilibus mensura est finis, nam in talibus oportet propriam rationem ex fine accipere, secundum Philosophum secundo physicorum. Vnde finis secundum seipsum habet modum, ordinata verò ad finem, inquantum fini proportionantur. Propter quod secundum Aristotelem primo Politicorum, appetitus finis in omnibus actibus, est sine modo & termino. Medicus nanque sanitatem efficit quantumcunque bonam potest. Mediorum autem ad finem est terminus. Cùm ergo dilectio dei sit omnium humanarum actionum affectionumque finis, non est in ea modus sic quod in ea possit esse excessus, sicut in mensuratis contingit. sed est in ea modus secundū quod in ipsa mensura, modus quidem existit, non quod in ea possit esse minus & plus: sed quanto magis habetur, tanto est melius. Et ita in dilectione est modus, quia quo Deus magis amatur, tanto perfectior extat dilectio.

3. ¶ Aduertendum est insuper, quod cum dilectio referri possit ad ipsum diligentem, vel ad deum, qui est ratio diligendi proximū, dilectio amici præeminet dilectioni inimici ex parte subiecti amantis: quia amicus est melior atq; cōiunctior, & per consequens est materia dilectioni aptior. Vnde actus dilectionis super eam transiens melior est, oppositumque ipsius deterius. Est enim maius peccatum odire amicū, quàm inimicum.

¶ Quantum verò ad id quod est ratio proximum diligēdi, videlicet Deus, dilectio inimici præeminet dilectioni amici. Primo, quia huius dilectionis solū deus est causa, amicus verò ob alias causas diligi potest. Secundo, nā ex inimici amore ostenditur dilectio dei fortior esse in homine, eo quod propter eam homo tam difficilia impleat, quod etiam inimicum diligit: sicut calor ignis tanto est amplior, quāto in remotiorem materiā agere valet. Nihilominus dilectio amici secundum se est feruentior & melior & meritoria magis. Ad rationem nempe virtutis & meriti plus facit bonum quàm difficile. Propter quod licet inimici dilectio sit difficilior, non tamē oportet vt melior ac magis meritoria sit. Si autem amicus diligatur ea tantum ratione quia amicus, & non propter deum tunc inimici dilectio præponderat. Et ergo Matc. septimo

Universidad de Deusto
Biblioteca

habetur: Si eos diligitis qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Signum quoque huius, quod amicus propter se & nō ob deum amatur, est, quando sic amicus diligitur, vt inimicus odio sit.

2. ¶ Denique cum id quod melius est magis meritorū sit, si consideretur dilectio proximi seorsum, palam est quod magis meritorium sit diligere deum quàm proximū. Si verò sumatur dilectio proximi, inquantū includit dilectionem dei, & dei dilectio secundum se accipiatur, tunc dilectio proximi habet se ad dilectionem dei sicut perfectum ad imperfectum, quoniam perfecta dei dilectio, se semper extendit ad proximos. Et sic dilectio proximi magis meritoria esset. Quod igitur ait Apostolus: Optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis, non debet intelligi quod plus fratres quā deū dilexit, vel quod simpliciter à deo separari maluisset. Sed quia plus deum quàm seipsum dilexit, volebat ad tempus carere dei fruitione, quod pertinet ad dilectionem sui, quatenus honorē dei procuraret in alijs, quod pertinet ad dilectionem dei. Et ita exponit Chrysostomus libro de cōpunctione.

¶ *Vtrum gaudium sit charitatis effectus. 2. An compatiatur secum tristitiam. 3. Quomodo etiam possit esse plenum 4. Vtrum sit virtus.* *Articulus. 69.*

PRæterea, ex amore oriuntur gaudiū & tristitia. Nam sicut ex præsentia boni amati, vel ex hoc quod ipsi quem amamus proprium bonum inest & ei bene accedit, nascitur gaudium in amante: sic per oppositum modum ex amore procedit tristitia ex absentia vel aduersitate dilecti. Amor autem dei charitas dicitur, & ex hoc quod deus amatur, manet in amante per nobilissimum effectum, quemadmodū scriptum est: Qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo. Vnde spirituale gaudium, quod de deo habetur, ex dei charitate causatur. Spirituale igitur gaudium de deo dupliciter potest haberi. Primo, secundum quod bonitas dei in seipsa consideratur. Et hoc est perfectius gaudiū ad amorem benivolentiæ pertineus. Secundo, inquantū bonitas diuina participatur aut participari potest à nobis. Et tale gaudium potest etiam nasci ex spe, prout fruitionē dei speramus, quemadmodum Apostolus dicit, Spe gaudentes.

2. ¶ Denique gaudium quod ex charitate diuina procedit, secundū quod deus propter seipsum purè diligitur, admixtionem

tionem tristitiæ non habet: sicut nec bonitas dei malum habet admixtū. Vnde Apostolus, Gaudete (inquit) in domino semper. Gaudium autem secūdo modo ex charitate, vel etiā ex spe procedēs, admixtionē tristitiæ habere potest, propter ea quæ participationem seu fruitionē dei à nobis impediunt, vel à proximis nostris. Sic nempe & luctū ex charitate descēdit, quia sicut de participatione boni quis gaudet: sic de absentia vel impedimentis ipsius tristatur. Sicut in Psalmo canitur. Heu mihi, quia incolatus meus, &c.

3. ¶ Insuper aduertendū, quod gaudium dicitur plenū, vel ex parte eius de cuius bonitate quis gaudet, vel ex parte gaudentis. Dum ergo bonitas perfectionis diuinę sit infinita, digna est, vel de ea infinitum gaudiū haberetur. Et ita solius die gaudium plenūest. Nam eius gaudium verè & intensiuè est immensum. O beatissime & voluptuosissime de⁹! Ex parte autem gaudentis gaudiū plenum est, quando desiderium perfectè satiatur & contentatur. Sicut enim habet quies ad motum, ita se habet gaudium ad desiderium. Sic autem gaudium nostrum plenum erit in patria, nunc autem semper ereſcere possumus atque perficere in omnibus bonis, in beatitudine verò patriæ vnusquisque attingit terminum sibi à diuina prædestinatione præstitutū, itemque præfixum, & ergo nil vltrà appeti valet.

4. ¶ Amplius autem considerandum, quod ex vna virtute possunt procedere plures actus ordinati rationis eiusdē. Et quia vnus non oritur à virtute nisi per alium, ideo ipsa virtus diffinitur & denominatur ab actu, qui primo de ipso emanat. Amor autem est prima affectio appetitiuæ potentiæ, ex quo desiderium gaudiumque procedunt. Et ergo idē est habitus virtutis inclinans appetitū ad diligendū bonum, & ad desiderandū amatū atque ad gaudendū de bono. Et quoniā horum actuū prior est dilectio: ideo à dilectione, non autem à desiderio vel gaudio virtus ista vocatur, quæ charitas dicitur. Vnde gaudium non est virtus à charitate distincta, sed eius effectus & actus est. Propter quod inter fructus ab Apostolo ponitur ad Galatas quinto. Tristitia demū quæ gaudio opponitur & vitiū est, orta ex inordinato suijpsius amore: qui amor nō est, speciale vitiū, sed generalis radix omniū vitiorū.

¶ *An pax sit concordia. 2. An omnia appetant pacē. 3. Vtrum sit effectus charitatis. 4. Vtrum sit virtus.* *Articulus. 70.*

Concor-

Concordia deniq; est semper ad alterū, vtpote diuersoꝝ cordium in idem cōsensus. Pax verò concordiā includit in sua ratione & aliquid addit. Potest enim cor hominis in diuersa tendere dupliciter. Primo secundum diuersas vires appetitiuas, quarum vna alteri cōtrariatur quemadmodum appetitus sensitiuus voluntati sæpe repugnat. Secundo quando vna & eadem appetitiua potentia tendit in diuersa, quæ simul assequi nequit, & ex hoc rebellionem incurrit. Horum itaq; contrariorum motuū vnio, est de ratione pacis. Nā quandiu appetitui aliquid deest quod appetit, quanuis alia appetibilia habeat, pacem tamen perfectam non habet. Sed vnio hæc non est de ratione concordiæ, quia concordia importat vnionem appetitus diuersorum appetentiū. Pax verò vltra vnionem hanc importat etiā vnionem appetituum vnius appetentis. Quod autē Augustinus ait: Pax est ordinata concordia, dicit de pace quæ est vnius hominis ad alium. Dicit quoque quod pax est tranquillitas ordinis, quæ trāquillitas consistit in hoc quod in eodē homine omnes motus appetitiui cōquiescunt. Patet igitur quod vbicunq; est pax, illic est concordia, sed non econtra. Vnde in solis bonis est pax, sicut scriptum est: Non est pax impijs. Cōcordia verò in malis esse potest, vnde propter duplicem vnionē, quę ad pacem requiritur, scilicet ad seipsum & ad alium duplex dissensio pacī opponitur, vna quo ad seipsum, alia quo ad alterum, cōcordiæ verò opponitur tantum secunda dissensio.

2. ¶ Præterea sicut aliquis appetit assequi bonum optatum, sic etiam appetit impedimenta talis assecutionis auferri. Potest verò aliquis impediri ab adeptione boni desiderati per appetitum contrarium tam sui quām alterius: horum autem vtrumque per pacem aufertur. Ideoq; sicut omnia appetunt sine impedimento tranquillè adipisci, quod cupiunt: sic omnia appetunt pacē secūdum modū suæ naturæ proportionatum. Et hoc Dionysius asserit 9. cap. de diuinis nominibus.

¶ Est autem pax quædam quæ nō est vera pax, sed est solum de bono apparenti, in quo aliqui erroneè affectum suum figunt, & de illa dicit Christus: Non veni pacem mittere.

3. ¶ Denique pax præsentis status imperfecta existit, quia multa aduersa occurrūt, in futuro autem perficietur, vbi nulla impugnatione bonum possidebitur. Cū ergo de ratione pacis sit duplex vnio: ideo pax est propriè charitatis effectus. charitas

charitas enim est virtus vnitiua. Et ergo per charitatem, qua diligitur deus, inest homini ordinatio suipsius ad deum & propriorum appetituum adimpletio. Nam charitas agit vt omnia sua referat homo in deum. Et sic vterq; hominis appetitus mouetur ad vnum. Aliam quoq; vnionem pacis, quæ est ad proximum facit charitas proximi, quia per charitatem vnus suum affectum alteri conformat, amicorum quippe est vnum velle & nolle, secundum Tullium. Aduertendū autem quod secundum Philo. 9. Ethico. ad amicitiam non pertinet consensus in opinionibus, sed in consectibilibus ad vitam: præsertimque in rebus magnis. Et ergo non repugnat paci, quod sancti doctores in opinionibus interdum dissentiunt, quoniam opiniones ad intellectum pertinent, pax autem ad voluntatem. Si etiā aliqui in principalibus bonis concordāt, quanuis in aliquibus paruis circa illa discordant, non est contra pacem, talis enim dissensio ex diuersitate opinionū procedit, prout vnus æstimat aliquid pertinere ad illud principale bonum, cuius alter oppositum putat. Ista tamen perfectæ pacī, quæ erit in patria, contrariantur.

4. ¶ Est autem pax etiam effectus iustitiæ, & hoc indirecte inquantum remouet prohibens, vnde in Esaia scribitur: Erit opus iustitiæ pax. Ex his innotescit quod pax non est virtus, sed actus virtutis. Nam iuxta ostensa, cum plures actus secundum eandem rationem ab agente procedunt, nō habent singulares proprias virtutes à quibus causentur, sed ordinatè ex vno virtutis habitu oriuntur. Vnde sicut gaudium ita & pax est charitatis effectus, & quoniam pax est actus virtutis perfectæ, propterea inter beatitudines collocatur. Ponitur quoque inter fructus, beati pacifici, inquātum est quoddā finale bonum, spirituale dulcedinem habens. Nunc igitur patet, quām conuenienter. 11. cap. de diuinis no. Dionysius dicat: Pax est hominum vnitiua & operatiua consensus.

¶ *De motiuo misericordiæ 2. Quorum sit misereudum 3. Vtrum misericordia sit virtus 4. An sit maxima virtus. Artic. 71.*

Misericordia, secundum Augustinum nono de ciuitate dei, est alienę miseriæ in corde nostro compassio, qua si possumus subuenimus. Miseria autem fœlicitati opponitur, fœlix verò vocatur, qui habet quicquid vult & nil mali vult: contrario autem modo miser quis dicitur. Tripliciter demum volumus aliquid. Primo

appetitu

Universidad de Deusto
Biblioteca

appetitu naturali, & sic omnia volunt esse & viuere. Secundo appetitu electiuo. Tertio volumus aliquid non in se neque apertè, sed in sua causa: sicut manducās nociua, vult mitigari. Motiuum ergo ad misericordiam ex parte eius cuius miseremur, est malum contrarium prædictis bonis. Primo nempe miseremur alicui si ei contingant ea, quæ naturaliter desiderata corrumpunt siue contristant, vt sunt morbus & mors. Secundo amplius miseremur, quando mala sunt contra electionem voluntatis, quorum sæpe (secundum Philosophum) fortuna est causa, vt cum de illo alicui prouenit malum, vnde sperabatur bonum. Tertio sunt maximè miserabilia seu misericordiā prouocātia ea, quæ sunt cōtra totā hominis voluntatē, vt cū ei euenīūt mala qui semper bona sectat' est, vtpote quę quis indignè & sine merito patitur.

¶ Denique quanuis culpa inquantum culpa seu voluntaria non habet rationem miserendi, sed puniendi: tamē quia culpa potest etiam esse pœna secundū quod aliquid habet annexum, voluntati peccantis contrarium: ideo habere potest rationem miserabilis, sicque comparimur peccatoribus. Et quoniam misericordia est compassio alienæ miseriæ, ideo propriè non est alicuius ad seipsam nisi secundum similitudinem, inquantum in eodem considerantur partes diuersæ. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Miserere animæ tuæ placens deo. De proprio autem malo habetur propriè dolor. Sed & de malo coniunctorum magis dolore quā compati dicimur propter amplorem propinquitatem ad nos.

2. ¶ Præterea secundum Damascenum libro secundo, misericordia est species tristitiæ & dolor quidā. Tristitia verò ac dolor concipitur de proprio malo: Ideoq; in tantum aliquis de aliena miseria dolet atque compatitur, inquantū reputat illam vt suam. Quod dupliciter accidit. Vno modo ratione vnionis in affectu, quem efficit amor. Vnde sicut amicus reputat amicū tanquam seipsum: ideo de malo eius dolet sicut de proprio. Alio modo secundum vnionem realem, quando videlicet aliorum malum propinquū est, vt ad nos ab eis deueniat. Et ergo secundum Aristotelem secundo Rhetoro. homines miserenter sibi coniunctis atque similibus, quia ex horum passione conspecta, magis putāt similia mala sibi accidere posse. Propter quod sapientes & senes sunt magis misericordes, quoniam pensant se posse mala incidere. Et est simile

simile de formidulosis atque debilibus. Econtrario quidam reputant se adeo potentes & prosperos quasi nihil mali eis accidere queat. Et isti non sunt misericordes, & ideo superbi, & qui pauperes spernunt, immisericordes sunt. Illi denique qui sunt in maximis malis, vel omnino perierūt seu nimis formidant, nō miserentur, quoniam non timent se maiora mala posse incidere: vel tantum occupantur circa sua pericula, quod de aliena non curant miseria.

¶ Contumelioſi etiam & qui contumeliam passi sunt, non condolent. Nam tales prouocantur ad iram & audaciā, quæ sunt passiones vitiositatis, extollentes animū ad arduum inferentesque homini ęstimationem, quod non sit amplius talia perpessurus. Tales ergo hac dispositione durante nō miserentur. Propter quod Prouerbiorum. 27. dicitur: Ira nō habet misericordiā, nec erumpēs furor. Et Gregorius ait, quod falsa iustitia, scilicet superborum, non habet compassionem, sed indignationem.

3. ¶ Præterea compassionis dolor, quem misericordia importat vno modo nominat motū appetitus sensitiui: & tunc misericordia non est virtus sed passio. Alio modo misericordia nominat motum appetitus intellectiui, quo alicui malum alterius displicet: qui motus ratione regulanter, & secundum eum compassio sensitiui appetitus regulari moderarique potest. Et sic est virtus. Nam ratio virtutis humanæ in eo consistit, vt motus animi ratione regulentur. Est autem misericordia virtus moralis, & reducitur ad medietatē morum, quæ Nemesis dicitur, quæ gaudet de hoc quod aliquis digne affligitur & tristatur, quando indignis bene accidit. Subiectum autem misericordiæ hoc modo dictæ est voluntas. Et quanuis misericordia ex charitate nascatur, sicut gaudium & pax: est tamen potius virtus quām illa duo, quoniā gaudium & pax nihil addunt super rationem boni, quod est charitas obiectum: & ideirco non requirunt aliam virtutem quām charitatem. Misericordia autem respicit specialem rationem obiecti, videlicet miseriam eius cui compatimur. Causa quoque miserendi ex parte miserentis est aliquis defectus, secundū q̄ homo reputat malū alterius tanquā suum vel aduertit in se possibilitatē incidēdi similia mala. Porro inquātū misericordia est passio, est impeditiua consilij q̄m ā iustitia abducit. Vnde Salustius: Oēs homines qui de rebus dubijs consi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

considerant, ab ita & misericordia vacuos esse decet. Non enim facile animus verum prouidet, vbi ista affuerint. Quod autem misericordia secundo modo sit virtus, hinc constat, quod Tullius, Iulium Cæsarem laudans, ait: Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior est nec gratiosior, quàm misericordia. Et hoc ipsum Augustinus 9. de ciuitate dei inducit.

4. ¶Amplius autem dupliciter dici potest virtus aliqua esse maxima. Primo secundum se & sic misericordia est maxima virtus, quia eius actus dignissimus est, videlicet se alteri effundere: & quod potius est, alterius defectum subleuare, quod est maximè superioris, propter quod misereri proprium deo, & miserendo omnipotentiam suam maximè manifestare describitur. Secundo virtus dicitur maxima per comparationem ad habentem. Sic verò non est misericordia maxima virtus, nisi qui habet eam sit maximus, nullum habens supra se, & omnes sub se. Et quippe qui superiorem habet, maius & melius est superiori coniungi quàm alterius, sed licet inferioris prouidere defectui. Et ergo quo ad hominē, maior virtus est charitas quam misericordia. Inter omnes autem virtutes hominis ad proximum pertinētes potissima est misericordia: sicut ex dignitate sui actus ostenditur. Propter quod sacrificio anteferetur, misericordiam volui & non sacrificium, Esaiæ 7.

¶ Cuius virtutis actus sit beneficentia 2. Qualiter omnibus sit beneficiendum 3. Quomodo magis coniunctis potius beneficiendum est 4. Vtrum beneficentia sit virtus specialis. Articulus 72.

BEneficentia insuper aliud nihil designat, quàm alicui facere bonum. Bonum autem dupliciter cōsiderari. Primo, secundum communem rationem boni. Et hoc ad communem beneficentiæ pertinet rationem, quia est amicitiæ actus, & per consequens charitatis: quoniam in actu charitatis includitur beneficentia, quā quis vult amico bonum: volūtas verò si assit facultas, agit, quod cupit. Secundo, bonum quod quis alteri facit, accipitur sub speciali ratione boni: & tunc beneficentia specialem rationem accipit, & ad specialem pertinebit virtutem. Nā, verbi gratia, in collatione donorum considerari contingit exterius datum, & hoc modo ad charitatē pertinet collatio doni. Secundo potest interior passio, qua quis ad diuitias habet inordinatum

dem oblectatus. Huius verò passionis liberalitas moderatiua est: & sic beneficentia est actus liberalitatis. Potest etiam esse actus iustitiæ, si considereretur in bono ratio debiti, vel misericordiæ si attenditur ratio non debiti. Denique 4. cap. de diuinis no. Dionysius ait, quod amor inordinata ad mutuam habitudinem mouet, inferiora ad superiora conuertens, vt ab eis perficiantur, superiora quoq; ad inferiorum prouisionem inducens. Sic autem beneficentia est actus amoris, nec est nostrum deo benefacere sed honorem impendere: eius verò est nobis benefacere ex sua dilectione.

2. ¶Præterea cum beneficētia sit actus charitatis, sicut charitas se ad omnes extendit: sic omnibus benefaciendum est, quibus homo aliquo modo est maior aut ditior, tamē secundum locum & tempus. Vnde necesse est vt habeat homo animum præparatum ad benefaciendum cunctis & singulis, si tempus aut necessitas exigat. Etiam nihilominus aliud beneficium, scilicet oratio, quod omnibus saltem in communi impendere possumus.

¶Excommunicatis autem & hostibus reipublicæ sunt beneficia subtrahenda, inquantum per hoc à malo arcentur. Si tamen necessitatis articulus se offerret, succurrendū eis foret, ne siti aut fame aut simili modo deficerent, nisi secundum ordinem iustitiæ paterentur.

3. ¶Aduertendum demum, quod eo modo quo magis coniuncti amplius sunt diligendi, etiam potius ipsis benefacere conuenit, gratia nanque & virtus ordinem naturæ à diuina sapientia rebus impressum, sequūtur. Est autem naturalis ordo, vt omne agens prius & fortius in sibi propinquiora quā in alia agat, vt ignis primo sibi magis proxima calefacit, & secundum Dionysium 4. cap. Hierarch. cœlest. Deus in substantias sibi viciniores prius atque exuberantius bonitatis suæ dona diffundit. Cum ergo exhibitio beneficiorū sit actio charitatis, aliquibus debemus esse magis benefici. Propinquitas verò vnius ad alium varia esse potest, secundum quod diuersi in diuersis magis vel minus communicant. Consanguinei nanq; communicat communione naturali, cōciues communione ciuili, fideles spirituali, commilitones cōmunione rei belliceæ. Vnicuique itaque magis subueniendum beneficiendumque est in his bonis, quæ ad cōmunicationem pertinent, in qua talis aut talis propinquitas fundatur, propter

Universidad de Deusto
Biblioteca

quã nobis suo modo cõiunctiores existũt & hoc simpliciter loquẽdo ita est. Potest tamẽ in speciali casu oppositũ accidere: vt magis videlicet sit benefaciendũ extraneo quã propinquo, si licet sit in necessitatis arti: imo quã patri, non tamã necessitatẽ habenti. Vnde quod in euãg. Christus dicit, Cum facis prandiũ, noli vocare amicos & cognatos, non prohibet penitus inuitare huiusmodi, sed vult vt non inuitentur propter reinuitationẽ. Ex his patet qđod in bellicis rebus miles magis debeat adiuuare commilitonem extraneũ, quam consanguinum hostem. At verò in his atq; similibus dari nõ potest vniuersalis regula propter diuersam varietatem singulariũ casuum, vt. 9. Ethico. Aristo. asserit, imo prudentis iudicio specciales casus relinquuntur determinandi.

4. ¶ Præterea cum virtutes distinctionem suscipiant à formali diuersitate obiecti. Eadem verò est ratio obiecti charitatis & beneficentiæ, quoniam vtrunque respicit communẽ rationem boni: ideo benificentia nõ est alia virtus à charitate, sed est actus ipsius.

¶ Rursus, beniuolentia & beneficentia non differunt, nisi sicut actus interior atq; exterior, cũ beneficentia sit beniuolentiæ executio. Sicut ergo beniuolẽtia nõ est alia virtus à charitate, ita nec beneficẽtia. Sciendũ quoq; quod præcepta nõ dantur de habitibus virtutũ, sed actibus. Ideoq; præceptorũ diuersitas non designat diuersitatem virtutum, sed actuum.

¶ *Quod eleemosynarum largitio sit actus charitatis. 2. De distinctione eleemosynarum. 3. Quæ sint digniores. Articu. 73.*

ACtus proinde exterior ad illã virtutẽ refertur, ad quã pertinet motiuũ talis actus, motiuũ verò ad eleemosynã dãdã est subuenire egẽti: hoc aut ad misericordiã pertinet. Cũ igitur (ledm̃ ostẽsa) misericordia sit actꝰ charitatis, constat ꝙ etiã eleemosyna charitatis actꝰ existat, misericordia mediãte. Eleemosyna enim diffinitur, ꝙ sit opus quo datur aliquid indigẽti ex cõpassione propter Deũ. Aduertendũ autẽ, quod aliquid dicitur actꝰ virtutis dupliciter. Primo materialiter quemadmodũ facere iusta est actus iustitiæ. Et talis actus virtutis sine virtute esse valet, nam multi iniusti faciunt aliqua iusta ex naturalitate, vel timore, seu spe aliquid acquirendi. Secundo dicitur actus virtutis formaliter, vtpote actio iusta eo modo quo iustus agit, videlicet promptè, dilectabiliter, & ob talem finem.

nem. Sic autem actus virtutis sine virtute non est, sic itaque dare eleemosynam materialiter sine virtute esse potest: dare autem eas formaliter, scilicet ob debitum finem & vt circunstantiæ exigunt, non est absque virtute.

¶ Potest quoque eleemosyna ad iustitiam pertinere, inquantum est opus satisfactorium. Nam idem actus virtutis qui est propriè vnius virtutis, elicitiuè potest attribui alteri virtuti vt imperanti. Habet etiã eleemosyna rationem hostiæ, secundũ quod offertur ad placandũ Deũ, & tũc imperatur à latria. Itẽ ad liberalitatẽ pertinet, inquantũ liberalitas remouet passionem cupiditatis eleemosynam impedientis.

2 ¶ Præterea, eleemosyna duplex est, scilicet corporalis & spiritualis, & vtraque diuiditur in septem species, vnde species eleemosynæ corporalis hoc versu continentur: Visito, cibo, poto, redimo, tego, colligo, condo. Eleemosynę quoque spirituales in isto: Cõsule, castiga, solare, remitte, fere, ora. Sic tamen vt sub consilio intelligatur doctrina.

3. ¶ Distinctio enim eleemosynarũ accipitur secundum diuersos defectus proximorũ, quorũ quidã sunt corporales, alij spirituales. Defectus autem corporalis est vel in vita vel post vitam: si in vita, aut est omnibus cõmunis, aut alicui specialis: si est communis, vel est interior, vel exterior. Interior duplex est: vnus cui subuenitur per alimentum siccum, & sic ponitur pascere esurientem: alter est cui succurritur per alimẽtum humidũ, & sic potare sitientẽ est opꝰ misericordiæ aliud. Defectus verò cõmunis respectu exterioris auxilij, duplex est. Vnus respectu tegumenti: & sic ponitur vestire nudum. Alius respectu habitaculi, & tunc ponitur suscipere seu colligere hospitem. Similiter si est defectus specialis, vel est ex causa intrinseca, sicut infirmitas: & sic ponitur visitare infirmũ. Vel ex causa extrinseca: & tunc ponitur redẽptio captiuorũ. Conformiter spiritualibus defectibus subuenitur dupliciter. Vno modo poscendo à deo auxilium, & sic ponitur oratio qua pro alijs aliquis orat. alio modo, impendendo humanũ auxilium, & hoc tripliciter. Primo contra defectum intellectus, & si est defectus intellectꝰ speculatiui, adhibetur remedium per doctrinam: si practici, datur remediũ per cõsilium. alio modo est defectus ex parte passionum partis appetitiuæ, inter quas tristitia maxima est, cui subuenitur per consolationem. Tertio modo ex parte actus inordinati, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

tripliciter consideratur. Primo ex parte peccantis, ex cuius voluntate procedit, & sic impenditur remedium per correptionem. Secundo ex parte eius in quem peccatur, & si peccator contra nos damus remedium ignoscendo, si verò contra deum vel proximum peccatur, nō est nostri arbitrij illud dimittere secundum Hieronymum. Tertio cōsideratur actus inordinatus quo ad sequelam ipsius, ex qua molestantur cōsiuentes, etiam præter intensionem peccantis: & tunc exhibetur remedium supportando onera aliorum, maximè eorū qui ex infirmitate peccāt, iuxta illud Apostoli ad Romanos: Debemus autem nos firmiores imbecillitates aliorum portare. Nec solum onera infirmorū, sed & grauiora onera sunt portanda, secundum illud: alter alterius onera portate. Sciendum autem, quod dominus sepulturam mortuorum nō connumerat operibus misericordiæ, quia non confert homini quo ad vitam præsentem. Ad prædictas deniq; necessitates aliæ omnes reducūtur. Vnde dirigere cęcum, sustentare claudum reducitur ad visitationem ægrorum.

¶ Porro eleemosynæ spirituales simpliciter loquēdo, sunt corporalibus meliores, ob triplicem causſam. Primo ratione doni quod impenditur, quod quia spirituale est, corporalibus beneficijs præeminet. Secundo ratione eius cui succurritur, scilicet spiritus, qui corpore existit nobilior. Nam sicut homo sibijpsi magis prouidere debet in anima quàm circa corpus: ita & proximo. Tertio ratione actus. Nam actus spiritualium eleemosynarum sunt spirituales, ideoque præstantiores censentur. Possunt tamen istæ eleemosynæ comparari secūdum aliquam specialem euentum vel casum & sic quandoque corporalis eleemosyna esset spirituali præferenda: quemadmodum fame deficienti magis impendenda esset esca, quàm doctrina: sicut secundum philosophum, indigenti melius est dari, quàm philosophari.

¶ *An eleemosyna corporalis habeat spiritualem effectum 2. Vtrū detur eleemosynam sit in præcepto. 3. An de necessario sit eleemosyna impendenda. Articulus 84.*

TRipliciter autem de ipsa eleemosyna corporali loqui possumus. Primo secundum substantiam suam. Et sic habet tantùm corporalem effectum, supplendo videlicet necessitatem alterius. Secundo ex parte causę eius, primum scilicet ex dilectione dei & proximi prodit. & sic habet spiritualem

ualem fructum & meritum. Tertio ex parte effectus: & tunc in tantum spiritualem fructum sortitur, inquantum eleemosynam sumens orat pro eleemosynam dante: quemadmodū scriptum est: Absconde eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa orabit pro te. Itaq; quoniam in eleemosyna dependet potissimè fructus spiritualis ex parte interioris affectus, ideo vidua illa dans duo minuta, plus omnibus dedit, maximè secundū suam proportionem.

2. ¶ Præterea, quia dilectio proximi in præcepto est, ea quoque necesse est sub præcepto cadere, sine quibus dilectio impleri non valet. Ad dilectionem autē pertinet proximo nedū bonum velle, sed etiam facere, secundum illud Iohannis: Nō diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Quod implere non possumus, nisi indigētiæ proximi succurramus: quod vtiq; per eleemosynæ largitionē fieri habet. Propterea largitio eleemosynæ cadit sub præcepto. Præcepta verò sunt de actibus virtutum. Eo igitur modo eleemosynæ exhibitio in præcepto est, quo actus est necessitate virtutis, vtpote secundum quod recta ratio dictat & exigit, in qua est aliud cōsiderandum ex parte eleemosynam dantis, & aliud ex parte recipientis. Ex parte dantis considerandum quod illud quod eleemosynam erogandum est, sit ei superfluum non solùm quo ad seipsum in ordine ad denm, sed etiam ad sibi commissos. Vnde saluator: Quod superest, inquit, date eleemosynā. Ex parte autem recipientis requiritur, quod necessitatem habeat, aliàs non esset ratio cur eleemosynam reciperet. Quia tamen vnus subuenire nequit omnibus necessitatem habentibus, non omnis necessitas obligat. Sed illa sola, sine qua aliquis sustentari non potest. Nā in illo locum habet verbum Ambrosij: Si non paueris fame moriētem, occidisti. Sic itaq; dare, eleemosynam de superfluo est sub præcepto, & dare eleemosynam ei qui est in extrema necessitate. Aliàs autē est solùm in consilio, sicut de quolibet meliori datur consilium.

3. ¶ Porro temporalia bona quanuis sint possidentis quantum ad proprietatem, tamē quo ad vsum debent esse illorū, qui de eorum superfluo sustentari possunt. Vnde Basilius ait, Si fateris ea tibi diuinitus prouenisse, an iniustus est deus, inæqualiter res nobis distribuēs? Cur tu abundas & ille mendicat: nisi vt tu bonæ compensationis merita cōsequaris, ille verò patiētiæ brauijs decoretur? Etiam famelici panis quem

 tu tenes,

in tenes, nudi tunica quam in conclaui conseruas, discalceati calcius qui penes te marcescit, indigentis argentū quod possides inhumatum tot iniurijs: quot dare valeres. Idem quoque sit Ambrosius in decretis. oct. 57. At verò omnis sub precatio proximi, ad præceptum de honoratione parentum reducitur. Præterea, necessarium dupliciter dicitur. Primò illud, sine quo aliquid esse non potest. Et de tali non est eleemosina facienda, etiam in extrema necessitate: hoc enim esset sibi & pertinentibus ad se vitā subtrahere: tameti magnæ personæ subuemendo, ex cuius conseruatione respublica dependeret etiam in isto casu laudabiliter aliquis sibi necessaria abstraheret, quanuis ex hoc mortem incurreret. Nam bonum cōmune præferendum est bono priuato. Secundo necessarium dicitur, sine quo vita transigi non valet conuenienter. Istud autem necessarium non consistit in indiuisibili, quia si aliquid addatur vel diminuatur, non potest vltrà iudicari necessariū: & de isto necessario eleemosynā dare bonum est, caditque sub consilio, non autē præcepto.

¶ Inordinatum verò esset: si quis sibi de necessarijs tantum subtraheret alijs dando, quod de residuo secundum sui status decentiam viuere conuenienter non posset, quia nemo inconuenienter viuere debet. Sed inde tria excepta sunt. Primo cùm aliquis statum mutat, religionem intrando. Secūdo quando ista subtracta faciliter resarciri possunt. Tertio in necessitate extrema proximi.

¶ An de illicite acquisitis eleemosyna fieri possit. 2. Quorum sit dare eleemosynam. 3. Quibus etiam danda. 4. Quomodo impendenda est. *Articulus.* 75.

QVædam proinde illicitè acquisita, licitè seruari nō possunt, sed ei reddenda sunt à quo ablata sunt, & de his fieri non debet eleemosyna: vt sunt per furtum & rapinam adepta. Aliud est iniustè acquisitum, quod nec retineri potest à possidēte, nec restitui debet, quia vnus contra iustitiam acquisiuit, & alius iniustè dedit, quemadmodū in symonia: & tale bonum in eleemosynam erogandum est.

¶ Tertio est aliquid illicitum non quod acquisitio sit illicita, sed quoniā illud ex quo acquiritur, est illicitum, vt est merces meretricis, quæ vocatur turpe lucrum, & tale acquisitum potest seruari & in eleemosynas dari, non tamen in templo vel

vel altari offert, propter sacrorum honorem.

¶ De acquisitis quoque per aleas aduertendū, quod si à furioso vel minore aliquid lucretur, vel etiā aliquis alium ad ludum trahat cupiditate lucrandi, aut fradulenter lucretur, semper ad restitutionē tenetur, quia contra ius diuinum agit in casibus istis. Si autem per ius positiuum ludus aleatū prohibitus est, tenetur lucrator restituere, nisi forte inducat̄ fit à perdente: tunc enim non tenetur reddere ei, quoniā alter est indignus recipere: nec tamen potest licitè reseruare tali iure durante, Ideoq; debet de hoc eleemosynam facere.

2. ¶ Præterea, qui in alterius potestate constitutus est, secundum superioris sui dispositionem regulari debet. Vnde ea in quibus superiori subijcitur, dispensare non potest, nisi iuxta superioris commissionem: & ergo nec eleemosynam facere potest, nisi illo sciente & permittente. Si autē aliquid habet in quo non subditur alteri, quo adhoc proprij iuris est, & eleemosinam faceret licet.

¶ Itaque monachus cui dispensatio à superiori commissa est, eleemosynam agere non debet nisi secundū illius commissionem. Quod si dispensationem nō habet, eleemosynā facere non debet: quia nihil proprium habet nisi de licentia, vel expressè concessa aut certe probabiliter præsumpta: nisi in necessitatis articulo, in quo cuncta communia sunt. Conformiter si vxor habeat aliqua præter dotem, quæ ad onera matrimonij sustentanda ordinātur, videlicet ex proprio lucro aut aliàs acquisita, de hoc sine viri cōsensu eleemosynā facere potest: moderatè tamen, ne vir depauperetur. De alijs bonis agere debet sicut de monacho dictum est.

¶ Vir quoq; cū sit caput mulieris, etiā principalis est in dispensatione domesticæ rei. Si autem mulier est solùm sponsa & nōdū vxor, eleemosynā facere potest. Patiformiter filius nō debet eleemosynā facere sine patris cōsensu, saltē probabiliter præsumpto, nisi forte modicam: & multo minus seruus.

3. Denique secundum Augustinum, primo de doctrina Christiana. Qui sunt nobis magis coniuncti, quasi sorte quadam obueniunt nobis, vt eis potius benefacere ac prouidere debeamus. Ideoque cæteris paribus, magis cōiunctis atque propinquis eleemosynę potius dandæ sunt. Veruntamen in hoc discretionis moderamen seruandum est. Nā multū sa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctiori magisque indigenti & ad rei publicæ commodum magis vtili, est eleemosyna amplius danda, quã personæ propinquiori, præsertim non multum coniunctæ. Eleemosyna quippe data personæ extraneæ, sed sanctæ, magis meritoria esse potest ex parte recipiẽtis, videlicet quia ille efficacius & fructuosius otiat pro benefactore quàm propinquus. Sed attendendo eleemosynæ meritum ex parte radicis vnde nascitur, vtpote charitatis donantis, sic eleemosyna propinquioribus data efficaciot existit, quoniam ordo charitatis, per quẽ conijũctis primo benefacere decet, in ea magis seruatur. Propter quod ait Apostolus: Si quis suorũ, & maximè domesticorũ, curam non habet, fidem non habet, & est infideli deterior.

4. ¶ Insuper aduertendum, quando & quomodo eleemosyna abundanter impartienda existat. Abundantia quippe eleemosynæ considerari potest, primo ex parte dantis, vt scilicet secundum proportionẽ facultatum suarum distribuat homo. Iuxta illud Tobiæ 4 Simul tum tibi fuerit, abundãter tribue. Et ista abundantia bona est. Secundo ex parte recipientis. Et hoc dupliciter. Primo, vt indigentiæ eius sufficienter succurratur: & istud laudabile est: Alio modo, vsque vt superfluitas ei impendatur, & hoc malum foret. Nam secundum Ambrosium primo de officijs, non debent simul effundi opes, sed dispẽsatim nisi in mutatione status, sicut Helisæus boues suos occidit, & pauperibus dedit. At verò eis qui delicatius enutriti sunt, vel magis ingenui sunt, aut sine suo vitio in paupertatem ceciderunt, aut ætatis prouectioris annos sortiti sunt, copiosior eleemosyna danda est, secundum prudentum discretionem.

¶ Vtrum fraterna correptio sit actus charitatis. 2. An sit in præcepto 3. Vtrum ad omnes se extendat, & non tantùm ad prælatos. Artic. 7 6.

PRæterea peccatum dupliciter consideratur. Primo in quantum est nociuum peccati. Secundo, prout est lesiuum vel scandalizatiuum aliorum, aut contra bonũ cõmunis iustitiam. Cùm ergo derelinquẽtis correctio sit quoddam remedium contra peccatum, ideo ista correctio inquantum adhibetur peccato hominis, prout peccatum est peccãti nociuum, est actus charitatis. Nam eiusdem virtutis rationisq; est alicuius malum remouere, & bonũ eius promouere. Peccatum autem est malũ animæ, & ergo fraterna correc-

rectio est multo amplius actus charitatis, quàm infirmitatis curatio, aut paupertatis releuatio. Correctio autem inquantum ordinatur contra peccatum, prout est alijs & bono nociuũ, est proprie actus iustitiæ. Prima verò correctio propriè appellatur fraterna correctio, nec ei opponitur fraterna supportatio. Nam supportamus fratris defectum, dũ cõtra eum non turbamur, & hinc sequitur pia atque fraterna correctio.

2. ¶ Demique præcepta negatiua obligant semper & ad semper, quia prohibent actus peccatorum, actus autem peccatorum nunquam fieri debent. Præcepta autem affirmatiua non obligant ad semper, quia præcipiunt actus virtutum: actus verò virtutum non semper, sed cum debitis circunstantijs, debent fieri, videlicet vbi, quando, quomodo, & quare. In his quoque circunstantijs maximè attenditur, quare aliquid fiat, scilicet ratio finis, qui est bonum virtutis. Quod si aliqua circunstantia omittatur, quæ non penitus corrumpit actum virtutis, non est contra præceptum. Fraterna autem correctio ordinatur ad emendationem fratris. Ideoque eo modo cadit sub præcepto quo ad hunc finem necessaria est. Non autem pro quolibet loco, tempore, vel vt delinquens semper & vbique corripiatur, sed secundum circunstantias debitas. Et quo ad hoc, ait Augustinus libro de verbis domini: Si neglexeris corrigere, peior factus es eo qui peccauit. Qui etiam in libro de correctione dicit. Nescitẽs quis pertineat ad numerum prædestinatorum, & quis non: sic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri: & ideo omnibus debemus fraternæ correctionis affectum impendere, sub spe diuini auxilij. Et præceptum istud ad honorationem parentum reducitur, sicut & quodlibet beneficium proximo impartiendum.

3. ¶ Porro fraterna correctio tripliciter committitur. Primo meritoriè ex charitate, quando opportunius tempus expectatur, vel timetur ne delinquens deterior fiat. Secundo omittitur cum mortali peccato, videlicet ex timore pœnæ corporalis, vel cupiditate aut simili causa: quæ non sunt fraternæ charitati præferenda. Tertio cum peccato veniali, quando videlicet prædictæ causæ hominem ad corripiendum tardiorem efficiunt, non tamen omnino auertunt. Agnoscendum insuper, quod illi qui nobis commissi sunt, non sunt expectandi, sed requirendi vt corripiantur. Alij verò requirendi nõ sunt,

sed pro loco, tempore, & causa corripiendi existunt. Præterea fraterna correctio, inquantum est actus charitatis, ad omnes charitatem habentes pertinet. Sed prout est actus iustitiæ est prælatorum, quibus incumbit non iam duntaxat admonere, sed etiam punire. Et quanuis non quilibet sit alio superior, tamen omnis delinquens, inquãtum delinquens, inferior est corripiente, qui quo ad hoc sanum iudicium habet: & ita alteri, quanuis simpliciter superiori, hanc spiritualem eleemosynam impendere valet.

¶ An subditi teneantur prælatos corrigere. 2. Vtrum peccatores possint corrigere. 3. An etiam à correctione cessandum sit, ne corruptus deterior fiat. Articu. 77.

NVnc dictum est, quemadmodum fraterna correctio vno modo sit actus charitatis. Alio modo est actus iustitiæ. Primo igitur modo debẽt subditi prælatũ corripere. Quia tamen actus virtuosi sunt debitis circũstantijs adornandi, correctio ista fieri nõ debet protervè aut durè, sed reuerenter & cum mansuetudine, sicut Apostol⁹ docet: Seniorem ne increpaueris, sed obsecta vt patrem. Quia etiam Colossensibus scribit, vt prælatum suum admoneant, dicit: Dicite Archippo, ministerium tuum impleas. Vnde Augustinus in regula sua dicit: Et prælati vestri misereamini, qui quo inter vos in loco superiori, tanto in periculo maiori versantur. Si autem fidei aut reipublicæ imminet periculum, tunc prælatus esset manifestè redarguendus: quemadmodum Paulus ait de Petro: In faciem restiti ei, scilicet Petro, quia in defensione fidei & boni communis ei par extitit. Et in eo (secundũ Augustinum) Petrus posteris exemplũ reliquit, ne ipsi à subditis corripi spernant.

2 ¶ Præterea cum delinquentem corripere sit eius qui habet sanum iudicium: ideo peccator per peccatum sibi defectum ingerit, vt minus idoneus sit ad corripiendum: quia tamen peccatum non penitus aufert bonum naturæ: ideo peccator si cum humilitate corripiat, non peccat quanuis se per hoc condemnabilem esse ostendat. Est autem eius correctio minus idonea propter tria. Primo propter peccatum præcedens, ad corripiendum indignus efficitur, maxime si sit in maiori peccato quàm alter vel in mortali secundum Hieronymum. Secundo propter scandalum. Videtur enim, quod peccator corripiat non ex charitate, sed ostentatione, secundum

dum Chrysostomum, quia videtur per suam doctrinam proprium peccatum velle celare. Tertio propter eius superbiã, nam corripiendo alium, videtur se illi præferre.

3. ¶ Amplius autẽ correctio, quę est actus iustitiæ & ad prælatos pertinens, non est propter turbationem seu peiorationem peccãtis deserẽda. Illa enim habet vim coactiuã, & ergo per eam compellendus est delinquẽs per pœnas vt à peccato desistat, si propria sponte cessare contemnit. Secundo, quia licet peccans incorrigibilis sit, tamen ex eius correctione bono communi vtilitas prouenit, dum seruatur ordo iustitiæ, & eius exemplo cæteri deterrentur.

¶ Porro correctio fraterna, quæ est actus charitatis, cuius finis est fratris emendatio, non habens vel fraternam coactionem, citationem, sed simplicem admonitionẽ, deserenda est quãdo verisimiliter æstimatur qd' delinquẽs ex correctione durior fieret. Quod autem primo modo nõ sit correctio deserenda, hinc patet, q̃ iudex non omittit damnationis ferre sententiã in peccantem, propter eius aut amicorũ ipsius turbationem. Sed secũdo modo correctio omittitur, nõ timore illo, ne correctus cõtumelias reddat, sed ne tractus ad odium peior fiat. Ex his insuper cõstat, quod Dionysius Demophilum monachum iuste redarguit, quia Demophilus superiorem, videlicet sacerdotem, irreuerenter correxit, cumque de ecclesia expulit.

¶ Quomodo secreta correctio denuntiationẽ publicam præcedere debet. 2. Qualiter etiam testium inductio præcedere habet. Articulus. 78.

PEccata quædam sunt publica, & in talibus nõ solùm emendationi peccatis, sed alijs quoque prouidendũ est, ne scandalizentur. Ideoque hæc statim publicè arguenda sunt, quemadmodũ ad Timotheum ait Apostolus: Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant, quod secundum Augustinum de publicis peccatis est dictum. Alia autem peccata sunt occulta, & hęc duplicia sunt, nam quædam sunt in nocumentũ aliorum corporale vel spirituale: vt si quis occultè tractet quomodo ciuitatem comburat, aut fideles à fide auertat. Et in his statim ad denuntiandũ proceditur, nisi quis probabiliter putaret, quod talem peccantem per occultam correctionem à malo auertere posset. Alia verò peccata occulta sunt solùm in malũ peccantis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cantis,& eius in quem peccatur, quia peccante lædituʳ salutem ex ipsa notitia. Nam si peccatis te offendat coram aliis, non tantum peccat in te,sed & in alios quos cōmunibat. Itaq; in peccatis hoc vltimo modo occultis,locum habet quod ait dominus: Si peccauerit in te frater tuus,&c. vnde tūc solum ad hoc conandum est,vt peccanti succurratur, quantum ad conscientiam, hic tamen, vt fama eius conseruetur, quæ ad multa est vtilis,quoniam propter timorem diffamiæ, multi retrahuntur à malo: & rursus, quia vno diffamato, alij infamantur. Sed ex quo conscientia præferenda est famæ,voluit Christus, vt conscientia fratris à peccato liberetur cum dispendio famæ, quando simpliciter corrigi renuit. Vnde de necessitate præcepti par est,vt secreta admonitio publicam denuntiationem præcedat.

¶Deniq; his non obuiat quod in capitulis religiosorum proclamationes fiunt sine præuia admonitione,quia proclamationes huiusmodi sunt solùm de leuibus culpis, quæ famæ non derogant,& ergo sunt potius commemorationes obliterum culparum,quàm accusationes vel denuntiationes. Si autem frater diffamaretur ex aliquibus grauibus sibi obiectis, contra præceptum Christi ageret talis proclamator. Porro si prælatus præcipiat subditis, vt referant ei si quid corrigendum agnouerint,intelligendum est tale præceptum, saluo ordine correctionis fraternæ. scilicet antea admonendo peccantem alioquin magis obediendum est deo quàm prælato. Si verò aliter prælato obediatur, tam ipse quàm præceptor peccat.

2. ¶Præterea ab vno extremo in aliud conuenienter transitur per medium. Sicut ergo Christus voluit in correctione fraterna principium esse occultum, videlicet admonitionem secretam,finem autem manifestum scilicet denuntiationem: sic inter duo hæc voluit esse testium inductionem quasi medium,quatenus peccatum primò paucis indicetur, qui possint prodesse,& non obesse, vt saltem sine cōmuni diffamia frater emendetur. Et illud intelligendum est, non solùm quando peccans secretam admonitionē recipit, vt aliqui asserunt. Nam Augustinus ait in regula, quod peccatum nō debet occultari ne in corde putrescat. Et ergo si quis post secretam admonitionem semel vel pluries factam non se emendat, ad testium inductionem procedendum est, quantumcunq; peccatum occultum sit.

¶At verò ista inductio testium tripliciter potest intelligi, Primo,vt per eos ostendatur id esse peccatum,de quo frater corripitur. Secundo,ad conuincendum fratrem de actu,si actus reiteretur. Tertio, ad ostendendum quod corripiens fecit quod in se fuit. Amplius autem(quod Augustinus ait in regula)primo peccatum esse reuelandum prælato quàm testes inducendos,accipiendum est de prælato,vt est quædam singularis persona,non autem secundum quod est loco iudicis atque ecclesiæ.

¶Quod odium dei sit maximum omnium peccatorum 2. Quomodo Deus possit odiri 3. Qualiter etiam odium proximi sit peccatum. Articulus 78.

ODium deniq; est motus appetitiuæ potentiæ,cuius operatio semper ex aliqua apprehensione procedit. Deus verò dupliciter agnoscitur. Vno modo secundum seipsum,quando videlicet eius essentia videtur. Et ita videtur in patria. Cùm ergo deus sit ipsa bonitatis essentia, odio haberi non potest ab his qui eum hoc modo cognoscunt,quoniam de ratione boni est vt ametur.

¶Secundo modo apprehenditur deus per suos effectus. Diuinorum autem effectuum aliqui nullo modo possunt esse cōtrarij voluntati,sicut esse viuere,& intelligere. Ideoque quando apprehenditur. Deus vt author horum effectuum, odiri non valet. Alij autem effectus dei sunt contrarij voluntati peruersæ,quemadmodum inflictio pœnæ,prohibitio culpæ. Propterea secundum quod deus apprehenditur vt mali puniri tot tenique culpæ prohibitior,odio haberi potest.

2. ¶Præterea secundum Philosophum octauo Ethicorum: Optimū opponitur pessimo. Sicut ergo charitas dei est maxima virtus:sic odium dei est summum peccatū. Rursus peccatum formaliter in auersione à deo consistit. Hæc autem auersio primo modo atque per se designatur in odio dei,in aliis verò peccatis est quasi participatiuè. Illud verò quod est per se est maius & potius cæteris. Vnde odium dei est maximè peccatum in spiritum sanctum, non tamen numeratur inter species peccati in spiritum sanctum, quoniam reperitur communiter in omnibus illis.

3. ¶Insuper cum odium contrarietur amori, tantum habet odium de ratione mali,quantum amor de ratione boni. Proximus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ximus autem amandus est secūdum illud quod à deo habet, videlicet secundum naturam & gratiam: non autem secūdū illud quod habet à seipso & dæmone, scilicet peccatum, iustitiæque defectum. Itaque licet proximum odio haberi secundum culpam & defectum, non autem secundum naturam & gratiam. Sed hoc modo proximum odio habere, est cum vere diligere, nam eiusdē rationis est vt velimus alicuius bonū & odiamus eius malum. Ideo odium proximorum si simpliciter accipiatur, semper est peccatum.

¶ Vtrum odium sit grauius homicidio. 2. An sit vitium capitale. 3. Ex quo vitio capitali procedat Articulus. 79.

ADuertendum præterea, quod peccatum in proximū commissum, ex duobus rationem mali sortitur. Primo ex inordinata voluntate peccantis. Secundo ex nocumento alicui illato. Odium itaq; omnium peccatorum, quæ in proximum fiunt est maximū. Primo modo, quia per ipsum deordinatur voluntas hominis, quæ est potissimum in homine: cuius inordinatio est radix peccati. Nam quicquid culpæ inest actui exteriori, ab interiori inordinatione dependet. Imo hominis occisio non est peccatum, nisi originaliter propter inordinatum occidentis affectum, vt si ignoranter, vel zelo iustitiæ homo interficiatur. Sed attendendo grauitatem peccati ex parte nocumenti, quod alicui infertur: sic homicidium & aliqua exteriora mala, odio grauiora existunt.

2 ¶ Præterea vitium capitale vocatur, ex quo frequenter alia oriuntur. Vitium verò est, cōtra naturam hominis prout est rationalis naturæ, bonum autem naturæ non subito, sed paulatim per peccatum corrumpitur. Primo equidem recedit ab eo quod est minus secūdū naturā. Quod etiā minus innaturale est: sed vltimo ab eo quod est maxime secūdū naturam. Quod enim est primū in constructione, est vltimū in destructione seu resolutione. Quemadmodū igitur bonū diligere, præsertim diuinum, & secundario proximū, est maximè secundū naturā odire id ipse est maximè cōtra naturā. Vnde sicut boni huius dilectio est prima virtutum: sic odiū eius est quasi vltimum vitiorū, ideoque odium non est vitiū capitale.

3 ¶ Denique cùm odium sit vltimum in progressu quo naturaliter diligitur proximus, iā ex inuidia formaliter & proprie nascitur, quāuis nascatur ex ira dispositiuè. Quòd enim quis

quis ab eo quod est naturale recedit, hinc contingit quod aliquid innaturale vitare intēdit. Omne autem animal sicut naturaliter diligit delectationem, sic naturaliter fugit tristitiam secundum Philosophum. 1. Ethicorum. Ideoque sicut ex delectatione nascitur amor, sic ex tristitia oritur odium. Eos nempe qui nos contristant, incitamur odire, inquantum sub ratione mali apprehenduntur. Cùmque inuidia sit de bono alterius quædam tristitia, constat q; odium ex inuidia directè secundum rationem sui obiecti nascatur. At verò secundum Philosophum secundo Rheto. non inuidemus his qui multum distant à nobis, sed qui nobis propinqui sunt. Propterea odium dei non potest esse inter prima peccata, sed odium proximi seipsum præcedit. Vnde odium dei oritur ex inuidia mediante odio proximi.

¶ Quod accidia est peccatum. 2. An sit peccatum speciale. 3. An mortale. 4. An capitale. Artic. 80.

ACedia autem gaudio charitatis opponitur. Est enim secundum Damascenum tristitia animū aggrauās, sic vt nil boni agere libeat, quia est quoddā ræditū animi & torpor mētis, bona inchoate negligētis. Talis autem tristitia semper est mala, quandoque quidem secundum se, interdum verò secundum effectum. Tristitia nāq; de apparenti malo & verè bono, secundum se, mala est: sicut econtrario delectatio mala est, quæ de apparenti bono & verè malo concipitur. Spirituale autem bonum, est verè bonū. Ideoque de eo tristitia per se mala est. Insuper tristitia, quæ est de verè malo, videlicet defectu vel peccato, secundum effectum est mala, si hominem sic grauet, vt à bono impediat. Acedia ergo, vt nunc sumitur, videlicet pro vitio non pro passione, est dupliciter mala, videlicet in se & in suo effectu. Et ergo peccatū est. Causatur autem ista tristitia seu acedia quandoque ex quodam contemptu, quando homo bona sibi diuinitus data paruipendit & spernit, & aliorum bona immoderatè tollit, ac per hoc acediam incidit, qua bona agere tardet. Vnde debet homo sic aliorum dona & gratias magnipendere, vt bona sibi à deo promissa nequaquam contemnat. Porrò secundum Cassianum acedia non declinando, sed resistendo superanda est. Nam omnia vitia tunc fugiendo melius superantur, quando cogitatio eò amplius præbet incentiuum peccati, quò magis continuatur, quemadmodum in gula atque

Universidad de Deusto
Biblioteca

atque luxuria. Resistendo autem peccata vincēda sunt, quando cogitationis perseuerantia tollit incētiuum peccati, & sic de acedia est. Nam quanto de spiritualibus bonis diutius cogitamus, tantò placētiora reddūtur, ex quo cessat acedia.

¶ Denique cum acedia gaudio opponatur, sicut gaudium est delectatio consequens actum charitatis de bono diuino, sic accedia est tristitia quędam de bono spirituali secundū quod est diuinum, & inde habet rationem vitij specialis, quia respicit bonum spirituale, non absolutè, sed inquantum diuinum. Omnia nanque spiritualia bona in primum diuinumque bonum ordinantur, & ergo de eis habetur speciale peccatum si fastidiantur, quod vocatur acedia secūdum comparationem ad diuinum bonum.

3. ¶ Insuper acediam cōstat ex suo genere esse mortale peccatum quia charitati directè opponitur. Est enim tædium operandi in spiritualibus rebus. Sed sicut in alijs peccatis ex genere suo mortalibus primi motus, qui scilicet in sensualitate sistunt, nec plenum rationis consensum accipiunt, nō sunt mortales, sed veniales: sic etiam si propter rebellionem carnis contra spiritum oriatur in sensualitate acediæ motus, est veniale peccatum, donec consenserit ratio. Nam ratio est principium virtutis & culpæ humanæ. Si verò consenserit ratio in horrorem & fugam ac detestationem spiritualis boni, mox peccatum erit mortale, & contrariatur acedia præcepto de sanctificatione sabbati, in quo prout est præceptum morale, præcipitur quies mentis in deo, cui acedia opponitur, cùm sit tristitia animi de bono diuino.

4. ¶ Amplius autem cùm vitiū capitale dicatur ex quo frequenter alia oriuntur secundum rationem causæ finalis, elegerit acediam esse vitium capitale. Nam sicut propter delectationem homo multa agit, vel vt eam consequatur, aut ex impetu delectationis in actum prosiliens, sic propter tristitiā multa efficit homo, vel vt eam vitet, vel ex pondere atque grauamine eius ad illicita agenda prorumpens. Habet autē acedia sex filias, secundum Gregorium, quæ sunt pusillanimitas, desperatio, torpor, rancor, euagatio mentis, & malitia. Et sumitur torpor, quando homo circa præcepta pigrescit. Pusillanimitas verò, cum quis ad cōsilia perfectionis tædiosus efficitur. Rancor quoque hic capitur pro indignatione contra eos, qui hominem ad spiritualia bona inducere volunt.

lunt. Malitia pro impugnatione spiritualis boni. Quia enim secūdū Philosophum octauo Physicorū: Nullus diu sine delectatione manere potest. Ideo acediosus, quia in spiritualibus non delectatur, ad alia se conuertit, & ad corporalem delectationem, secundum Philosophum octauo Ethicorum. Et sic ex acediæ vitio multa pessima germina pullulant, quæ fortiter resistendò, & ad spiritualia se aptando superare oportet. Porro secundum Isidorum de acedia oriuntur septem filiæ, quæ sunt otiositas, somnolentia, importunitas mentis, inquietudo corporis, instabilitas, verbositas, curiositas.

¶ *De inuidia quid sit, 2. An sit peccatum mortale. 3. An capitale. 4. De filiabus inuidiæ. Articulus 81.*

DAmascenus autem libro secundo ponit inuidiā tristitiæ speciem. Obiectum autem tristitiæ est proprium malum. Malum verò alterius apprehēdi potest vt proprium malum: & sic potest de illo haberi tristitia. Quod dupliciter accidit. Primò cum quis tristatur de bono alterius, inquantum sibi ex hoc imminet aliquod nocumentum: sicut aliquis tristatur de gaudio inimici, timēs læ di aut opprimi ad ipso. Et istud est effectus timoris, non autē inuidia, secundum philosophum. 2. Rhetori. Alio modo bonum alterius apprehenditur vt minoratiuum propriæ excellentiæ, honoris, & gloriæ: & ita tristatur inuidus de bono alterius. Vnde propriè inuidia est de his, in quibus gloria consistit, & de quibus homo honoratur secundum philosophum: sic ergo bonum sub ratione mali apprehēsum esse potest obiectum tristitiæ.

¶ Denique secundum philosophum. 2. Rhetori. homo inuider ei, qui sibi similis est, & non multū à se distans: quia ad illorum quibus multum dispares sumus, honorem vel statū nō aspiramus. Sic quoque similitudo est causa delectationis atque tristitiæ, sicut & amoris ac odij: sed opposito modo. Nā per se causat delectationem & amiciriam, inquantum voluntati concordat, tristitiam verò ac odium, secundum quōd bonum alterius, proprij boni diminutiuū putatur. Ex his patet, quod amatores honoris sunt ampli inuidi: deinde pusillanimes, quia omnia reputant magna: & quicquid boni acciderit alteri, arbitrantur illum se multum excedere: & ergo in libro Iob dicitur: Paruulum occidit inuidia. Dicit quoque philosophus, quod senes iunioribus inuident.

¶ Denique de bono alterius quatuor modis tristitia concipi potest. Primo (vt iam dictum est) quando ex bono alterius aliquis sibi, vel suis nocumentum nmet. Et sic (secundum Gregorium) lætari possumus de ruina inimici, & de eius exaltatione tristati sine peccato, quando mali sublimatio opprimit bonos, eiusque delectio cripit eos. Alio modo dolem⁹ de bono alterius, non quia ille habet, sed quoniam nobis decst. Et hæc tristitia dicitur zelus, & est bona quando est de bonis honestis: si autē sit de bonis temporalibus, esse potest bona & mala. Hanc quoque tristitiam appellāt sancti bonam inuidiam, ex qua homo incitatur ad proficiendū cum perfectioribus. Tertio contingit tristari de bonis alterius, quia est eis indignus. Et hæc de bonis honestis haberi non valet, quia talia faciunt hominem iustum & dignum, sed est secundum philosophum de diuitijs. Et hanc tristitiam ipse dicit bonā & nominat Nemesim. Sed fides prohibet eam, quemadmodum scriptum est: Noli æmulari in malignantibus. Cuius ratio datur, quia fides considerat temporalia bona in ordine ad bona æterna, & inquantum secundum occultam diuinæ prouidentiæ dispositionem dignis atque indignis proueniunt. Sed philosophus considerauit ea secundum se. Quarto tristatur aliquis de bono alterius, inquantum excedit ipsum in bonis. Et hæc est propriè inuidia, & est semper malum, quia de illo dolet de quo gaudere oportet, videlicet de bono alterius.

2 ¶ Præterea, cum ratio obiectalis inuidiæ sit contraria charitati, patet ipsam inuidiam esse mortale peccatum. Nā sicut charitas gaudet de bonis proximi, sic inuidia de eisdem tristatur. Veruntamen primi motus inuidiæ, qui rationem nō attingunt, sunt venialia mala. Propriè autem inuidia opponitur misericordiæ, quæ est actus charitatis. Nam ad misericordiam spectat de alterius malo dolere & ei succurrere, cuius oppositum inuidus agit.

3 ¶ At verò sicut accedia est tristitia de bono spirituali diuino sic inuidia est tristitia de proximi bono. Ideoque sicut accedia ponitur vitium capitale, propter causas in proximo articulo positas: sic inuidia est vitium capitale dicenda. Nec obstat: quod inuidia est inanis gloriæ filia, quia secundum Gregorium, vitia capitalia sic sibi cohærent, vt vnum non nascatur nisi ex alio. Superbia quippe inanem gloriam gignit, ex qua vltra inuidia manat. Veruntamen nec Cassianus in libro de

de institutis cœnobiorū, nec Isidorus, ponūt inuidiā inter capitalia vitia: fortè ideo, quia ipsa manifestè exalio vitio oritur.

4 ¶ Porro numerus filiarum inuidiæ sic sumitur. Nam inuidia est principium, medium, & finis. Principium est, vt quis alterius gloriam minuat: & hoc vel in occulto, & sic est subtractio: vel in aperto, & tunc est detractio. Medium est ipsa facultas inuidentis, qui quandoque potest minuere alterius gloriam, & tunc est exultatio in aduersis: interdum non potest, & sic est afflictio in prosperis proximi. Vnde afflictio ista vno modo est ipsa inuidia, inquātū quis dolet de bonis proximi, secūdū quod gloriā aliquā habent bona eius: sed inquantū prospera veniūt cōtra conatū inuidentis: sic est filia inuidiæ. Finis verò inuidiæ est in eo, qui inuidet scilicet ōdiū, quia sicut bonum delectatis causat amorem: sic malum cōtristans introducit odium, quinque ergo sunt filiæ inuidiæ.

¶ De peccato discordiæ. 1. De origine eius. Articulus 81.

COncordia insuper est actus charitatis, quæ diuersorum corda in vnum coniungit, primo & maximè in bonum diuinum: secundario autem in proximi bonū. Quia ergo discordia cōcordiæ opponitur, palām est ipsam esse peccatū. Dupliciter verò concordia per discordiam tollitur. Primo per se, quando videlicet aliquis ex intētione & scienter discordiat ab alio in bono diuino, vel proximi: in quo concordare deberet. Et hoc ex suo genere est peccatum mortale, propter contrarietatem ad charitatem. Secundò per accidens, quod scilicet, aliqui in principali bono consentiunt: sed in aliquibus, quæ sunt circa illud, dissentiūt, eo quod vnus æstimat istud quod sibi videtur melius, alius aliud: & hæc est præter intentionem, nec est peccatum, neque charitati opponitur, nisi sit cū errore circa ea, quæ sunt de necessitate salutis, vel aliquis pertinaciter suæ æstimationi adhæreat. Discordia ergo quandoque est ex peccato vnius, interdum quoq; ex amborum peccato. Ex his patet, quod discordia Pauli & Barnabæ non erat peccatum, quia erat per accidens: nec fuit circa ea quæ sunt de necessitate salutis. Denique est quædam concordia mala, quę est vnio voluntatum in malo: quæ non est vera concordia: & hanc per oppositam discordiam rumpere, non est peccatum. Sic enim Paulus inter Phariszeos & Sadducæos discordiam fecit. Non enim tenemur alterius cordi consentire, nisi inquantum illud

se deo conformat.

2. ¶ Amplius autem, cum discordia sit segregatio voluntatum; patet eam ex superbia aut inani gloria nasci inquantum vnusquisque proprio sensui vel voluntati immoderatè adhæret, atque alterius affectioni propriam præfert; vnde discordia non est vitium capitale.

Quando contentio sit mortale peccatum. 2. Cuius viri filia sit. Articulus. 83.

QVemadmodum discordia contrarietatem importat in moribus voluntatis, sic contentio contrarietatem in locutione designat. Contrarietas autem loquentis vno modo pensatur ex intentione loquentis, & contendentis. Secundo ex modo loquendi. Quoad primum considerandum est, an aliquid resistat veritati vel falsitati. Quo ad modum autem contrariandi, attendendum est vtrum talis modus negotijs atque personis conueniat. Contentio itaque, quæ est impugnatio veri cum inordinato modo, est mortale peccatum, & ita Ambrosius accipit eam dicēs: Cōtentio est impugnatio veritatis cū cōfidētia clamoris. ¶ Contentio demū, quæ est falsitatis impugnatio cū moderata acrimonia, est laudabilis. Quod si modus excedatur, erit veniale peccatū, nisi in tantū excedatur, quod alij scandalizentur. Vnde apostolus: Noli (inquit) verbis cōtendere, ad nihil enim vtile est, &c. Porro contentio quæ nō est cū intentione veritatem impugnandi, sed dū quisque defendit quod sibi verū apparet, non est perfecta cōtentio, nec mortale peccatum. Et talis inter Christi apostolos facta est quando nondum spirituales exiterant. Sumendo itaque contentionem secundum perfectam rationem, qua est mortale peccatum, ille contendit in iudicio qui iustitiæ veritatem impugnat, & in disputatione, qui doctrinæ veritati rebellat. Et hoc est mortale peccatum. Si tamen sit talis impugnatio solum cū quadam acrimonia vocis, non est semper mortale peccatum.

2. ¶ Agnoscendum quoque, quod propter eandem causam, qua discordia est superbiæ, vel inanis gloriæ filia quæ in proximo expressa est articulo, etiam contentio filia est superbiæ aut inanis gloriæ.

¶ *Quod schisma est speciale peccatum. 2. Verum sit grauius infidelitate. 3. De potestate schismaticorum. 4. De pœna eorundem. Articulus 84.*

Secundum Isidorum autem schisma, à scissura animorum acceptum est. Scissio verò vnitati opponitur. Ideoque peccatum schismatis dicitur, quod per se ac directè vnitati opponitur. Nam in naturalibus atque moralibus id quod est per se, constituit speciem. Sed in moralibus illud vocatur per se, quod directe intenditur, & quod præter intentionem contingit, per accidens appellatur. Schisma igitur speciale peccatum est ex eo, quod intendit se quis ab vnitate separare: quam charitas facit, quæ non solum vnam personam alteri, sed etiam totam ecclesiam in vinculo dilectionis vnitateque spiritus seruat. Propterea schismatici priùs sunt qui se sponte & ex intentione ab vnitate ecclesiæ segregant. Porro ecclesiæ vnitas in duobus consistit. In connexione videlicet membrorum ecclesiæ ad inuicem, & item in ordinatione omnium membrorum ecclesiæ ad vnum caput, quod est Christus, cuius in terra vicem gerit papa. Vnde schismatici sunt, qui summo pontifici contemnunt subesse, vel membris sibi subiectis renuunt communicare: & hoc ex rebellione & pertinacia atque malitia. Vnde Augustinus in libro contra Faustum, ait: Schisma est eadem opinantem atq; eodem ritu quo cæteri deum colentem, solo congregationis dissidio delectari. Propter quod sicut hæresis opponitur fidei, sic schisma ecclesiasticæ charitatis vnitati. Omnis autem hæreticus est schismaticus, sed non econtratio. Schisma tamen est via ad hæresim & secūdū Hieronymū quāuis in principio ab hæresi differat: tamē nullū schisma est, quin aliquā sibi hæresim fingat, vt rectè ab ecclesia recessisse putetur.

2. ¶ Præterea, peccatum aliquod dupliciter alio grauius dicitur. Vno modo secundum speciem, alio modo secundum circumstantias. Prima autem granitas est simpliciter maior, quia attenditur ex parte obiecti.

¶ Illud itaque peccatum secundum se grauius est, quod maiori bono opponitur, sed infidelitas contrariatur ipsi deo secundum quod in seipso consideratur, videlicet inquantum est veritas prima cui fides innititur. schisma autem opponitur vnitati ecclesiæ, quæ est quoddam bonum particulare creatum & minus diuino bono. Vnde simpliciter infidelitas, seu hæresis, grauius peccatum est schismate, quamuis ex circumstantia quidam schismaticus grauiùs peccare possit quo dam hæretico, vel propter maiorem contemptum, aut ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ius periculum quod inducit, aut simile aliquid. Sciendū quoque, quod sicut odium opponitur charitati secundum suum principale obiectum, quod est deus: sic schisma charitati opponitur ratione secundarij sui obiecti, quod est proximus.

3. ¶ Insuper agnoscendum, quod duplex est spiritualis potestas, videlicet sacramentalis, & iurisdictionalis. Sacramentalis est, quæ per aliquam consecrationem confertur. Omnes verò consecrationes ecclesiæ, sunt immobiles, vt etiam in rebus inanimitas videmus. Nam altare semel consecratum nō denuo consecratur, nisi dissipatum destructumque fuerit. Quanuis ergo homo consecrationem aliquam habens, in hæresim aut schisma labatur: tamen potestas ista in ipso essentialiter manet. Vnde rediens non rursus consecratur. Sed quoniam potestas inferior agere debet secundum ordinem potestatis superioris, & prout ab illa mouetur: ideo hæretici atque schismatici vsum potestatis sacramentalis amittunt, nec vti ea licitè possunt: quod si vsi fuerint, ipsorum potestas in sacramentalibus effectum habebit: nam in talibus non agit homo nisi vt instrumentum dei. Ideoque effectus sacramentales propter malitiam ministri, quantumcunque maligni, nō excluduntur. Vnde quod Cyprianus in epistola ait: Nouatiani, qui nec vnitatem spiritus, nec conuentionis pacem obseruant, & se ab ecclesiæ vinculo atque à sacerdotum collegio separant, nec episcopi potestatem habere potest, nec honorem: de vsu peccati intelligi debet. Potro potestas iurisdictionalis est, quę ex simplici coniunctione hominis donatur, & illa non immobiliter adhæret. Vnde nec in hæreticis & schismaticis manet. Propter quod nec absolute, nec excommunicare, nec indulgentias facere possunt: quod si fecerint, nil actum est.

4. ¶ Denique quoniam pœna correspondere debet culpæ, & per eadem quis puniendus est per quę peccat: ideo sicut schismatici se ab vnitate ecclesiæ separant sic iustum est vt excommunicationem incurrant. Et iterum, quia se capiti ecclesiæ subdere nolunt, æquum est, vt temporali potestate coërceantur, dicitur enim .23. quæsti. 7. Diuinæ, & mundanæ leges statuerunt, vt ab ecclesiæ vnitate diuisi, & pacem eius perturbantes, à secularibus potestatibus comprimantur. Veruntamen in necessitatis articulo posset à schismatico baptismus recipi: imo à quolibet quanuis pagano.

¶ Patet itaque, quod quando schismatici per excommunicationem non corriguntur, addendum esse brachij secularis flagellum, quando tamen flagellum est, vna pœna sufficiēs, non est alia adijcienda.

¶ *An aliquod bellum sit licitum. 2. Vtrum clericis liceat bellare. 3. An etiam liceat vti insidijs in bellis. 4. An in die festo pugnare liceat* Articulus 85.

AD hoc autem quod bellū sit licitum, tria requiruntur. Primo authoritas principis. Nam priuatæ personæ nō licet bellū mouere, quia potest ius suum in iudicio superioris prosequi. Item non pertinet ad eam multitudinē conuocare, quòd in bello fieri oportet. Vnde libro secundo contra Manicheum Augustinus exponens illud euāgelij: Omnis qui acceperit gladium dicit, qđ ille accipit gladium qui sine superiori & legitima potestate hoc agit. Itaque quia principibus commissa est cura reipublicæ, intestinos atque exteraneas hostes compescere habent. Secundo exigitur causa iusta. Tertio autem intentio bellantium recta, quia no cēdi cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominādi, atque similia, iustè culpantur. Illud autem quod dominus ait: Ego dico vobis, non resistere malo, & alia talia, seruanda sunt solum secundum præparationem animi.

2. ¶ Præterea, ad bonum socialis vitę humanæ multa necessaria sunt, nec possunt singula à singulis conuenienter exerceri, secundum Philosophum in Politicis. Vnde qui maioribus rebus deputantur, minoribus prohibentur occupari secundū leges humanas. Nam militibus negotiatio interdicitur. Bellica autem exercitia, officijs atque operibus episcoporum ac clericorum maximè contrariantur.

Primo propter inquietudinē quæ in eis potissima est, & à contemplatione & oratione laudeque dei maxime impedit. Ideoque bellica negotia magis contrariantur statui clericorum quàm negotiationes, quæ tamen eis non licent, quia secundum apostolum: Nemo militans deo, implicat se secularibus negotijs. Secundo propter specialem rationem. Clerici nanque deputantur ad altaris ministerium, in quo sub sacramento repræsentatur passio Christi. Propterea non conuenit clericis sanguinem fundere, sed potius ad proprij sanguinis effusionem paratos pro Christo consistere: quatenus opere impleant, quod mysterio gerunt. Vnde etiam institu-

tum est, vt effundentes sanguinem quauis sine peccato tamen irregulares fiant. Cum ergo nemini id liceat, per quod proprio officio ineptus efficitur, non licet clericis gerere bella, sed spiritualibus armis gregem suum defendere debent. Et propter hoc possunt prælati & clerici ex commissione superioris interesse bellis, quatenus populum hortentur, absoluant, & doceant. Quod autem proprijs manibus pugnēt, abusionis est. Possunt autem alios ad bellum iustū inducere, sicut. 18. qu. 8. habetur de Adriano papa, qui Carolū contra Longobardos ad bellandum vocauit.

3. ¶ Denique, insidiæ ad hostes fallendos ordinantur. Dupliciter autem aliquis fallitur, dicto vel facto. Primo cùm fallitur aliquod dicitur, vel promissum nō seruatur. Et hoc illicitum est, quia secundum Ambrosium libro de officijs, etiā inter hostes sunt fœdera & pacta seruanda. Secundo aliquis fallitur, quia propositum seu cōceptum nostrum ei nō prædimus. Et istud est licitum, quia & in doctrina fidei quædam secreta hostibus fidei occultātur, ne sanctum canibus detur, sic quoque in documentis rei militaris præcipuum est, ne cōsilia hostibus reuelentur, vt in libro Strato gematum Francorum habetur.

4. ¶ Insuper obseruatio sabbati non repugnat defensioni salutis proprij corporis, aut reipublicæ, quia medici in festis licitè medentur. Ideoque licet pro defensione cōmunis boni in festis pugnare, si necessitas exigat, nam per hoc multa mala atque pericula, tam in spiritualibus quā in temporalibus, euitantur: imo hoc esset deum tentare, in tali necessitate à bello velle abstinere.

¶ *De culpa rixæ, 2. De origine rixæ. Articulus.* 86.

Sicut autem discordia est segregatio voluntatū, & dissensio contradictio sermonū: sic rixa est in factis, vt cū se aliqui ex ira percutiunt. Vnde rixa est bellum inter priuatas personas, non ex superioris authoritate, sed inordinata earū voluntate. Et ergo est semper peccatū, in eo enim qui aliū iniustè inuadit, est mortale peccatū. Nā inferre proximo nocumentum opere manuali, non est sine peccato mortali. In eo autē qui se defendit quandoque est sine peccato, interdum autem cum peccato veniali, & interdum cū peccato mortali. Si enim se defendit solo animo repellendi iniuriam cum debito moderamine, nō est peccatū, nec ira pro-

priè ex parte ipsius, quando verò aliquis leuis motus iræ aut odij se miscet, & rectum moderamen parum excediturr, est veniale peccatum. Si autem obstinato animo insurgat in inuadentem, vt eum grauiter lædat, est peccatum mortale. Dicit autem Isidorus, Rixosus est, qui semper ad cōtradicendum est paratus & irrgijs delectatur, aliosque ad contendēdum prouocat. Dictū est autē quod bellū iustū non est, nisi authoritate publicę potestatis fiat, ideo rixę bellū semper est malū, quoniam ex priuato affectu iræ vel odij oritur.

2. Præterea, ira propriè dicitur, cùm quis alium ipso scientе lædere nititur. Et quia hoc iræ conuenit. Ira enim cū sit appetitus vindictę, vult vt alius sciat id cōtra ipsum agi, quatenus magis torqueatur, nec sufficit irato latēter nocere, sed alio sciente & à repugnante, sed inuidus, quoniam quęrit absolutè malum alterius, non curat an palàm, an secretiùs noceat, propterea rixa magis propriè est filia iræ quauis ex odio possit procedere. Dicit tamen apostolus Iacobus. Vnde lites in nobis, nonne ex concupiscentijs &c. quia videlicet passiones irascibilis, quarum ita vna est, ex passionibus concupiscibilis oriuntur.

¶ *Virum seditio sit peccatum speciale 2. An mortale. Articulus.* 87.

Est autem seditio speciale peccatū, & conuenit cum rixa & bello in hoc, quod contradictionem designat. Sed differt ab eis, quia rixa & bellū, important actuale mutuam pugnam. Seditio verò dicitur siue pugna fit in actu, siue ad pugnam aliqui præparentur. Vnde dicitur seditio tumultus ad pugnam. Secundo differunt, quoniam bellum est propriè contra exteraneos hostes, quasi multitudinis contra multitudinē, rixa verò est vnius contra vnū, aut paucorum contra paucos, sed seditio propriè est inter partes vnius multitudinis inter se dissentientis, vt cùm vna pars ciuitatis contra aliam incitatur. Sic itaque quia seditio speciali bono opponitur, scilicet vnitati ac paci multitudinis, est speciale peccatum.

2. ¶ Denique, est & mortale peccatū, & tanto grauius rixa, quanto bonum cōmune aut plurium melius est bono vnius aut paucorum. Opponitur enim iustitiæ, & bono communi. Nam secundum Augu. 21. de ciuitate dei, populus dicitur nō omnis cœtus multitudinis, sed cœtus iuris atque cōmunis

Universidad de Deusto
Biblioteca

vtilitatis consensu sociatus. Huic autem vnitati seditio cõtra nititur. Et ergo primo pertinet ad eum, qui seditionẽ procurat, & est in ipso grauissimum peccatum. Consequenter autẽ in sibi consentientibus inuenitur. Porro seditio à schismate in duobus distinguitur. Primo, quoniã schisma est cõtra vnitatẽ spiritualem ecclesiæ: seditio autẽ contra vnitatẽ multitudinis temporalem. Secundo quia schisma nõ importat præparationem ad pugnam corporalem, sicut seditio.

¶ *Quid est scandalum.* 2. *An sit peccatum.* 3. *Vtrum sit peccatum speciale.* 4. *An possit esse peccatum mortale. Articulus* 18.

DEnique) vt testatur Hieronymus) scandalũ græcè, latinè offensio, ruina vel impingẽtia dicitur. Sicut enim in via corporali aliquando obex ponitur, in quem transiens si impingit prolabitur: sic in via spirituali contingit hominem ex dicto vel facto alterius, ad peccati ruinam disponi: & talis obex in vtraque via, scandalum appellatur.

¶ Nil autem ex sua natura disponit ad spiritualem ruinam, nisi aliquẽ rectitudinis defectum sortiatur. Quod enim perfectè rectum virtuosumque est secundũ suam rationẽ, plus hominem contra malum munit, quàm ad peccandum inducat. Ideo scandalum conuenienter describitur, quod sit dictum vel factum minus rectum: præbens alicui occasionem ruinæ. Et sumitur hic minus rectum, nõ quod ab aliquo alio in rectitudine superetur, sed pro peccato, quod de se obliquum est, vel pro eo quod speciem mali habet, velut si quis in idolio accubet, per quod videtur idolo honorem impendere. Vnde Apostolus: Ab omni (inquit) specie mala, abstinete vos. At verò quoniã nihil est homini perfecta atque sufficiẽs causa peccãdi, nisi ꝓpria volũtas: ꝓpterea in diffinitione scandali nõ dicitur, dãs causam, sed præbẽs occasionẽ. Nã in potestate alterius est, recipere scandalum, vel non.

¶ Aduertendum tamen, quod dictum vel factum hominis, potest dupliciter esse alteri peccandi occasio. Vno modo per se, quando videlicet aliquis admonitione, vel exemplo, inten dit aliquem ad culpam inducere: vel etiam, licet ipse non intendat hoc, tamen opus suum tale est, quod ex sua natura alium ad malum inducere potest: vel quia malũ est, aut speciem mali habet: & tale dictum vel factum, dicitur scandalum actiuum. Secundo per accidens, quando videlicet ex dicto vel facto alterius, aliquis scandalizatur præter intentionem agentis, & præter conditionem operis: vt cùm opus in se bonum est, sed alter ex sua malitia inde ac peccandum inducitur: & hoc est scandalum passiuum sine actiuo, nam agens non peccat, nec quantum in se est, alij occasionem ruinæ ministrat. Patet itaque, quod interdũ sunt simul scandalũ actiuum in vno, & passiuum in altero, quandoque est scandalum actiuum in vno, non autem passiuum in altero, quia videlicet alter nõ cõsentit interim quoque est scandalũ passiuum sine actiuo.

2. ¶ Denique vtrumque scandalum semper est peccatum. Nam scandalum passiuum non est nisi inquantum aliquis ruit spirituali ruina. Scandalum quoque actiuum vel est malum, & sic est per se peccatum: vel habet speciem mali, & tũc propter proximi charitatem dimittendum foret, & qui non dimittit, contra charitatem agit & peccat. Porro quin euangelio dicitur: Necesse est vt scandala veniant, intelligendum est, non de necessitate absoluta, sed conditionali: quẽadmodum præscita à deo necesse est euenire, vel necesse est ea fieri necessitate finis, quoniã ad aliorũ probationẽ vtilia sunt.

3. ¶ Præterea, scandalum passiuum non est speciale peccatum quia secundum quodlibet genus peccati, contingit alicui ex dicto vel facto alterius ruere.

¶ Scandalum verò actiuũ quod est præter intentionẽ agentis, non est speciale peccatum, vt cùm aliquis non intendit alium scandalizare, sed propriæ voluntati satisfacere. In moralibus namque, quod est per accidens, nõ constituit speciẽ. Scandalum autem actiuum, quo quis intendit alium scandalizare, est speciale peccatum ratione specialis finis intenti: & opponitur directè correctioni fraternæ.

4. ¶ Præterea scandalum passiuum, interdum est veniale peccatum, vt cum quis ex alterius dicto vel facto ad venialis peccati motum impingitur: quandoque autẽ mortale, vt si quis mortaliter ruat. Similiter scandalum actiuum per accidens est veniale peccatum, quando quis actum venialis peccati, vel qui solum habet speciem mali, cõmittit: quandoque verò est mortale peccatum, vel quia mortale peccatum cõmittit, vel quia proximi salutem contemnit, nolens propter eam omittere, quod sibi placuerit. Scandalum autẽ actiuum per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per se ex intentione agētis, tunc est mortale peccatū, quādo quis alīū ad peccandū mortaliter conatur inducere: quod si ad veniale peccatū inducere velit, esse veniale peccatum.

Vtrum perfectorum sit scandalizari. 2. An eorum sit scandalizare. 3. An spiritualia bona sint dimittenda propter scandalum. 4. An etiam temporalia Articulus. 89.

POtro scandalum passiuum, commotionem animi à bono importat. Viri autem perfecti deo, cuius incōmutabilis bonitas est, firmiter & inconcussē adhærent, nec superiori homini obediunt, nisi inquantum ille sub ordine dei perseuerat. Ideo ex dictis vel factis aliorū inordinatis, non recedunt à deo intrinsecus, quanuis forinsecus impediuntur. Vnde in Psalmo: Qui confidit in domino sicut mons Sion, non commouebitur in æternum. Et rursus: Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalū. Et Apostolus ait: Neque mors, neque vita, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate dei. Propter ꝙ Hieronymus dicit: Qui scandalizatur, paruul⁹ est. Maiores enim non recipiunt: veruntamen scandalum quandoque largē accipitur pro quolibet impedimento & sic Christus Petro dixit: Scandalum mihi es.

¶ Amplius autem quanuis perfecti, ex carnis infirmitate venialia peccata incidere valeant, non tamen ex defectu alterius scandalizantur secundum veram scandali rationem, licet quandoque scandalo appropinquent, sicut scriptura testatur: Mei autem penè moti sunt pedes.

2. Præterea scandalum actiuum magis perfectioni repugnat quàm passiuum. Cùm ergo perfectorū sit omnia secundum regulam rationis peragere, dicēte Apostolo: Omnia honestè, & secundum ordinē fiant in vobis: Ideo perfectorum non est scandalizare, secundum quod scandalum actiuum dicitur dictum vel factum, quod ex sua natura tale est, vt alium ad ruinam inducere possit. Nam quanuis in actib⁹ perfectorum aliqua possit imperfectio esse: illa tamen ex carnis fragilitate procedit, nec tanta est vt rationabiliter debeat aliquis inde occasionem ruinæ contrahere: imo qui ex talibus scandalizantur, non scandalizantur à scandalo actiuo alterius, sed proprio. Nam ipsi seipsos scandalizant. Vnde quod Paulus scribit, se Petro in faciē restitisse, in hoc, secundum Augustinū, Petrus incautè se habuit, & aliqualiter peccauit, nō tamē eatenus ꝙ inde aliquis scandalizari debebat.

3. ¶ At verò cum quæritur an propter scandalum sint spiritualia bona omittenda, certum est de scandalo passiuo intelligi. Agnoscendum ergo, quod quædam bona sunt de necessitate salutis: & hæc propter alterius scandalum vitandum, non sunt deserenda. Alia spiritualia bona, ad salutem non necessaria. Et circa illa distinguendum est. Nam scandalum quod ex his oritur, quādoque est ex malitia sicut phariſei de Christi doctrina scandalizantur, vnde cum aliqua spiritualia bona impedere conantur, scandala concitando, non sunt bona omittenda. Interdum autem oritur scandalum de spiritualibus bonis ex infirmitate aliquorum, quod est pusillorum: & tunc propter charitatem sunt spiritualia bona occultanda, vel differenda: donec ratione reddita, cessaret scandalum tale. Quod si post redditam rationem non cessaret, tunc pertinet ad malitiam, & non essent bona omittenda. Ex his patet, qualiter veritatis instructio, ac fraterna correctio, propter scandalum sint omittenda. Nam ille cui incumbit docendi officium, quanuis veritatem deserere nō debeat: tamen actum docendi exercere debet secundū contingentiam personarū & temporis. Sic nanque eleemosynæ tam spirituales quàm corporales, & adimpletio consiliorum non sunt omittenda, quando alicui, vel ex cura animarum, aut ex iniuncto officio, aut ex voto incumbunt. At verò quidam dixerunt, propter scandalum alterius, maximè ne in mortale peccatum labatur, venialiter esse peccandum. Sed hoc implicat, nam si peccatum est faciendum, non est peccatum nec malum, quia peccatum non est eligibile. Contingit autem aliquod non esse veniale peccatum ex circunstantia, quod illa sublata esset veniale peccatum: quemadmodū verbum iocosum secundum se est veniale peccatum: si verò dicatur ex rationabili causa, non est peccatum: imo nec iocosum. Itaque quia peccatum disponit peccantē ad mortale, non est committendum propter vitandum in alio mortale peccatum.

4. Præterea, temporalium bonorum quædam sunt nobis commissa, vt bona ecclesiæ committuntur prælatis & bona reipublicæ ipsis rectoribus: & horum conseruatio imminet his, quibus commissa sunt de necessitate, quemadmodum & depositorum: Vnde nec propter scandalum dimittēda, sicut

nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec alia quæ de necessitate salutis sunt. Nam sanctus Thomas Cantuariēsis repetijt bona ecclesię cum scandalo regis. Alia temporalia bona sunt nostra. Et hæc propter scandalum dimittenda sunt; vel largiēdo ea alijs, si apud nos sint, vel nō repetendo si apud alios sint, quando scandalum oritur ex ignorantia vel infirmitate, quod est scandalum pusillorum. Sunt inquam dimittenda omnino, vel scandalum alio modo sedādum est. Vnde Augustinus: Dandum est, quod nec tibi nec alteri noceat, & cum negaueris quod petit iudicāda est ei iustitia: tuncque melius aliquid ei dabis cum errantē correxeris. Aliquādo oritur scandalū ex malitia, quādo videlicet aliqua scandala concitant aut concipiunt ex sua dutitia: & ob tale scandalum non sunt temporalia dimittenda. Hoc enim ergeret in detrimentum boni communis, quia daretur impijs rapiendi occasio, & ipsis rapientibus hoc ipsum noceret in anima: propterea (secundum Augustinum) præceptū Christi in euange. Et qui vult tecum contendere in iudicio & tunicam tollere, dimitte & pallium. Item verbum Apostoli: Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis. Quare non magis iniuriam accipitis? intelligenda sunt secundum præparationem animi, sic vt sit homo paratior iniuriam pati vel fraudem, quàm iudicio contendere, si hoc ipsum magis expediat. Vnde etiam in quibusdā locis, ecclesiæ Christi non recipiunt à populo decimas, quia non est in eis solitum decimas soluere, & ideo decimæ sine scandalo non exigerentur. Proinde illis nō obstat, quod ait Hieronymus, Dimittendum est propter scandalum, omne quod potest prætermitti. salua triplici veritate, scilicet vitæ, iustitiæ, & doctrinæ, quia consilia pertinent ad perfectionem veritatis, vitæ, atque iustitię, & salutī multorū obesset, si bona aliena retinere vel rapere possent.

¶ *De præcepto charitatis. 2. An sit vnum vel plura.* *Articulus 90.*

PRæceptum præterea importat aliquid debitum. Est autem aliquid dupliciter debitum. Primò per se, sicut finis, quoniam finis habet per se rationem boni. Secundo propter aliud, sicut media ad finem, quemadmodum in arte medicinæ, sanitas est per se intenta & medico debita. Potio autem & dieta, propter sanitatem. Finis autem spiritalis vitæ, est deo adhærere, quod per charitatem

tem efficitur, & ergo de charitate datur præceptum per se, de actibus verò aliarum virtutum, prout ad charitatē ordinantur. Vnde Apostol⁹: Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

¶ Virtutes quippe, quæ sunt circa passiones, cor purificant, & quæ sunt circa operationes, conscientiam bonā efficiunt. Fides quoque non ficta cognitionem deo coniungit, & omnia hæc ad actum charitatis ordinantur atque disponunt: Ideo præceptum de charitate est maximum. & quoniā omnia præcepta decalogi, ad dei & proximi charitatem ordinātur: ideo præceptum de charitate inter illa numerandum nō fuit, imo in omnibus includitur.

¶ Insuper sic se habent præcepta in lege, sicut propositiones primorum principiorum in scientijs speculatiuis, in quibus conclusiones virtualiter continentur. Neque necesse est ex principijs conclusiones deducere, nisi propter minus capaces, nam qui ipsa principia secundum ipsorū totam virtutem cognosceret, in ipsis simplici intuitu omnes conclusiones videret. Charitas autem est finis virtutum in agibilibus. Sed finis in agibilibus se habet vt principium in speculabilibus. Ideoque sicut conclusio continetur implicite in principio: sic charitas proximi cōtinetur virtualiter in dilectione dei. Tamē sicut ex principijs necesse est aperte cō clusionem inferre, sic propter incapaciores necesse fuit post dilectionis diuinæ præceptum, etiam de dilectione proximi mentionem fieri. Et ergo sunt duo charitatis præcepta, quorum vnum ordinatur ad aliud, est tamen vna charitas habens duos actus quorum vnus (videlicet dilectio proximi) ordinatur finaliter ad alium, id est dilectionem dei. At vero cum charitas sit amicitia quædā, quæ ad minus duos requirit, cum nullus seipsum propriè dicatur diligere; ideo duo sunt charitatis præcepta, Amor enim, seu charitas, est boni. Bonorum autē aliud est finis, scilicet Deus, & de hoc est primum charitatis præceptū, aliud ordinatur ad finē videlicet proximus, & de hoc est secundū charitatis præceptū. Quātus autem sunt quatuor charitate amāda, tamē de dilectione sui & corporis proprij, nō erant danda præcepta, nam horum dilectio homini semper adhæret, quantumlibet à charitate excidat. Sed modus ea amandi præcipitur, quatenus ordinatē amentur, per hoc, quod Deus diligi iubetur.

¶ Quo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Quomodo Deus diligi præcipiatur. 2. Quomodo toto corde. 3. Quomodo tota mente. 4. Virum hoc charitatis præceptum in via impleri possit. Articulus. 91.

QVoniam quidem autē ad actum virtuosum nō solum exigitur vt supra debitam cadat materiā, sed vt insuper debitis vestiatur circunstantijs quibus ali materiæ proportionetur propterea non tamen præcipitur vt deus diligatur, sed etiā vt toto corde amētur, cūm ipse sit omnium vltimus finis. Nam in eo quod dicitur, Ex toto corde, insinuatur modus dilectionis dimmæ. Quamuis enim modus quem habet virtus à superiori virtute, sub præcepto non cadat, modus tamen, qui ad ipsam virtutem pertinet cuius est actus, præcipitur. Porro quod dicitur, Ex toto corde, vno modo intelligitur actu, vt scilicet cor hominis semper in deum actualiter feratur, & hoc est perfectio patriæ. Alio modo in habitu vt videlicet homo nil agat quod charitati repugnat, & hoc est perfectio viæ. Charitas quoque, ad quam ordinātur consilia inter prædictas duas charitatis perfectiones est media, quia per eam homo temporalia licita deserit, quæ mentem à dei actuali dilectione vehementer impediunt.

2. ¶ Aduertendum præterea, quod præceptum de charitate Dei in Marco plenè datur, cum dicitur. Ex toto corde ex tota mēte, ex tota anima, & ex tota virtute. In Deuteronomio autem non ponitur, ex tota mente, quia sub vno istorum intelligitur. Matth. quoq; omittit, ex tota fortitudine tua. Lucas quoque dicit, ex totis viribus tuis, quod idem est, quod ex tota virtute, seu tota fortitudine.

3. ¶ Dilectio ergo est actus voluntatis, quæ hic per cor designatur, nam sicut cor est principium omnium corporalium motuum, sic voluntas est principium omnium motuum spiritualium. Motuum autem, qui à voluntate imperantur, sunt tria principia scilicet intellectus, qui hic significatur per mentem, vis appetitiua inferior, quæ signatur per animā, vis quoque executiua exterior, quæ intelligitur per virtutē seu fortitudinem. Iubemur itaque Deum toto corde diligere, quatenus tota intentio nostra feratur in deum. Tota etiam mēs, vt scilicet intellectus deo subdatur. Tota anima, vt videlicet appetitus inferior secundum deum reguletur. Tota denique virtute, quatenus omnis noster actus exterior deo subijciatur.

Et sciendum quòd præceptum dupliciter impleri potest, vtpote perfectè & imperfectè. Perfectè quidem, quando secundum intentionem præcipientis impletur, ita vt vsque ad ipsius intentionem perueniatur, & sic (secundū Augustinum libro de perfectione iustitiæ) præceptum charitatis, non nisi in plenitudine charitatis patriæ implebitur, quia tunc homo deo penitus atque omnimode subijcietur, quod est intentio Dei hoc præceptum iubentis. Imperfectè verò præceptum impletur, quando vsq; ad intentionem præcipientis non peruingitur, sed tamen contra ipsius intētionem nil agitur, velut si dux militibus iubeat, vt pugnent, ille perfectè obedit qui hostem vincit, tum hęc sit ducis intentio: qui autem pugnat, triumphum tamen non obtinet, imperfectè obedit, & ita præceptum de dilectione dei implere potest in via, quando videlicet nil charitati contrarium homo committit, sed in patria erit deus omnia in omnibus, nunc verò tanto vnusquisq; præceptum hoc perfectius implet, quanto perfectioni patriæ, quæ semper in actu est, magis appropinquat.

¶ De dilectione proximi. 2. An ordo charitatis cadat sub præcepto. Articulus 92.

IN præcepto insuper, quod de dilectione proximi datur, duo tanguntur, videlicet ratio diligendi, & dilectionis modus. Primum cum dicitur, diliges proximum. Nam ideo aliquem debemus diligere, quoniam proximus noster est, tam secundum naturalem Dei imaginem, quàm secūdum gloriæ capacitatem. Nec refert, an dicatur proximus, vel frater, vel amicus, sicut in Leuitico dicitur. Semper enim eadem affinitas designatur. Porro modus diligendi innuitur cum additur: Sicut teipsum, non quod alium debeamus diligere æqualiter, sed similiter nobis: & hoc tripliciter. Primo secundum ordinem finis, quatenus sic diligat homo proximum propter Deum, sicut seipsum propter Deum diligere debet. Secundo ex parte mensuræ dilectionis, videlicet, vt non condescendat proximo in malo, sicut nec sibijpsi. Tertio ex parte rationis dilectionis, vt scilicet amet proximum, non propter proprium commodum, sed propter illud bonum, propter quod amat seipsum.

2. ¶ Præterea, modus ad rationem virtuosi actus pertinēs, cadit sub præcepto, quod de virtute donatur. Cum ergo ordo charitatis sit modus pertinēs ad rationem actus dilectionis,

quia accipitur secundum proportionem dilectionis ad diligibile, cōstat quod ordo charitatis sub præcepto cadere debeat quod etiam ex scriptura ostenditur. Sunt quippe quatuor ex charitate diligenda, videlicet Deus, homo ipse, proximus & proprium corpus. Cum autem præcipitur vt deus diligatur toto corde, iubemur deum super omnia diligere. Cum verò mandatur, vt diligamus proximum tanquam nosipsos, insinuatur, quod homo seipsum primo & magis quàm alium diligere debeat: & qui aliter diligeret, ageret contra ordinem charitatis de quo scriptum est: Ordinauit in me charitatem. Præterea, quod plus debet diligi proximus quàm proprium corpus, mandatur pri. Ioan. 3. Debemus pro fratribus animā ponere, id est, vitam corporalem. Pariformiter cum ait Apostolus: Operemur bonum ad omnes, maximè ad domesticos fidei. Et ad Timothæum: Qui nō habet curam suorum, infidelem negat quod meliores, præsertimq; propinquiores magis debemus diligere.

¶ Quod sapientia est donum spiritussancti. 2. De subiecto eius. 3. An sit speculativa vel practica. Articulus 93.

QVinto primæ philosophiæ Aristoteles docet, quod ad sapientem pertinet considerare altissimam causam, per quam, videlicet de alijs certissimè iudicari, & secūdum quam omnia regulari oportet. Dupliciter autē dicitur causa altissima, vel simpliciter, sicut deus est prima omnium causa, & qui talem cōsiderat, simpliciter sapiens dicitur, quia per regulas & rationes ac leges divinas omnia alia iudicat & ordinat. Et tale iudiciū percipit homo à spiritusancto, iuxta illud Apostoli: Spiritualis homo omnia iudicat, ideo sapientia est donum spiritussancti. Secūdo dicitur causa altissima in certo genere, per quam de omnibus ad illud genus pertinentibus optime iudicatur: vt in arte medicinæ est aliqua excellentior causa, & qui talem cōsiderat, sapiens in illo genere perhibetur. Porro sapiētia, quæ est donum, distinguitur à sapientia quæ est virtus, & habitus intellectus acquisitus: quoniam illa studio humano acquiritur, ista autem desursum est. Differt quoq; à fide, fidei enim est, diuinæ veritati assentire, sapientiæ autem de ipsa veritate iudicare. Habetur enim in Iob: Ecce timor domini ipsa est sapiētia, & secundum interpretationem Septuagin. qua vtitur Augustinus: Ecce pietas ipsa est sapientia, non quod sapientia sit essentialiter aliquid illorum, sed quia per pietatem, quę est cultus dei, & timorem filialem maximè manifestatur.

¶ Itaq; (vt iam dictum est) sapientia importat rectum iudicium per rationes diuinas, rectitudo autem iudicij vno modo habetur per plenum vsum rationis. Alio modo per connaturalitatem iudicantis ad id de quo profertur iudicium, sicut de castitate bene iudicat secundum primum modum, qui moralem scientiam didicit qui autem ipsam castitatis virtutem habet, de ea secundo modo bene iudicat. Similiter de rebus diuinis iudicare per rationis inquisitionem pertinet ad sapientiam, quæ est habitus intellectualis, sed per cōnaturalitatem cum eis de ipsis iudicare, attinet dono sapientię: quemadmodum dicit. 2. capite de diuinis nominibus de sancto Ierotheo Dionysius scribit, quod erat in diuinis perfectus, non tantùm discens ea, sed etiam patiens. Hæc verò compassio seu connaturalitas habetur per charitatem, quæ deo nos vnit.

2. ¶ Vnde sapientia, quæ est donū causam habet in voluntate, videlicet charitatē, sed ipsa essentialiter est in intellectu cuius actus est iudicare. Vnde patet quare in libro de gratia noui Testamenti Augustinus dicat, sapientia est charitatis dei.

3. ¶ At verò intellectus duos habet actus, vtpote percipere, ad quem ordinatur donum intellectus, cuius est veritatē penetrare: & alium actum, scilicet iudicare, quod ad sapientiæ pertinet donum, quando fit per rationes diuinas, sed cum fit per rationes humanas, est actus doni scientiæ. Præterea secundum Augustinum 12. de trinitate, superior pars rationis deputatur sapientiæ, inferior autem scientiæ. Superior quoq; pars rationis intendit rationibus supernis seu diuinis conspiciendis ac consulendis: conspiciendis, inquantum contemplatur diuina secundum se: consulendis, prout per diuina iudicat de humanis per leges diuinas, dirigendo actus humanos per regulas diuinas, propter quod sapientia est non solum speculatiua sed etiam practica. Sapientia tamen per prius est diuinorum cognitio seu speculatiua, & secundario per rationes diuinas iudicat dirigitque humana. Vnde Gregorius: In contemplatione (inquit) principium quod Deus est quæritur in operatione aut sub graui necessitatis fasce laboratur.

¶ Virum sapientiæ donum sine gratia haberi possit. 2. An etiam sit in omnibus gratiam habentibus 3. Quæ beatitudo ei correspondeat. Artic. 94.

Universidad de Deusto
Biblioteca

MOdo ostensum est, quod donum sapientiæ iudicet de diuinis atq; de alijs per rationes diuinas, propter connaturalitatem seu vnionem ad diuina, ea ipsa connaturalis conformitatis charitas causa est, secundum præostensa. Sed charitatis sine gratia esse non valet. Patet igitur quod donum sapientiæ non conuenit nisi in gratia existentibus. Vnde scriptum est: In maliuolam animã non introibit sapientia: sed sapientia, quæ est habitus intellectualis, cum mortali peccato haberi potest.

2. ¶ Præterea doni sapientiæ sunt diuersi gradus, & quidam eminentius alijs sortiuntur diuinius sapientiæ donum, omnibus tamen habentibus gratiam, hoc commune est quod sapientiæ donum habent quantum saluti necessarium est, vt scilicet de rectitudine iudicij circa diuina, & in ordinatione rerum humanarum tantum accipiant, quantum ad propriam directionem opportunum est. Alij verò altius illustrantur intrà, vt quædam proferenda diuinorum mysteria videant, & in actibus humanis non tantùm se, sed alios quoque dirigere queant. Vnde Apostolus: Sapientiam (inquit) loquimur inter perfectos, & denuo. Alij datur per spiritum sermo sapientiæ. Nec istud commune est omnibus, sed potius pertinet ad gratias gratis datas.

3. ¶ At verò septima beatitudo, quæ est Beati pacifici, dono sapientiæ adaptatur tam quo ad meritum, quàm quo ad præmium. Meritum enim ponitur cum dicitur: Beati pacifici, id est pacem facientes, vel in se aut in alijs. Quod fit per hoc quod ea in quibus pax consistit, ad debitum ordinẽ referuntur, cum pax sit tranquillitas ordinis, ordinare autẽ est actus sapientiæ. Porro ad præmium pertinet, quod dicitur: Quoniam filij dei vocabuntur. Homines enim dicuntur filij dei, inquantum similitudinem vnigeniti naturalisq; filij participant, sicut ait Apostolus: Quos præscinit conformes fieri imaginis filij sui, sed filius Dei est sapientia genita. Ideoque participando sapientiam, homo ad dei filiationem pertingit.

¶ Quod stultitia opponitur sapientiæ 2. An sit peccatum 3. De quo capitali vitio oriatur. Artic. 95.

STultitia denique est quædam mentis hebetudo & obtusio sensuum, fatuitas autem est mera spiritualium priuatio. Cùm ergo sapientia à sapore dicatur, quia per eam sit homo idoneus ad diuinorum scientiam rerum atque causarum, constat quod stultitia opponatur sapientiæ, sicut quæque eidem opponitur tanquam pura priuatio.

2. ¶ Sciendum præterea, quod stultitia aliquando inest ex naturali dispositione seu causa, vt in amentibus, & tunc non est peccatum. Interdum verò ex immersione sensuum in terrenis, per quam fit homo ad diuina stupidus atque insipidus, sicut ait Apostolus: Animalis homo non percipit, ea quæ sunt spiritus Dei. Quemadmodum etiam habenti gustum infecti dulcia videntur amara. Et hæc stultitia est peccatum.

3. ¶ Innotescit proinde, quod per luxuriam cor in terrenis potissimè mergitur ac haberatur, & ergo (secundum Gregorium,) Stultitia ponitur filia luxuriæ. Frequenter tamẽ oritur ex ira quoniam ira sua acuitate corporis naturam immutat, & ad veritatis contemplationem inhabilem reddit mẽtem.

¶ De virtutibus cardinalibus, & primo de prudentia. 1. De subiecto prudentiæ 2. Et an sit cognoscitiua singularium. An sit virtus specialis. Articulus 96.

EST autem (secundum Augustinum) prudẽtia cognitio rerum appetendarum & fugiendarum, & secundum Isidorum dicitur prudens quasi procul videns, Ideoque prudentiæ subiectum est ratio. Prudens namque considerat ea quæ procul sunt, inquantum per ea adiuuatur in his, quæ sunt vel principaliter vel præsentialiter agenda. Vnde ea quæ prudentia considerat, ordinantur ad aliud tanquam in finem. Sed eorum quæ sunt ad finem est consilium in ratione, electio verò in appetitu inter quæ consilium magis ad prudentiam pertinet. Nam Philosophus sexto Ethicorum dicit: Prudens est bene consiliativus. Quoniam tamen electio præsupponit consilium, cum sit appetitus preconsilia ri, vt 3. Ethicorum habetur. ideo etiam eligere potest asscribi prudentiæ ex consequenti, secundum quod prudẽtia per consilium dirigit electionem. Ex his insuper, constat, quod prudẽtia est in ratione practica, & non speculativa. Prudentis namque est bene consiliari, sed consilium est eorum quæ per nos fieri possunt in ordine ad aliquem finem. Talium verò est ratio practica. Propterea 6. Ethicorum ait Philosophus. Prudẽtia est recta ratio rerum agibilium, quod ad practicam pertinere rationem palàm est, quia finis eius est praxis. Veruntamen nomen prudentiæ quandoque communius sumitur ab Ambrosio & Tullio, & etiam in scripturis, videlicet pro qua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

libet cognitione humana.

2. ¶Præterea, cum prudentiæ sit applicare cõsiderationem communem ad opus, ideo prudentia est singularium cognoscitiua, quia actiones & passiones sunt circa singularia: tamẽ prudentia cum sit in ratione, quæ semper est vniuersalium, primitus est circa communia. Deinde quasi per reflectionẽ est singularium, vnde tertio de anima dicitur, quod intellectus per reflectionem, ad materiam se extendit. Et quoniam singularia sunt indeterminata, ideo incertæ sunt prouidentiæ nostræ vt Sapientiæ nono habetur. Nihilominus singularia ad aliqua finita reduci possunt, quę vt frequentiùs accidunt, quorum cognitio sufficit ad certitudinem humanæ prudẽtiæ.

3. ¶Deniq; virtus est, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Sed dupliciter aliquid dicitur bonũ, materialiter scilicet vtpote quia est res bona: & formaliter, id est secundum rationem boni. Bonum autem formaliter dictum est obiectum appetitiuæ potentiæ. Habitus ergo, qui faciunt rectam considerationem rationis, non habendo respectum ad rectitudinem appetitus, minus habẽt de ratione virtutis, quia non ordinant nisi ad bonum materialiter sumptum. Sed habitus respicientes bonum sub ratione boni formaliter, plus vtiq; de ratione virtutis sortiuntur. Cũ ergo ad prudentiã pertineat applicare actum rationis ad opus, quod sine certitudine appetitus fieri nequit: ideo prudẽtia est virtus, non iã duntaxat sicut cæteræ virtutes intellectuales, sed etiam sicut virtutes morales. Et ergo connumeratur vtriq;.

¶Dicit autem Philosophus, quod artis est virtus, quia videlicet ad hoc quod aliquis recte vtatur arte, requiritur virtus, quæ rectum faciat appetitum.

¶At verò actus & habitus, speciem ex obiecto recipiunt, vnde habitus habens speciale obiectum dicitur specialis, quod si fuerit bonus, vocatur virtus specialis. Sed obiectum dicitur speciale dupliciter. Primo secundum materialem diffinitionem: secundo & magis propriè, secundum rationem formalem. Nam vna res secundum diuersam rationẽ, sub diuersis habitibus atq; potẽtijs cadit. Maior autem exigitur diuersitas obiecti ad diuersitatem potentiæ quàm habitus, quia plures habitus in vna potẽtia esse possunt: & ergo diuersitas, quæ causat diuersitatem potentiæ, multò amplius diuersificat habitum. Cum ergo prudentia sit in ratione, à cæteris habitibus

bitibus intellectualibus diuersificatur secundum materialẽ obiectum differentiam. Nam sapientia, scientia, & intellectus sunt circa necessaria: ars autem & prudentia sunt circa cõtingentia. Sed ars est circa factibilia, quæ scilicet in exteriori materia fiunt: prudentia verò circa agibilia, vt pote quæ in ipso operante consistunt, vt sunt actus humani immanẽtes.

¶Porro à virtutibus moralibus distinguitur prudentia secundum rationẽ formalẽ potentiarũ distinctiuam, videlicet intellectus & appetitus. Nam prudentia est in intellectu, virtutes autem morales in appetitu. Ideo prudentia ab omnibus virtutibus differt. Ponitur tamen prudentia in diffinitione virtutis moralis. Quia sicut appetitus sensitiuus est subiectum virtutis moralis, inquãtum aliquid rationis participat, sic virtutes morales, quæ in ipso, scilicet appetitu sunt, habent rationem virtutis secũdum quod intellectualem virtutem participant.

¶Quod prudentiæ non sit præstituere finem, sed medium in virtutibus moralibus 2. Quod præcipere sit actus prudentiæ 3. Quod etiam ad prudentiam pertinet solicitudo 4. Vtrum se extendat ad regimen multitudinis. Articulus 97.

Finis proinde virtutum moralium est bonum humanum, bonum verò humanum (secundum Dionysium quarto capitulo de diuinis nominibus) est esse secundum rationem humanam. Ideo fines virtutum moralium, in ratione præexistunt. Quemadmodum autem in ratione speculatiuæ sunt quædam principia per se nota, quorũ est intellectus, & aliqua quæ ex ipsis principijs innotescunt, vt sunt conclusiones quorum est scientia: ita in ratione practicæ præexistunt quædam tanquam principia naturaliter nota, quorũ est synteresis: & hęc sunt fines virtutum moraliũ. Alia verò tanquam conclusiones deducuntur ex eis, & hæc sunt media ordinata ad finem, in quorum notitiam deuenimus ex finibus, quia sicut se habet principiũ in speculatiuis sic se habet finis in agibilibus. Horum verò est prudentia, applicans vniuersalia principia operabilium ad determinatas materias. Ideoque prudentiæ est disponere de his, quæ sunt ad finem virtutum moralium, non autem virtutibus moralibus præstituere finem. Vnde elucescit, quod ad prudentiam spectet inuenire mediũ in virtutibus moralibus. Cuiuslibet

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim virtutis moralis finis est, rationem in rectitudine confirmare: sicut temperantia in hoc ordinatur, ne propter concupiscentias homo à ratione abscedat. Et hic finis præstinatus est homini secũdum naturalem rationem, ratio enim naturalis vnicuique dictat vt secundum rationẽ agat, sed qualiter atque per quæ media, homo medium attingere possit rationis, ad dispositionem prudentiæ pertinet. Nam quamuis attingere medium sit finis virtutum moralium, hoc tamen medium inuenitur per rectam dispositionem eorũ, quæ sunt ad finem, quod ad prudentiam attinet, quæ ex experimentis circa singularia moderatè versatur ipsa in passionibus ac operationibus constituit medium.

2. ¶ Præterea, cum prudentia sit recta ratio agibilium, ille est præcipuus actus prudẽtiæ, qui est principalis actus rationis practicę agibilium, cuius vtique triplex est actus. Primus est consiliari, quod pertinet ad inuentionem: nam consiliari est quærere. Secundus actus est de inuentis iudicare, quod facit ratio speculatiua. Sed quoniam ratio practica ordinatur ad opus, ideo tertius sequitur actus, qui est præcipere, quod facit prudentia, dum cõsiliata & iudicata applicat operi. Hic quoque est principalis actus rationis practicæ, & per consequens prudentiæ, cuius signum ponit Philosophus Sexto Ethicorum, quia perfectio artis consistit in iudicando, non autem in operando. Ideo reputatur melior artifex qui in arte peccat voluns quàm nolens, vtpote rectum iudicium habẽs. In prudentia autem contrario modo est. Et licet mouere sit actus voluntatis, tamen quia præcipere est motio cum quadam ordinatione, pertinere potest ad rationem.

3. ¶ Insuper (vt Isidorus docet) solicitus dicitur quasi solers citus, prout scilicet ex solertia animi sit homo velox ad persequendum agenda. Præsertim de præcõsiliatis & iudicatis. Nam secũdum Philosophum sexto Ethicorum. Oportet quidem tarde consiliari, velocitet autem consiliata operari, & solicitudo ad prudentiam propriè pertinet, propter quod Augustinus ait, Prudentiæ sunt excubię atque vigilantissima custodia, ne repẽtè mala paulatim suasione fallamur. Vnde Petrus: Estote prudentes, & vigilate in orationibus. Solicitudo itaque seu vigilantia, ad prudentiam respicit. Dicit autem philosophus, quod magnanimus est ociosus & piger, cui solicitudo opponitur, non quod magnanimus de nullo solicitus sit, sed quoniam

quoniam non est superfluè solicitus, est enim magis confidens & minus formidans, & ergo minus solicitus, nisi prout ratio requirit in magnis negotijs.

4. ¶ Amplius autem, vt refert Aristoteles, quidã ponebant prudentiam non esse nisi circa proprium regimen, quia opinabantur hominem non debere curare bonum commune. Sed hoc charitati repugnat, quæ non quærit quæ sua sunt: & rectæ rationi, quæ priuato bono præfert bonum commune. Vnde Valerius Maximus dicit, quod antiqui Romani malebant esse pauperes sub diuiti imperio, quàm diuites sub imperio paupere. Igitur quia pertinet ad prudentiam rectè consiliari, iudicare, atque præcipere de ordinandis in finem, constat quod etiam prudentia se ad bonum commune extendit. Vnde sicut omnis virtus moralis ad bonum cõmune relata, nominatur legalis iustitia: sic prudentia relata ad bonũ commune, iustitia appellatur politica. At verò qui quærit bonum commune, quærit etiam proprium bonum, cum sit ipse pars communitatis. Et secundum Augustinum libro confessionũ, turpis est omnis pars, quæ non congruit suo toti.

¶ De specibus prudentiæ 2. Vtrum prudentia sit etiam in subditis 3. An inueniatur in hominibus malis. Artic. 9.

SPecies verò habituum ex formali distinctiõe obiectorum accipitur. Ratio autem formalis eorum quæ sunt ad finem, sumitur ex parte finis. Ideoque ex relatione ad diuersos fines, attenditur specifica distinctio habituum. Cum ergo diuersa sit ratio boni propri, bonique domus, seu familiæ, & boni ciuitatis seu regni: alia est prudentia simpliciter dicta, quæ scilicet respicit proprium bonum, & alia œconomica quæ spectat ad bonum domus, atq; alia politica, quæ ordinatur ad bonum ciuitatis.

¶ Dicit autem Aristoteles tertio Politicorum, quod eadem est virtus boni viri, & boni principis, quia videlicet ad bonũ virum pertinet non tantùm posse subijci, sed etiam principari, & sic in virtute boni viri, virtus principis est inclusa.

¶ Aduertendum quoque, quod etiam fines, quorum vnus ordinatur ad alium, diuersificant speciem habitus: sicut æquestris & militaris atque ciuilis specie differũt, licet finis vnius ordinetur ad finem alterius. Et simile est de bono proprio, quod ordinatur ad bonum commune.

2. ¶ Præterea, prudentia est in ratione, cuius est proprium

Universidad de Deusto
Biblioteca

gubernare & regere, vnde in tantum conuenit alicui ratio prudentiæ, quantum participat de gubernatione. Cum ergo seruis & subditis inquantũ huiusmodi non competat gubernare, sed gubernari: ideo prudentia non est virtus serui nec subditi inquantum huiusmodi. Quia tamen omnis homo inquantum rationalis, habet aliquid de regimine secundum arbitrium rationis: ideo in tantum conuenit et habere prudentiam, inquantum regit seipsum in quibusdam, propterea prudentia est in principe per modũ artis architectonicæ, in subditis verò per modum artis subseruentis. Adhuc autem, secundum Philosophum, seruo non competit cõsiliari aut precipere subditis, consiliari verò atque præcipere sunt actus prudentiæ. & ergo prudentia non est virtus serui aut subditi secundum quod tales sunt; tamẽ vt sunt animal rationale, præcipere consiliariq́ue possunt saltem sibimetipsis.

3. ¶ Denique prudentia triplex est scilicet falsa, quæ ad finẽ malum sua media conuenienter disponit, quam Christus dicit inesse filijs huius seculi, & de qua ait Apostolus. Prudentia carnis mors est. Alia est prudentia vera sed imperfecta, quæ videlicet respicit finem vitæ humanæ non omnibus communem, sed particularem: vt est prudẽtia negotiatoris, vel nautæ. Tertia est prudentia perfecta & vera quæ ad bonũ finem totius vitæ humanæ bene consiliatur, iubet & iudicat, & hæc est prudentia simpliciter dicta, nec in peccatoribus esse potest: dicit namque Philosophus sexto Ethicorũ. Impossibile est prudentem non esse bonum. Prima autem est in solis peccatoribus. Secunda quoque communis est bonis & malis.

¶ Præterea, quamuis fides sit præstantior prudentia, potest tamen fides sine virtutibus haberi, & non prudẽtia, quia fides in sola in cognitione cõsistit, prudentia verò ordinem denotat ad appetitum rectum. Primo, quia principia prudentiæ sunt fines operabiliũ, de quibus habetur recta æstimatio per habitus virtutum moralium, appetitum facientium rectum. Ideoq́ue prudentia sine virtutibus moralibus esse nõ potest. Secundo, quia prudentiæ est opera recta præcipere, quod sine recto appetitu effici nequit. Et quamuis mali possint esse consiliativi ad aliquem finem malum, vel ad particulare bonum: tamen ad finem bonum totius vitæ non sunt perfectè bene consiliativi, quoniam consilium ad effectum nõ perducunt & ergo in eis non est prudentia, quæ se habet solum ad bonum, sed vt ait Philosophus sex. Ethic. est in ipsis dei notitia, id est, naturalis industria, quæ se habet ad bonum & malum: vel astutia, quæ se habet solum ad malũ, quæ est prudentia carnis, seu seculi.

¶ Vtrum prudentia insit omnibus gratiam habentibus 2, quomodo insit à natura 3. De modo amittendi prudentiam. Articulus 99.

VIrtutes præterea eatenus sunt connexæ, vt vna sine alia haberi non valeat, quicunque autem habet etiã charitatem, & per consequens omnes virtutes atq; prudentiam. Vnde cum ad prudentiam requiratur industria prouidendi circa agenda & cauenda, ista industria omnibus conuenit gratiam habentibus secundum aliquem gradum, prout saluti necessarium est, vt sciant sibi vtcunque prouidere, & ergo de vniuersis gratiam habentibus dicitur: Vnctio docet vos de omnibus, ad salutẽ videlicet requisitis, nam & si alieno consilio regi egent, in hoc saltem sibi prudent si gratiam habent, vt aliorum requirant consilium. Alia verò industria est, quâ quis sibi & alijs non solùm de necessarijs, sed etiam de alijs ad vitam humanam spectãtibus consulere potest, & ista non omnibus datur.

¶ Dicit autem Philosophus, quod iuuenes non sunt prudẽtes quod vtique de prudentia acquisita sumendum est, illa namque experimento & tempore indiget. Prudentia verò gratuita, ex infusione diuina causatur, & est in baptizatis infantibus secundum habitum, sicut in amentibus. In habentibus verò vsum rationis, meretur ista prudentia augmentũ secundum exercitium hominis, quoadusque perficiatur sicut & reliquæ virtutes.

2. ¶ Præterea secundum præhabita prudentiæ est, vniuersalem cognitionẽ ad particularia agenda applicare: quantum ergo ad vniuersalem cognitionem, sic prima principia prudentiæ naturaliter insunt & patent: quemadmodum specula tiuarum scientiarum principia. Sed secundum Philosophum, principia prudentiæ sunt nobis magis connaturalia eo quod speculatiua vita sit supra hominẽ. Principia autẽ posteriora per inuentionem habentur, quãtum autem ad particularem notitiam eorum, circa quæ prudentia est, distinguẽdum est: nam operatio est tam circa finem quàm circa media ad finẽ. Fines autem rectæ humanæ vitæ, sunt determinati: & ideo re

spectu

spectu eorum potest esse inclinatio naturalis, quia aliqui ex naturali dispositione virtutes quasdam habẽt, per quas ad rectos fines inclinantur, & per consequens de eisdem finibus rectum iudicium naturaliter sortiuntur.

¶ Porro ea quæ sunt ad finem in rebus humanis, determinata non sunt, sed iuxta varietatem personarum & negotiorũ diuersificantur. Ideoq; respectu eorum, non habet homo cognitionem naturalem, sed experimentalem: quamuis vnus ex naturali dispositione sit aptior ad talia discernenda quàm alius, vnde quia prudentia non est circa fines, sed circa ordinata ad finem, ideo non est naturalis.

3. ¶ Insuper aduertendum, quod obliuio respicit cognitionem tantummodo, vnde habitus omnino intellectuales, vt ars & scientia, per solam obliuionem possunt amitti, quia secundum Philosophum secundo Ethicorum, habitus ex eisdẽ (tamen contrario modo factis) generatur atq; corrumpitur. Quia igitur dictum est, quod prudentia ex sua ratione rectitudinem appetitus respicit, & eius est præcipere & applicare notitiam ad agenda, ideo magis per passiones quàm obliuionem corrumpitur, vnde secundum Philosophum, delectabile & triste peruertunt æstimationem prudentiæ: & iterũ ait, quod obliuio est artis & non prudentię. Nihilominus potest obliuio impedire prudentiam, secundum quod actus prudentiæ ex cognitione procedit.

¶ *De partibus prudentiæ. Articulus* 100.

TVllius autem secundo Rhetoricæ tres ponit partes prudentiæ, scilicet memoriam, intelligentiã, & prouidentiam. Macrobius verò secundum Plotini sententiam ponit sex, videlicet rationem, intellectum, circunspectionem, prouidẽtiam, docilitatem, & cautionem. Alij verò aliter assignant partes prudentiæ. Pro quorum concordia aduertẽdum, quod triplex est pars, vt pote integralis vt paries & tectum sunt partes domus. Subiectiua, vt homo & equus, sunt partes animalis. Potestatiua, quemadmodum vegetatiuum ac sensitiuum partes sunt animæ. Tripliciter itaque assignari possunt partes virtutibus. Vno modo secundum similitudinem integralium partium. Et sic dicuntur partes integrales virtutis, quæ necesse est concurrere ad perfectum actum virtutis, & sic sunt octo partes prudentiæ, quarũ sex ponit Macrobius (vt nunc patuit) quibus addenda est memoria,

moria, quam ponit Tullius, & Eustochia seu solertia, quam Aristoteles ponit. Nam ad prudentiam, inquantum est cognoscitiua, quandoq; cõcurrunt memoria, ratio, intellectus, docilitas, atque solertia. Tria quoque ad prudentiam pertinent prout est præceptiua, applicando agnitionem ad opus, videlicet prouidentia, circunspectio, cautio, quorũ distinctio sumitur penes tria, quæ circa cognitionem attẽduntur. Quorum prima est ipsa substãtia cognitionis, quæ si sit præteriti tum, est memoria: si præsentium, est intellectus. Secundo cõsideratur circa cognitionem eius acquisitio, quæ fit vel per disciplinam, & ad hoc pertinet docilitas, vel per inuentionẽ, ad quam Eustochia pertinet, quæ est bona coniecturatio, cuius est solertia pars, quæ est bona coniecturatio medij, vt sexto Ethicorum habetur, & primo Posteriorum. Tertio consideratur vsus rationis, qui in prudentia est præcipere, & hic ad rationem pertinet. Ratio autẽ, quatenus rectè præcipiat, tria habere debet. Primo vt ad finem ordinet accommodũ aliquid, quod ad prouidentiam spectat. Secundo attẽdere debet circunstãtias rei, quod circunspectionis est. Tertio vt impedimenta deuitet, quod ad cautionem est pertinens. Porro partes subiectiuæ virtutum, dicũtur species diuersæ ipsarum & ita species prudentiæ sunt, prudẽtia quâ quis regit seipsum, & prudentia quâ quis regit multitudinem, quæ in diuersas species diuiditur, secundum varias species multitudinis, scilicet in militarem, quæ est respectiua exercitus, in œconomicam, quæ regit familiam, & in eam quæ regit ciuitatem aut regnum. Sumẽdo autem prudentiam large, secundum quod etiam scientiam speculatiuam includit: sic Dialectica, Rhetorica, & Physica partes eius ponuntur. Denique partes potentiales virtutis, sunt virtutes adiunctæ quæ ordinantur ad secundarios actus, siue materias, tanquam non habentes totam potentiam principalis virtutis. Et sic partes prudentiæ sunt, eubulia, quæ est circa cõsilium, synesis, quæ est circa iudicium eorum, in quibus quandoque oportet à communi lege recedere, prouidentia autem est circa principalem actum prudentiæ, qui est præcipere.

¶ *Qualiter memoria sit pars integralis prudentiæ* 2. *Qualiter intelligentia* 3. *Qualiter docilitas* 4. *Qualiter solertia. Articulus* 101.

Est

Et insuper (secundum præhabita) prudentia circa contingentia operabilia, scilicet actus humanos, in quibus homo dirigi nequit per necessaria, sed per ea quę in pluribus accidunt. Sed quæ sint illa, quę vt in pluribus accidunt, per experimentū scire oportet. Experimentū verò ex multis memorijs sumitur. Quia ergo ad prudentiā oportet multorum habere memoriā. Ideo memoria est pars integralis prudentiæ, tanquam ad perfectum eius actum necessario requisita. Sunt autem quatuor, per quæ homo bonā de rebus agnitis memoriam habet. Primo, vt memorandorum quasdam similitudines sibi accipiat, non multum cōsuetas sed raras. Quia insolita magis miramur, & per hoc fortius animus in eis detinetur. Et ergo quę in pueritia vidimus, tenacius recordamur. Secundo oportet, vt homo in sua consideratione ordinatè ea disponat, quorum memoriam habere intēdit, quatenus ex vno memorato ad aliud facilius procedatur. Vnde secundum Philosophum, à loco reminisci videmur. Tertio oportet vt solicitudo & affectus adhibeatur his, quorum quis vult memorari, quoniam, secundum Tullium, solicitudo conseruat integros simulachrorum figuras. Quarto oportet de memorandis meditari frequenter, nam secundum Aristotelem, meditationes saluant memoriam, cū consuetudo sit quasi altera natura. At verò quia ex præteritis argumentum accipere oportet de futuris, propterea memoria necessaria est ad consiliandum de futuris.

2. ¶Deniq; intellectus inquantum est pars prudentiæ, non est intellectiua potentia, sed quædam recta existimatio alicuius extremi principij. quod sumitur tanquam per se notū, sic nempe prima principia intelligere dicimur. Omnis autem rationis deductio procedit ab aliquo principio per se noto. Ergo & actus rationis ab intellectu procedet. Cùm itaq; prudentia sit recta ratio agibilū, oportet totū processum ipsius ab intellectu deriuari. Et ob hoc est intellectus pars prudentiæ. Non tamen sumitur hic intellectus vt est virtus intellectualis, videlicet pro habitu principiorum, qui est cognoscitiuus vniuersalium, sicut quod nulli est malefaciendū, sed pro recta æstimatione de particulari aliquo fine. Intellectus quoque est donum sancti spiritus, prout accipitur pro quadam perspectione acuta diuinorum.

3. ¶Insuper cum prudentia sit circa particularia operabilia in

in quibus sunt tot diuersitates quod ab vno de facili, neque in breui omnes considerari possunt, ideo in his, quæ prudentiæ sunt, maximè indiget homo ab alijs instrui: præsertim à senibus expertis. Nam secundum Philosophum sexto Ethicorum, oportet attendere expertorum & seniorū, & prudentium in demonstrabilibus, enuntiationibus & opinionibus, non minus quàm demonstrationibus. Cùm ergo ad docilitatem pertineat, vt sit homo per eam disciplinæ bene susceptibilis: ideo est pars prudētiæ. Et quanuis ad omnem virtutem intellectualem vtilis sit, potissimè tamē ad prudentiam licet etiam aliquibus insit quodammodo à natura: tamen ad eius consummationem plurimùm cōfert studium hominis, dum scilicet animum suum solicite, reuerenter atque frequenter applicat documentis maiorum, non negligens ea propter ignauiam, neque contemnens propter superbiam.

4. ¶Porro cum prouidentiæ sit rectam habere æstimationē de agendis, ideo sicut docilitas est pars prudentiæ, secūdum quod homo bene se habet acquirendo hanc æstimationem, per malorum doctrinam: ita solertia est pars prudentiæ, inquantum homo bene se habet acquirendo æstimationē prædictam per propriam inuentionem. Nam dupliciter aliquid agnoscimus, videlicet addiscendo, & inuenīendo. Et accipitur hic solertia pro eustochia, cuius est pars. Eustochia namque est bene coniecturatiua de quibuscunque. Solertia verò est prompta & facilis coniecturatio circa inuentionem medij, siue in demonstratiuis, siue in operatiuis. Talis autem prompta coniecturatio, ad prudentiam necessaria est, potissimè dum aliquid ex improuiso occurrit.

¶Quomodo ratio sit pars prudentiæ 2. Quomodo prudentia 3. Quomodo circunspectio 4. Quomodo cautio. Articulus 102.

RAtio quoque prudentiæ pars est sumendo eam nō pro naturali potentia, sed pro bono vsu rationis. Ad prudentiam enim spectat bene consiliati, cōsilium verò est inquisitio de vno in aliud procedens, hoc autē est opus rationis, cuius est discursiuum esse. Ratio enim imperfectionem includit, & defectum intellectus. Nam in quibus vis intellectiua plenarie viget, ratione non egent neque discursu, sed ipsàm veritatem simplici cernūt intuitu, vt deus & angeli: hominis verò est propriū ex noti notitia, ad ignoti

Universidad de Deusto
Biblioteca

ignori agnitionem transire.

2. ¶Deniq; cum opus prudentię sit, media in finẽ ad ipsum finem debitè ordinare: ideo prouidentia est potissima pars prudentiæ. Quamuis enim diuinæ dispensationi subijciantur ordinata ad finem, licet necessaria sint vitæ humanæ, tamen prudentiæ subduntur solùm operabilia contingentia. Præterita verò, itemque præsentia, inquantum huiusmodi, necessitatem aliquam habent. Nam quæ fuerunt, & sic sunt, necesse est fuisse, vel esse, formaliter loquendo.

¶Ideoq; contingentia futura, prout sunt ad finem vitæ humanæ ordinabilia, humanæ subduntur prudentiæ. Et quia hoc ad prouidentiam pertinet, scilicet de futuris ex præteritis præsentibusque disponere: ideo est prouidentia pars prudentiæ, & quia necesse est inter multa, quæ ad vnũ ordinantur, ordinem esse, atque in omni totò esse vnam principalissimam partem, à qua totum vnitatem sortitur, ideo prouidẽtia est dignior pars prudentiæ, & ab ea nomen prudentiæ sumptum est.

3. ¶Præterea ponitur etiam circunspectio pars prudentiæ, cuius est considerare bonitatem finis prudentiæ, non solùm secundum se, sed secundũ debitas circunstantias. Cùm enim prudentia sit circa operabilia particularia, in illis potest aliquid secundum se esse bonum, quod tamen bonum non est ex circunstantia, quoniam in particularibus multa concurrunt, quemadmodum dilecto ostẽdere signa amoris in se bonum est: tamen si inde oriatur ei suspitio adulationis, aut motus superbiæ, non esset hoc ad finem charitatis: ideo circunspectio ad prudẽtiam exigitur, quâ homo id quod ordinatur in finem, compatet cum his quæ actum circunstant, considerando an peniatis circunstãtijs sit ad finem accommodum.

4. ¶Porro, quoniam in operandis particularibus, circa quæ versatur prudentia, commiscẽtur verum falso, & bonum malo: propter singularium multiformitatem, in quibus bona saepe impediuntur à malis, mala speciem boni sibi assumunt, propterea cautio quoque requiritur, quatenus sic accipiatur bona, quod mala vitentur. Ideo cautio prudentiæ pars est. Pertinet namque ad cautionem, impedimenta extrinseca aduitare. Non tamen possunt in singulari omnes impedimentales occursus circa actum prudentiæ per cautionem vitari, cùm sint determinati, & ratione comprehendi non valeant. Sed

Sed de his quæ vt sæpius accidunt, cautio adhibetur, ne in ipsis defectus præpediat finem prudentiæ.

¶ *De partibus subiectiuis prudentiæ, quibus multitudo gubernatur. 1. De prudentia legi positiua. 2. De politica. 3. De œconomica. 4. De militari. Articulus. 103.*

QVoniam autem ad prudentiam spectat regere atque præcipere: ideo nec esse est illic esse specialem speciem prudentiæ, vbi in actibus humanis consistit specialis ratio rẽgiminis & præcepti. In eo autem qui communitatem ciuitatis vel regni gubernat, inuenitur specialis & perfectissima regiminis ratio, quia tale regimen est vniuersalius, & communiorem ac meliorem finem attingit. Et ergo prudentia, quæ conuenit regi, cuius est ciuitatem vel regnum regere, specialis est virtus: & dicitur regitiua, vel secundum philosophum, legispositiua. Quoniam condere leges est principalis actus eius, & solis regibus propriè conuenit: alijs verò inquantum aliquid de regali proprietate participant. Ad rectorem autem duæ virtutes, videlicet prudentia & iustitia, maximè pertinẽt. Dicit enim Philosophus quinto Ethicorũ: Princeps custos est iusti. Et quia inter quinque politias regnum est optimum, ideo à regno ista prudentia nominatur, includuntur tamen in regno aliæ politiæ bonæ.

2. ¶Præterea, quamuis serui & subditi mouentur secundum superioris impetum, non tamẽ omnino sicut inanimata, sed sunt etiam propter rationis arbitrium aliquo modo domini actuum suorum: & non solùm aguntur, vt naturalia, sed etiã agunt. Propterea est in ipsis quædã rectitudo regiminis, qua semetipsos dirigunt principantibus obediendo. Quod ad speciem prudentiæ, quæ politica dicitur, pertinet. Et est secunda species prudentiæ, conueniens subditis, quæ se habet ad prudentiam principis, sicut ars manuoperans ad artem architectonicam.

3. ¶Insuper quia domus vel familia est medium inter vnam personam, ciuitatem, & regnũ: ideo tertio ponitur prudentia œconomica, inter prudentiam communiter dictam, quæ est virtus rectiua, & politicam media est, & ab vtrisque distincta. Nam ratio obiecti diuersificata secundum vniuersale & particulare, aut secundum totum & partes, diuersificat virtutes & artes, & secundum talem diuersitatem est vna principalis respectu alterius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4. Præterea, sicut natura tendit ad duo, videlicet vt regat rem in seipsa, & secundo vt vnumquodque resistat corruptivis & impugnantibus. Vnde etiam animalibus dedit vim concupiscibilem quo ad primum, & irascibilem quo ad secundum conformiter in his, quæ sunt secundum rationem, non tantū requiritur prudentia politica, qua bonum commune in seipso disponatur, sed insuper militaris, per quam hostium insultus repellantur. Et quanuis militiæ executio ad fortitudinē spectet, tamen directio eius & præsertim inducere ipsum exercitum, ad prudentiam pertinet. Et sic ponitur quarta species prudentiæ.

¶ De partibus potentialibus prudētiæ, scilicet virtutibus sibi adiunctis, quæ sunt. 1. Eubulia 2. Synesis 3 Gnomin.

Articulus. 104.

POrro eubulia est virtus humana, quoniam actum hominis, qui est consiliari, bonum facit. Importat enim eubulia bonitatem cōsilij. Et dicitur ab eu quod est bonum, & buli consilium, quasi bene consiliativa de his que ad vitam spectant humanam, scilicet practicam, nam speculativa vita est diuina & super hominem secūdum philosophum. Vnde. 6. Ethico. dicitur, quod eubulia est rectitudo consilij rationem perficiēs. Et etiam virtus specialis cōdistincta prudentiæ. Nā cū virtus ordinetur ad propriū actū oportet secūdum differentiam actuū esse distinctionē virtutū præsertim dum non est eadem ratio bonitatis in actibus. Si enim essent vna ratio bonitatis in actibus, ad eandē pertinerent virtutē. quemadmodum amor, desiderium, & gaudiū ex vna charitate causantur. Actus autem rationis ad opus ordinati diuersi sunt, neque eandem rationem bonitatis habent. ex alio nanque sit homo bene consiliativus, & ex alio bene iudicativus, atque ex alio bene præceptivus. Quod hinc patet, quia hæc in quibusdam separantur. Ideoque eubulia cuius est bene consiliativum esse, à prudentia, cuius est præcipere, differt. Sed sicut consiliari ordinatur ad præcipere, sic eubulia ad prudentiam, sine qua virtus non esset: quēadmodum nec virtutes morales sine prudentia essent virtutes. nec aliqua sine charitate. Veruntamen (secundum tacta) ad prudentiam pertinet consiliari, sed imperatiuè, ad eubuliam autem elicitiuè.

¶ Præterea, sicut eubulia est rectitudo consilij: sic synesis est rectitudo seu bonitas iudicij, id est virtus per quam quis bene iudicativus efficitur. Cum ergo iudicium sit perfectius quàm consilium, sequitur quod, synesis virtꝰ etiam perfectior quàm eubulia, atque ab alijs distincta, quia (vt dictum est) alia est ratio bonitatis consilij & iudicij. Ideoque sicut diuersi sunt actus, sic diuersificantur virtutes. Multi quippe sunt bene consiliativi, qui non sunt rectè iudicativi seu bene sensati. Sicut in speculativis quorundam ratio est bene inquisitiua propter dispositionem imaginativæ potentiæ, quæ diuersa fantasmata formare facilitat potest, quorum intellectꝰ nō est bene iudicativus propter indispositionem sensus communis, cuius ineptitudo intellectum ponsimè impedit. Rectitudo demum synesis non est circa speculabilia, sed de his quæ ad prudentiam pertinent.

¶ Et quidem naturaliter dispositi sunt ad actum huius virtutis, sed ex exercitio, vel gratia, actus redduntur perfecti & virtus completa.

5. ¶ At verò gnomin virtus est bene iudicativa de his, in quibus oportet quandoque à communi lege recedere, vt quod impugnatoris patriæ non est reddendum depositum, Et ideo gnomin est distincta à synesi, sicut sapientia, à scientia, quoniam altiora principia considerat quàm synesis. Eanque quæ præter communem legem fiunt, oportet in altiores causas reducere, quàm quæ iuxta communem cursum aguntur: quemadmodum de monstruosis defectibus patet. Gnomin igitur importat perspicacitatem iudicij, & ex proprijs principijs procedit. Et per eam homo iudicat, quando aliquid inconsueto modo agendum est. Et quanuis circa actum consiliandi sit vna virtus, quæ eubulia dicitur: tamen circa iudicium sunt duæ virtutes. Consilium enim, cum sit inquisitio, ex communibus fit. Sed Dialectica, quæ inquisitiua est, ex communibus procedit principijs.

¶ Iudicium verò ex proprijs fieri debet, quemadmodum scientia demōstratiua, quoniam iudicativa est, procedit ex proprijs. Et igitur synesis & gnomin ex proprijs fiunt principijs, & incondistinctæ sunt.

¶ Quod consilium est donum spiritussancti. 2. Quod correspondeat virtuti prudentiæ. 3. Virtus maneat in patria. 4. Quæ etiam beatitudo ei respondeat.

Articulus. 105.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DOna autem spiritussancti (vt dictum est) dispositiones quædã sunt quibus efficitur anima bene mobilis à spiritusancto, quia (secundum Gregorium) dona præstantur in adiutorium. Deus autẽ mouet vnumquodque secũdum propriam naturam. Cum ergo rationali creaturæ proprium sit per inquisitionem ad veritatis cognitionem moueri, quæ inquisitio consilium dicitur: ideo spiritussanctus per modum consilij mouet rationalem creaturam in inquirendo, quod verum & bonum est. Propter quod inter dona spiritussancti consilium ponitur. Licet enim prudentia vel eubulia, siue sit acquisita siue infusa, hominem dirigat inquisitione consilij, secundum ea quæ homo comprehendere valet, vt vel sibi aut alijs sit bene consiliatiuus quia tamen homo considerare non potest omnia singularia ac contingentia, quæ occurrere possunt, præsertim cum cogitationes mortalium sint timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ: propterea indiget homo inquisitione consilij dirigi à spiritussancto omnia cognoscente. Quod fit dono consilij tanquam consilio à deo accepto: quemadmodum etiam minus sagaces à sapientibus consilium quærunt. Omnes quoq; qui in gratia sunt, donum consilij habent, quo ad ea quæ luri propriæ necessaria sunt. Aliquibus verò datur copiosius, scilicet prout est aliorũ directiuũ. Sicut de Simone fratre suo Machabæi habetur: Ecce Simon frater vester, vir cõsilij est.

2. ¶ Præterea, cum ratio humana ad rationem diuinam se habeat sicut motor inferior ad motorem superiorem: ideo conuenit sibi ab illa adiuuari ac perfici. Prudentia autem est rectitudo rationis humanæ in agendis. Et ergo conuenit ei regulari ac dirigi à ratione diuina in his, quæ sunt ad finem vitæ actiuæ. Hoc autem (secundum ostensa) fit per donum consilij: ideo donum consilij correspondet prudentiæ tanquam dirigens eam atque perficiens. Et quanuis ad prudentiam spectat iudicium ac præceptum: tamen donum sibi correspondens consilium appellatur, quoniam mens humana, inquantum à spiritusancto mouetur, habet se per modum pati: præciperæ verò & iudicare, est potius mouentis & agentis quàm moti & passi.

3. ¶ Aduertendum præterea, quod alia est dispositio mentis humanæ dum est in motu, & alia quando est in termino motus. Circa quod sciendum, quod quando mouens est ipsum

ipsum principium motus, & non causa formæ ad quam motio terminatur, tunc motu cessante cessat actio agentis: quemadmodum domo ædificata, nõ vltrà ædificatur ab artifice. Sed quando mouens est causa formæ quæ est terminus motus, tunc non cessat actio mouentis forma inducta atque adepta: sicut aërem sol illuminat quamdiu lumen in aëre permanet. Et hoc modo est Deus causa cognitionis & virtutem in nobis, non solum quando acquirimus, sed quandiu in ipsis perseueramus. Hoc igitur modo donum consilij manet in patria, inquantum Deus cognitionem consilij conseruando cõtinuat in beatis. Et etiam secundum quod illuminatur de quibusdam effectibus ad prouidentiam diuinam spectantibus quorum cognitio ad essentiam felicitatis non pertinet. Nec oportet, vt in beatis præcedat dubitationis anxietas. Hoc enim ad consilium viatorum attinet, sed est in eis simplex nescientia, secundum Dionysium sexto cœlestis Hierachiæ quinto capitulo à qua per illuminationẽ purgantur per similiter conuersionem ad superiorem.

4. ¶ Porro consilium est de his quæ ad finem sunt vtilia. Ideoque pertinentia ad finem, potissimè correspondere debent dono consilij. Hoc autem est misericordia, sicut scriptum est: Pietas ad omnia vtilis est. Ob hoc ergo beatitudo Septima: Beati misericordes, maximè dono consilij correspondet, tanquam dirigenti, non sicut actum elicienti. Vnde Augustinus libro de sermone domini in monte testatur. Cõsilium conuenit misericordibus, quoniam vnicum est consilium de tantis malis erui, dimittere alijs & dare. Itaque donum consilij prout est donum, dirigit nos in vniuersis quæ ad finem vitæ æternæ ordinantur, siue sint de necessitate salutis, siue non. At vero sicut virtutes cardinales non eundem habent actum in via & in patria sic nec donum consilij.

¶ *Qualiter imprudentia est peccatum. 2. Et quomodo sit speciale peccatum. 3. De præcipitatione seu temeritate. Articulus 106.*

NVnc de vitijs oppositis prudentiæ enarrãdum est. Imprudentia autem prudentiæ contrariatur. Dicitur autem imprudentia tripliciter, scilicet negatiuè. Et sic est sola carentia prudentiæ. Et sic non est semper peccatum. Secundo priuatiuè, videlicet quando aliquis caret prudentia quam posset & debet habere. Et sic est

peccatum propter annexam negligentiam, quia non adhibuit studium ad addiscendam prudentiam. Tertio accipitur imprudentia contrarie, scilicet prout imprudens mouetur & agit contrario modo à prudente. Et sic est peccatum secundum propriam rationem. Si ergo imprudentia ista contingat per auersionem à regulis diuinis, est mortale peccatum, vt dū homo præcipitanter operatur, diuinæ legis documenta contemnens. Si autem præter eas agat sine contemptu, est veniale peccatum. Et cognoscendum, quod per pœnitentiam restituitur homini infusa prudentia, quæ caterinam huius prudentiæ tollit, non autē redditur prudentia acquisita quātum ad habitum. Aufertur tamē actus cōtrarius, in quo propriè imprudentiæ peccatum consistit.

2. ¶ Præterea, peccatum dupliciter generale vocatur. Primo absolute, videlicet quia est commune respectu omnium vitiorum. Et hoc iterum dupliciter, vtpote, vel per essentiam, quia de omnibus predicatur. Sic autem imprudentia non est generale peccatum, sicut nec prudentia est hoc modo virtus communis, vel per participationem. Et hoc modo imprudentia est generale peccatum. Sicut enim prudentia participatur à cunctis virtutibus inquantum dirigit eas, ita imprudentia participatur ab omnibus vitijs, cum nullum peccatum accidere possit nisi sit defectus in aliquo actu rationis dirigentis: quod ad prudentiam pertinet. Secundo dicitur peccatum generale, non absolute, sed quia continet sub se species multas. & ita imprudentia est generale peccatum. Nam sicut prudentiæ assignantur triplices partes, videlicet subiectiuæ, potestatiuæ, & integrales, vt paulo antè præhabitum est: sic per oppositum modum diuersa vitia sub imprudentia continētur. Vnde quo ad defectum consilij, circa quod est eubulia, præcipitatio seu temeritas ponitur imprudentiæ species, ad quam reducuntur ea quæ opponuntur docilitati, memoriæ, & rationi. Quantum verò ad defectum iudicij circa quod est gnomin & synesis, sic species imprudentiæ inconsideratio dicitur, sub qua incircumspectio & incautela includuntur. Sed quantum ad præceptum, quod est prius prudentiæ actus, est inconstantia seu negligentia, ad quam improuidentia defectus quoque solertiæ & intelligentiæ, reducuntur. Denique præcipitatio dicitur in actibus animæ ad similitudinem in motu corporali, in quo aliquid mobile

bile præcipitatur, quando de summo in ima, sine determinatis gradibus repente prolabitur. Conformiter quādo anima ad opus extrinsecum transit sine determinato intermedio ordine, præcipitationis peccatū incurrit. Summū autem animæ, ratio est: imum verò exterius medij quoq, gradus per quos ordinate oportet ascendere, sunt præteritorum memoria, præsentium intelligentia, futurorum solertia. Ratiocinatio vnum alteri conferens. Docilitas qua homo maiorū aequiescit sententijs. Quando itaque homo his gradibus omissis consiliatur aut agit, præcipitium incidit. Cum igitur inordinatio consilij ad imprudentiam spectet, palàm est quod vitium præcipitationis sub imprudētia sit contentū. Hæc autem præcipitatio interdū ex voluntatis, seu passionis, impetu accidit, quandoque autem ex radice superbiæ, quæ alienæ directioni seu regulæ subesse cōtemnit, & hoc ad temeritatem pertinet, quæ sub præcipitatione cōtinetur, quoniā præcipitatio vtrunque respicit. Primum tamen magis proprie. Aduertendū verò, quod secundum Philosophū primo Ethicorum in acquisitione consilij, multa particularia cōsideranda occurrunt. Propter quod tarde consiliari oportet. Vnde præcipitatio, seu nimia festinatio in consiliando magis opponitur recto consilio, quàm nimia tarditas, cum tarditas ipsa quandam similitudinem consilij habeat.

¶ De inconsideratione. 2. De inconstantia 3. De prædictorum quoque vitiorum origine. Artic. 107.

Consideratio denio, est actus intellectus, rem veraciter intuentis, & sicut inquisitio ad rationē: sic iudicium pertinet ad intellectū. Propter quod consideratio ad iudicium maximè spectat. Vnde defectus recti iudicij ad inconsiderationem reducitur, prout aliquis iudicando ideo deficit, quoniā contemnit aut negligit ea attendere, ex quibus iudicium rectum procedit. Manifestum est itaque, quod inconsideratio sit speciale peccatum, sub imprudentia comprehensum. Et accipitur hic inconsideratio, non communiter sed secundum agibilia humana, in quibus varia pensare oportet potius, quàm in speculatiuis, eo quod operationes circa singularia versentur.

2. ¶ Præterea, inconstantia est recessus quidā à bono proposito diffinito, cuius recessus principiū est in appetitu, cui aliud inordinate placet, quod ipsum à bono proposito re-

trahit. Consummatio autem huius recessus in ratione cõsistit, quæ ideo fallitur, quod ex defectu suo repudiæ id, quod rectè attentauit. Posset enim impulsioni passionũ resistere, sed ob suam debilitatem non se firmiter tenet in bono concepto, & ita inconstantia secundum consummationem, ad rationis defectum spectat. Sicut autẽ omnis rectitudo rationis practicæ aliqualiter ad prudentiã pertinet: sic omnis defectus ipsius ad imprudentiã respicit. Ideoque inconstantia ad imprudentiam pertinet. Et quemadmodũ præcipitatio est ex defectu circa actũ consilij, inconsideratio verò circa actũ iudicij: sic incõstantia est circa actum præcepti, inquantum videlicet ratio deficit in præcipiendo cõsiliata & iudicata.

3. ¶ Porro vitia ista, secundum Gregoriũ, ex luxuria oriuntur, quoniam delectationes speciales, & præsertim venereæ, rectam æstimationem prudentiæ maximè corrumpũt. Cùm ergo vitia hęc sunt quidam defectus circa actus prudentiæ, patet quod sint luxuriæ filiæ, quanuis inconstantia ex ira vel inuidia quandoque nascatur, inquantũ passiones illæ animã ad aliud rertahunt. Dicit autẽ philosophꝰ septimo Ethicorũ, quod incõtinẽs ităe rationẽ quidem audit, sed imperfecte: incontinens verò concupiscentiæ eam prorsus non audit.

¶ An negligentia sit peccatum speciale. 2. An mortale. 3. Cui virtuti opponatur. Arti 108

NEgligentia insuper est defectꝰ debitæ solicitudinis, omnis autem defectus debiti actus rationem peccati habet. Ideo negligentia rationem culpæ sortitur, quemadmodum solicitudo est actus specialis virtutis. Peccatũ autẽ speciale dicitur, vel quia est circa specialem materiã, vt luxuria circa delectationem venereã vel propter specialitatem actus ad omnem materiã se extendentis. Et talia sunt omnia vitia, quæ sunt circa actum rationis. Quilibet nanq; actus rationis, ad omnem se materiã moralem extẽdit. Vnde sicut solicitudo est specialis actus virtutis: sic negligentia propter specialitatẽ actus est speciale peccatum, quanuis in omni peccato sit quædam negligentia.

2. ¶ Præterea, negligentia sollicitudini directè opponitur. Solicitudo autem ad rationem pertinet, & rectitudo eius ad rectitudinem prudentiæ spectat: est enim solicitudo suprascripta actus prudentiæ. Vnde constat negligentiam ad imprudentiam pertinere. Nam secundum Isidorum, dicitur negligens quasi non eligens. Et ergo sicut recta electio eorũ quæ ad finem sunt, est actus prudentiæ. Sic negligentia horũ ad imprudentiam pertinet. Consistit autem negligentia in defectu actus interioris, torpor verò atque pigritia exteriorem executionem concernũt, & otiuntur ab acedia, quia acedia est tristitia aggrauans. Omissio quoque ad exteriorem pertinet actum, & contrariatur iustitiæ, estque effectus negligentiæ. At verò sicut solicitudo est circa præceptum, sic negligẽtia. Negligens tamen actum præcepti aliter omittit quã inconstans. Inconstans nanq; deficit inductus ab aliquo impedimento, negligens verò ex propria voluntate.

3. ¶ Quoniam itaque negligentia ex omissione voluntatis procedit, per quam contingit quod ratio non solicitatur præcipiendo, quæ debet, vel quomodo debet: potest negligẽtia duplicitèr esse mortalis. Primò ex parte omissi, quod si de necessitate salutis extiterit, negligentia mortale peccatũ est. Secundo ex parte causæ, vt si voluntas eatenus remittatur quod à charitate totaliter excidat, negligẽtia culpa mortalis fit, maximè quando ex contemptu causatur: si verò omittitur aliqua circũstãtia vel actio, quę de necessitate salutis nõ est, nõ vitij; ex cõtemptu, sed ex defectu furoris, quẽ veniale peccatũ inducit, tunc negligentia veniale peccatum existit.

¶ De peccato prudentiæ carnis. 2. An sit speciale. 3. An astutia sit speciale peccatũ. 4. De dolo. 5. De fraude. 6. De solicitudine temporalium rerũ. 7. An liceat solicitum esse in crastinũ. 8. De prædictorum vitiorum origine. Arti. 109.

MOdo de vitijs prudentiæ oppositis, aliquam tamen similitudinem eum ea habentibus, restat effandum. Quemadmodum ergo prudentia est circa ea, quæ ordinantur ad finem totius vitæ humanæ actiuæ: sic prudentia carnis vocatur, quando aliquis sibi in bonis carnis finem constituit, atque secundum talis finis exigentiam operationes vitæ suæ dirigit. Talis ergo prudentia peccatum est, quia secundũ Apostolum, inimica est deo. Et cõprehendit Apostolus sub prudentia carnis prudentiam seculi, quæ est respectu honoris, famæ, vel gloriæ. Amplꝰ autẽ quia prudẽtia quædã sapiẽtia dici solet, potest distingui triplex mala prudentia secundũ tres tentationes, videlicet mũdi, carnis, & dæmonis: sicut Iacobus ponit sapientiã terrenã, animalem, & diabolicam, quarum nulla vera prudentia est.

2. ¶ Por-

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. ¶ Porro si prudẽtia carnis simpliciter accipiatur, sic quod in cura carnis finis constituatur, erit peccatũ mortale: si autẽ sumatur secundum rationem, vel potius secundum similitudinẽ particularis prudentiæ, scilicet qꝝ homo nõ simpliciter sibi finem in bonis carnis constituat, sed ordinate afficiatur circa illa, tamen sub deo: sic est veniale peccatum.

3. ¶ Præterea, contra prudentiã potest esse aliquod peccatũ, habendo tamen cum ea similitudinẽ quandã fallacẽ, dupliciter. Primo, quoniã studiũ rationis ordinatur ad finẽ nõ verũ sed apparenter bonũ, & hoc ad carnis prudentiã attinet: Secundo, quia homo vtitur vijs non veris sed simularis ad cõsequendũ aliquem finẽ, siue sit bonus siue malus: & hoc ad astutiam spectat. Ideo astutia est peccatũ speciale, prudentiæ contrarium, & contra prudentiam carnis distinctum. Attamen sicut interdũ prudentia abusiue in malo accipitur, sic astutia quandoque impropriè in bono suscipitur.

4. ¶ Denique dolus est quędã executio astutiæ. Nã sicut ad astutiã pertinet excogitatio, sic ad dolũ simulatarum atque falsarũ viarum astutiæ executio spectat. Et quia executio astutiæ maximè fit per verba, quoniã verba præcipuũ locum habent inter signa: ideo dolus propriè consideratur in verbis. Quemadmodum scriptum est: Linguis suis dolosè agebant. In factis quoque aliquando inuenitur. Vnde scriptum est. Dolos facerent in seruos eius: Imò & in corde dolus ponitur quo ad radicem, vnde procedit, secundum illud Psal. Dolos tota die meditabantur.

5. ¶ At verò sicut dolus, ita & fraus ad executionem astutiæ pertinet, sed in hoc differunt, quod dolus dicitur tam in verbis quã in factis, fraus vero in factis præsertim attenditur.

6. ¶ Aduertendum est insuper, quod solicitudo in his potissimè adhibetur, in quib⁹ aliquis magis formidat deficere. Solicitudo itaque temporalium rerum, vno modo illicita fit ex parte rerum de quibus solicitamur, videlicet si in temporalibus adipiscendis vel cõseruandis finem sibi quisquã constituat. Secundo propter superfluitatem studij circa temporalia. Quod contingit dum aliquis propter illorum studium à spiritualibus impeditur. Tertio ratione timoris superflui, quo homo timet sibi necessaria posse deficere, quamuis ea quæ facere tenetur, adimpleat. Quod dominus triplicitèr improbat. Primò, ex consideratione maiorum beneficiorum, quæ nobis

nobis dominus præter nostrã solicitudinem præstitit, scilicet corpus & animam. Secundo propter subiectionẽ naturæ humanæ sub deo. Tertio ratione diuinæ prouidentiæ, ob cuius ignorantiã gentiles de transitorijs solicitantur. Vnde de bonis spiritualibus procurandis solicitari præsertim debemus, confidentes in domino, quod temporalia nobis prouenient ad necessitatis sufficientiam, si egerimus quod tenemur.

7. ¶ Præterea, ad opus virtuosum, tam intus in mente quàm foris, requiruntur debita circunstantiæ, quarum vna est opportunitas temporis. Nam vnicuique tempori conuenit propria solicitudo, sicut æstati solicitudo metendi, autumno cura vindemiandi. Si ergo quis tempore æstiuali de vindemiatione solicitetur, superflue occupatur: & ob hoc Christus prohibet solicitũ esse in crastinũ & in tempus futurũ, cuius causam adiungit: Crastinus enim dies solicitus erit sibijpsi, id est propriam solicitudinem habebit, quæ ad animæ afflictionem sufficiet. Propter quod subdit: Sufficit diei malitia sua, id est, solicitudinis pœna. Potest tamen de futuro esse solicitudo determinatæ prouidentiæ, secundum exigentiam necessitatis humanæ, pensaris pensandis. Vnde Augustinus in libro de sermone domini in mõte, ait: Cum videm⁹ aliquẽ seruum dei prouidere, ne ista necessaria sibi desint, nõ iudicemus eum de crastino esse solicitũ. Cùm & Christus propter exemplũ loculos habere dignatus sit, & in actibus apostolorum leguntur victui necessaria procurata in futurum propter famem instantem.

8. ¶ Amplius agnoscendum, quod prædictorum vitiorum origo præcipua est auaritia, habent namq; (vt dictum est) similitudinem quãdam cum prudentia, quæ in vsu rationis cõsistit. Vsus autem rationis inter virtutes morales, in iustitia magis apparet, quæ est in appetitu intellectiuo. Et sicut determinatus vsus rationis maximè apparet in virtute iustitiæ: ita in vitio ei opposito indeterminat⁹ vsus rationis præcipuè patet. Opponitur autem iustitiæ auaritia. Ideoq; prædicta vitia, quæ ad falsam rationis indaginem pertinent, ex auaritia magis nascuntur, quamuis ex alijs vitijs aliquo modo & indirectè procedere possint.

¶ *De præceptis pertinentibus ad prudentiam. 2. De his quæ pertinent ad vitia ei opposita, Artic. 110.*

Pen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pendum proinde, quod cũ præcepta decalogi data sint omnibus, ad naturalem pertinẽt rationẽ. Sicut autem principia speculatiualiũ: sic & fines operabiliũ ad dictamẽ naturalis attinẽt rationis, quia veraq; homini naturaliter innotescũt atq; inscripta sunt. Cùm ergo, iuxta præacta, nõ sit prudentia circa finẽ vitę humanæ, sed circa media quæ ordinãtur in finem. Propterea non debuit inter præcepta decalogi aliquid poni ad prudentiam directè respiciens, quamuis omnia præcepta illa ad eam pertineant, inquantũ ipsa omniũ virtuosarũ operationũ directiua existit. Veruntamen quoniam euang. doctrina est lex perfectionis, ideo in ipsa de prudentia datur præceptũ, quemadmodum Christus: Estote prudentes sicut serpentes.

¶ Attamen in posteriorib⁹ documẽtis veteris legis, præcepta dantur de ipsa prudentia, eo qđ illa ordinentur ad præcepta decalogi, quæ sine prudentiæ actu impleri non valent. Propter quod in lib. Proue. dicitur: Ne innitaris prudentiæ tuæ. Atq; sequenti cap. Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.

2. Præterea cũ in ratione iustitiæ debitum includatur, ideo de iustitia dãtur præcepta affirmatiua. Astutia verò opponitur præsertim iustitiæ, quantũ ad executionẽ, quæ cũ fraude & dolo cõiungit. & ergo de astutia, prout cõtrariatur iustitiæ & cũ dolo fraudeq; agit cõuenienter dãtur præcepta prohibitiua. De vitijs aũt prudẽtię directe oppositis, nõ dãtur præcepta huiusmodi, quia nõ ita opponuntur iustitiæ sicut astutia.

¶ De obiecto iustitiæ. 2. De diuisione iuris. 3. Vtrum ius gentium sit ius naturale. 4. De distinctione Iuris dominatiui & paterni. Arti. iii.

HOc deniq; iustitię appropriatur, vt ordinet hominẽ in his quę sunt ad alterũ. Imponit enim ęqualitatẽ quę propriè ad alium dicitur. Cæteræ aũt virtutes perficiũt hominẽ in his quę ei conueniũt secundũ seipsum: & ergo sicut rectũ in operationib. cæterarũ virtutũ accipitur per cõparationẽ ad agentẽ: sic rectũ in actu iustitiæ dicit per relationẽ ad alterũ. Nã illud in opere hominis iustũ seu rectũ vocatur qp secundũ aliquã æqualitatem alteri correspondet: vt recõpensatio præmij pro obsequio, & nõ considerato qualiter ab agente fiat. Sed in alijs virtutib⁹ nõ dicitur rectum, nisi prout ab agente conuenienter effertur. Ideoq; iustitiæ præ alijs virtutib⁹ iustũ seu ius, quod idem est,

est, pro obiecto designatur. Ius ergo est obiectũ iustitiæ. Sicut autem Medicina, secundũ primam nominis impositionem, remedium sanitatis vocatur, & secundario trahitur ad significandam artem medicinalem: ita nomen iuris impositum est ad significandam rem iustam, deinde accipitur pro scientia iuris. Vnde Celsus iurisconsultus ait: Ius est ars boni & æqui. Tertio sumitur pro loco in quo ius redditur, sicut aliquis dicitur comparere in iure. Quarto dicitur ius id quod iudex reddit, quamuis quod decernit iniquum consistat. Lex verò est secundum Isidorum, constitutio scripta, vtpote dum ratio iuris quæ in mente est, in scriptis redigitur, & ergo lex propriæ non est ipsum ius, sed aliqualis ratio eius. Amplius autem quoniam iustitia æqualitatem importat, propterea lex diuina nõ appellatur ius, quia deo non possumus recompensare æquiualens. Sed dicitur fas, quoniam scilicet sufficit deo si agimus quod valemus. Vnde Isidorus ait, quod fas est lex diuina, ius lex humana.

2. ¶ Præterea, Philosophus quinto Ethicorum diuidit ius humanũ in naturale & legale, id est positiuum. Ius namque seu iustum, dicitur opus alteri ad æquatum secundũ aliquã æqualitatis formam, quod dupliciter fieri potest. Primo ex ipsa rei natura, quemadmodum cum aliquis tantũ dat, quatenus tantundem recipiat. Et hoc dicitur ius naturale. Secũdo ex condicto seu communi placito, vt dum quis repræsentat se cõtentum si tantum recipiat. Quod rursus dupliciter accidit. Primò per condictum priuatum, quod scilicet inter personas priuatas firmatur. Secundo ex condicto publico, vt cum populus consentit vt aliquid cõmensuretur adæquaretúrq; alteri: vel cum princeps, qui populi personam gerit & curam habet, tale quid ordinat. & istud nuncupatur ius positiuum. Dicitur autem ius humanum naturale, non quia nullo modo possit mutari, sed quia semper vniforme est, quando natura ipsa humana naturaliter & bene se habet. Sed qma natura humana mutabilis est per arbitrij libertatẽ propterea in certo casu, quod naturaliter iustum esset, omittendum est, sicut naturale ius est, quod depositum restituatur: sed si voluntas depositoris deprauetur, & in inimicitiam reipublicæ vel furorem conuertatur, non est reddendum depositum. Quorum verò natura omnino incommutabilis est, eorum quoq; naturale ius nunquam variatur. At verò ius positiuum

sitiuum ex voluntate humana procedit, nō quod humana voluntas possit indifferenter in omnibus aliquid facere iustum: sed in his tantum quæ aduersus ius naturale repugnātiam nō habent. Quod si aliquid iure naturali repugnet, in talibus ius positiuum locum non obtinet. Non enim cōstituti potest quod furari aut adulterari sit licitū, propter quod Esaias ait: Væ qui condunt leges iniquas.

¶ Prædictæ autem diuisioni non obstat, quod aliquid dicitur ius diuinū, vtpote quod diuinitus promulgatur. Nā hoc partim est de his quæ sunt naturaliter iusta, partim de his quæ ex diuina institutione sunt iusta. Et ergo ipsum diuidi posset per duo prædicta, sicut & ius humanū. Sunt enim in lege diuina quædam præcepta, quia bona: & quædam prohibita, quia mala. Et iterum sunt ibi quædam bona, quia præcepta: & quædam mala, quia prohibita.

3. ¶ Insuper secundum ostensa, ius naturale est quod ex sua natura adæquatum est alteri. Quod dupliciter accidit. Primo secundum absolutam sui considerationem, quemadmodum masculus commensurationem habet ad fœminam, vt ex ea generet, & pater ad prolem, vt eam enutriat. Secundo istud contingit non secundum absolutam rationem, sed secundum aliquid ex natura consequens, vt est proprietas possessionū: vt si considereretur aliquis ager absolutè, nō haberet cōmensurationē, cur potius sit vnius quā alterius. Si verò cōsideretur secundum aliquam proprietatem, videlicet opportunitatem colendi, aut similem, iusta est ratio cur potius sit vnius quàm alterius. Et hoc modo seruitus est naturalis, & non primo modo. Quoniam ergo absolute aliquid apprehendere, non solum hominibus, sed alijs quoque animalibus conuenit, ideo ius naturale secundum primum modum commune est nobis & illis. Sed secundo modo acceptum ius naturale, solis hominibus conuenit, & ius gentium appellatur. Nam considerare aliquid, per comparationem ad illud quod ex ipso cōsequitur, rationis est proprium. Vnde tale ius naturale vocatur: quoniā ratio naturalis hoc dictat, nec indiget speciali institutione, propter quod Caius Iurisconsultus asserit, q̄ naturalis ratio inter oēs homines cōstituit, illud apud omnes gentes custoditur, vocaturq; ius gentium.

4. ¶ Præterea. 6. Ethicorū Philosophus, distinguit à iure politico ius paternum, & ius dominatiuum. Iustum quippe dicitur per commensurationem ad alterum, est autem aliquid ab aliquo alterū dupliciter. Primo simpliciter, tanquā omni no ab ipso distinctum: vt duo homines, quorū nullus sub altero est sed ambo sub principe, & inter tales est iustum simpliciter dictum. Secundo est aliquid ab aliquo alterū nō omnino, sed tanquā aliquid eius existens, vt filius est aliquid patris, & seruus est tāquā instrumentū domini sui. Propter q̄ inter patrem & filiū non est ius, secundum perfectā iusti rationē: sed est ibi ius paternū. Similiter inter dominū & seruū non est cōpleta ratio iusti, sed ius dominatiuū. Inter virum verò & comugē, est maior ratio iusti quàm inter prædictos quia licet sint vna caro, tamē mulier sumitur ad socialē matrimonij vitam, habentq̄ maritus & vxor, secundū Philosophum primo Politicorū immediatā reuelationem ad domesticam communitatem. Et ergo est inter eos non simpliciter iustum politicum, sed potius œconomicū. Omnes autē alij gradus ac differentiæ hominum in ciuitate, immediatā comparationem ad principem habent. Ideoq̄ inter eos est ius simpliciter dictum, quod tamē secundum officia diuersa distinguitur. Nam dicitur ius militare. Ius magnatū, ius sacerdotum, secundum quod vnicuique conditioni personæ aliquid debetur secundum officium proprium.

¶ *De diffinitione iustitiæ. 2. An sit semper ad alterum. 3. Vtrū etiam sit virtus. 4. De subiecto ipsius iustitiæ. Articu. 111.*

Diffinitur autē à viris perfectis iustitia: Iustitia est constans & perpetua voluntas, ius suum vnicuiq; tribuens. Iustitia nanque (sicut & quælibet virtus ac habitus) diffiniri debet per propriū actū, qui est circa propriam materiam siue obiectum. Et hic actus cū sua materia tangitur, cum dicitur, Ius suum vnicuique tribuens. Porro vt actus sit virtuosus, oportet quod sit voluntarius, stabilis, & firmus. Nam secundum Philosophum 2. Ethicorum ad actum virtuosum tria requiruntur. Primo vt aliquis agat sciens. Secundo vt agat eligens & propter aliquem finem. Tertio quod immobiliter operetur non ex parte eius, quasi actus semper possit continuari, sed ex parte obiecti, quia videlicet aliquis vult perpetuo aliquid facere bene. Propterea in diffinitione iustitiæ primo ponitur voluntas, ad insinuandum quod actus iustitiæ voluntarius esse debet. Et sic sumitur hic voluntas pro actu, non pro potentia, & per actū intelli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

telligẽdus est habitus. Additur autem, constans & perpetua, ad innuendum firmitatem actus iustitiæ. Nec superfluè additur, constans ad perpetuam. Nam per perpetuam datur intelligi, quod iustitia in proposito perpetuè getitur. Et per constans, quod in tali proposito perseueret.

2. ¶ Præterea, cum iustitia æqualitatem importet, nihil autem est sibijpsi æquale: ideo iustitia propriè est ad alterum. Cùmque opus iustitiæ sit rectificare actus humanos, ideo iustitia requirit diuersa supposita, nam suppositorum est agere. Quia tamen in vno homine sunt diuersa actionum principia, scilicet appetitus, concupiscibilis, irascibilis & intellectiuus, ideo secundum similitudinem quandam atque metaphoram dicitur in homine iustitia, quo ad seipsum, inquãtum ratio inferioribus imperat viribus. Et vnicuique partiquod sibi conuenit dat. Vera ergo iustitia non est alicuius ad seipsum. Vnde Tullius primo de officijs dicitur. Iustitiæ ea est ratio, qua societas hominem inter ipsos & vitæ communitas continetur.

3. ¶ Et quod iustitia sit virtus testatur Tullius eodẽ libro, dicẽs: Ex iustitia præcipuè viri boni nominãtur, & in ea virtutis splendor est maximus. Sciendũ verò, quod iustitia nõ consistit circa res exteriores, quãtum ad facere, quod spectat ad artem. Sed quantum ad hoc quod vtitur eis ad alterum.

4. ¶ Amplius autem in illa potentia, tanquam in subiecto virtus existit, ad cuius actum rectificandum virtus ipsa ordinatur. Iustitia autem non ordinatur ad dirigendum actum cognoscitiuum quia ex hoc quod aliquid rectè cognoscimus iusti non dicimur. Ideoque subiectum iustitiæ non est intellectus sed ratio, sed quoniam quis iustus vocatur, quoniã iuste agit, relinquitur quod subiectum iustitiæ sit appetitiua potentia. Nam proximũ principiũ actus est appetitus. Appetitus verò duplex est, sensituus videlicet & intellectiuus. Cùm ergo iustitiæ sic vnicuique quod suum est reddere, nõ possit iustitia esse jn appetitu sensitiuo, eo quod appræhensio sensitiua se nõ extendat ad considerationẽ proportionis vnius ad alterum: sed hoc rationis est propriũ, propter quod subiectum iustitiæ est appetitus intellectus, qui voluntas vocatur, qui & rationale pe participationẽ dicitur, quia actus rationis se dirigentem participat. Vnde Anselmus dicit, quod iustitia est rectitudo voluntatis, propter se conseruata.

¶ Vtrum

¶ *Vtrum iustitia sit virtus generalis. 2. An inquantum generalis, sit idem cum omni virtute. 3. De iustitia quoque particulari. 4. De eius materia. Artic. 113.*

PRædictum iam est, quemadmodum iustitia ordinet hominem ad alterum, quod dupliciter accidit. Primo ad alterum singulariter consideratum. Secundo ad alterum in communi, vt qui communitati deseruit, omnibus ad eum spectantibus famulatur, ad vtrumque autẽ potest se habere iustitia propriè, qui autem sub communitate continetur, est pars quædam communitatis. Pars autem secundum id quod est, totius est. Propter quod quodlibet bonum partis est ordinabile in bonum totius. Itaque bonum cuiuslibet virtutis siue ordinet hominẽ quo ad seipsum, siue quo ad aliquas priuatas personas, referibile est ad bonum totius, ad quod hominem iustitia ordinat, sicque omniũ actus virtutum ad iustitiam pertinere possunt. Prout ipsa hominẽ ordinat ad bonum commune, & quãtum ad hoc vocatur iustitia virtus communis, quia vero ad bonum commune ordinate spectat ad legem. Propterea iustitia hoc modo generalis, appellatur legalis iustitia, quia videlicet per eam homo concordat legi, ordinanti omnium actiones virtutum in bonum commune: Vnde & iustitia legalis, virtus communis dici potest.

3. ¶ Præterea generale dupliciter dicitur. Primo modo secũdum prædicationem, & tale est essentialiter idem cum specialibus suis, sicut animal est commune ad hominẽ, æquum & bouem. Secundo quantum ad virtutem quemadmodum causa vniuersalis ad suos effectus generalis est, vt sol ad inferiora, quæ immutat, & tale generale non est idẽ cum subiectis, hoc autem non (secundum præfacta) iustitia legalis generalis vocatur, inquantum omnium actus virtutum ad bonum commune disponit, quod est finis sibi proprius, sed hoc est mouere alias virtutes per imperiũ, vnde quemadmodũ charitas, quæ respicit bonum diuinum ob proprium obiectũ est virtus specialis secundum essentiã, generalis verò secundum virtutem, inquantum aliarum virtutum actum ordinat ad bonum diuinum, ita iustitia legalis est specialis virtus secundum essentiam bonum commune pro obiecto respiciẽs, generalis verò secundum modum nunc dictum.

¶ Rur-

4. ¶Rursum,cum legalis iustitia,nõ sit essẽtialiter omnis virtus,oportet prætet generalem iustitiam ponere iustitiam particularem, quatenus sicut illa ordinat hominẽ immediate ad bonum commune: sic hæc ordinet eum circa ea, quæ sunt ad aliquam singularem personam, quia licet iustitia generalis ordinare possit aliquid ad singularem personam,hoc non agit nisi mediate. Vnde Chrysostomus super illud Matthæi 5.Beati qui esuriunt &c.ait,iustitiam autẽ dicit,vel vniuersalẽ virtutẽ vel particularem auaritiã contrariã. Hę ergo iustitiæ realiter differunt. Nã obiecta earum, videlicet bonũ cõmune & bonum vnius personæ, formaliter distinguntur.

5. ¶Deniq;e,omnia quæ ratione rectificari possunt, virtutum moralium obiecta esse possunt. Hæc autem sunt interiores passiones,exteriores;q;e actiones,res quoque exteriores in vsum hominis venientes. Sicut autem secundum interiores passiones attenditur rectificatio hominis in seipso: sic secundum exteriores actiones ac res,pensatur ordinatio vnius hominis ad alium . Cùm ergo particularis iustitia ordinetur ad alterum , non est circa totam materiam virtutis moralis, sed solum circa res exteriores,& actus secundum specialem rationem obiecti, videlicet prout secundum eas vnus homo ad alium orditur,& hoc 5.Ethicorum dicitur.

¶De obiecto iustitiæ.2.De medio eius.3.De actu ipsius 4.De eius dignitate excellentiaque. Artic,114.

NVnc demum aduertere congruit quod iustitia non est circa passiones.Primo quoniam subiectum eius est voluntas,in qua passiones locum non habent, sed in sensitiuo appetitu . Secundo quia iustitia est circa ea quæ ad alterum sunt. Non autem ordinamur immediate ad alium per passiones,sed per actiones. Ideoq;e materia iustitiæ actiones existunt.

¶Quod ergo 2 Ethico.ait philoso. virtutes morales esse circa voluptates & tristitias,non est intelligendum,quod materia cuiuslibet virtutis moralis sit voluptas aut tristitia , seu passio aliqua: Sed quod virtutes morales ordinantur ad delectationem & tristitiã,sicut ad quosdam fines operationem bonum consequenter. Et hoc ad iustitiam pertinet nõ enim est iustus,qui non gaudet in iustis operibus.

¶Sciendum autem quod cum operationes sint mediæ inter passiones interiores & res,ideo earum rectificatio,secundũ quod

quod ex passionibus oriuntur, ad alias virtutes morales pertinet,sed prout ad res exteriores terminantur,sic rectificatio earum ad iustitiam spectat.Et quoniam operationes specificantur à rebus circa quas versantur,non à passionibus vnde nascuntur,ideo potius dicuntur materia iustitię quã aliarum virtutum.

2. ¶Porro quia iustitia est circa operationes exteriores, quo ad alium , ideo medium iustitiæ consistit in æqualitate proportionis rei exterioris ad exteriorem personam,æquale verò est realiter medium inter maius & minus, & ergo medium iustitiæ,est medium rei. Aliarum autem, virtutum moralium mediũ, est mediũ rationis, quia sunt circa passiones quarũ rectificatio perpenditur in cõparatione ad hominem cuius sunt passiones, vt scilicet secundum debitas circumstãtias passio procedat in actũ,vtpote quando & qualiter: &c. Propter quod medium harum virtutum non est in comparatione ad alium,sed ad ipsum virtuosum. Vnde medium tale, dicitur medium quo ad nos id est medium rationis.

3. ¶Præterea, cum iustitia sit ad alium secundũ æqualitatis proportionẽ, ideo proprius actus iustitiæ est, vnicuiq; quod suum est reddere. Nam illud dicitur suum vniuscuiusque per sonæ quod ei secundum æqualitatis proportionem debetur. Vnde Ambrosius primo de officijs. Iustitia (inquit) est, quæ vnicuique quod sunm est tribuit,alienum non vendicat,vtilitatem propriã negligit,vt communem æqualitatẽ custodiat. Agnoscendum præterea quod si de legali iustitia sermo sit, illa vtique inter omnes virtutes morales præclarior extat,ita quantum bonum commune bono singularis personę præfertur, & ideo quinto Ethicorum dicitur , quod præclarissima virtutum videtur esse iustitia , & neque est hesperus neque lucifer ita admirabilis. Iustitia quoque particularis alias virtutes excellit morales. Primo ex parte subiecti cum sit in voluntate,quæ est nobilior appetitu sensitiuo,qui aliarum virtutum moralium existit subiectum . Secundo ratione obiecti, bonum namque iustitiæ est in relatione ad alium.Aliarũ verò virtutum moralium bonitas,est hominis ad seipsum. Laudabilius autem est bonum ad alium quàm ad seipsum , propter quod primo Rheto.Aristoteles asserit,Necesse est maximas esse virtutes,quæ alijs honestissimæ sunt, propter quod fortes & iusti præsertim laudantur,eo quod fortitudo sit alijs

vtilis in bello, iustitia quoque in bello & pace. Dicit autē philosophus quarto Ethicorum quod magnanimitas ornamentum est iustitiæ omniumque virtutum.

¶ An iniustitia sit vitium speciale. 2. An iniustitiam agere sit proprium iniusto. 3. An aliquis possit pati iniustum nolens. 4. An iniustitia ex suo genere sit peccatum mortale. Artic. 115.

QVemadmodum autem de iustitia legali præhabitum est, quod secundum essentiam sit virtus specialis, secundū extensionem verò atq; imperiū super alias virtutes morales generalis: sic iniustitia quæ ei opponitur, secundum se speciale est vitium, quantum verò ad extensionem, est vitium generale, quia per boni cōmunis contemptum potest homo ad vitia vniuersa induci.

¶ Sicut deniq; iustitia particularis est specialis virtus, sic iniustitia ei opposita, vitium speciale existit, videlicet quando homo vult plus habere de bonis, puta diuitijs siue honoribus. Minus quoque de malis, vtpote damnis atq; laboribus, quā æqualitatis ad alium ratio postulat. Omne autem peccatum iniquitas dicitur, inquantum repugnat diuinæ iustitiæ, quæ dicitur per comparationem ad bonum diuinū, sicut iustitia humana ad bonum humanum.

2. ¶ Præterea cognoscendum, quod iniusta agere ex intentione & electione est propriū iniusto, prout iniustus vocatur qui iniustitiæ habitū habet, tunc nanq; iniusta actio per se placet, quoniam vnicuiq; habenti aliquem habitum est secundū se acceptum, quod suo habitui conuenit. Vnde dupliciter contingere potest, quod aliquis agat iniustum aliquid non tamen iniustus sit, vel quia non intendit iniustè aliquid facere vt si per ignorantiā operetur, & tunc non agit iniustū formaliter & per se, sed materialiter & per accidēs. Nā in moralibus, species seu per se est à fine, quē aliquis directe intendit. Secūdo accidit hoc si quis iniusta agat non ex habitu vitioso, sed ex passione, videlicet ira vel concupiscentia.

3. ¶ Deniq; actio secundum suam rationem ab agenti procedit, passio verò ab alio est. Vnde idem secundum idem nō potest esse agens & patiēs. Proprium autem principiū agendi in homine, est voluntas. Et ergo quod homo facit volēs, proprie facit. Et illud propriè patitur, quod præter voluntatē patitur. Ideo iniustum, formaliter & per se loquendo, nemo potest facere nisi volens, nec pati nisi nolens. Loquendo autem

tem per accidens & materialiter de iniusto, potest aliquis id quod de se iniustum est, vel facere nolens, vel pati volens, vt cum quis præter intentionem operatur, vel propria voluntate plus alteri dat quàm debet.

4. ¶ At verò peccatum ex suo genere mortale est quod charitati repugnat, quæ est animæ vita. Charitas verò mouet ad bonum alterius, iniustitia autem ad nocumentum alterius, quia debitū subtrahit, ideoque per se charitati repugnat, atq; ex suo genere mortale peccatum est. Veruntamen qui in parvis alicui nocumentum infert, iniustitiam operādo, videlicet si quis pomum alicui tollat, non agit iniustè secundum perfectam rationem iniustitiæ, quia verisimiliter reputare potest, non penitus esse contra voluntatē eius cui aufertur, & quod inde parum lædatur. Vnde peccata alijs virtutibus cōtraria, non semper sunt ex suo genere mortalia, sicut peccata iniustitiæ, quia non semper sunt in nocumentum alterius, sed inordinationem quandam important circa passiones humanas.

¶ Quod iudicium est actus iustitiæ. 2. An iudicare sit licitum. 3. An etiam per suspitiones sit iudicandum. Articulus 106.

PRimo iudicium est actus iudicis inquātum est Iudex. Iudex verò dicitur quasi ius dicens: Ius quoque est obiectum iustitiæ, ideo iudicium secundum suam primam impositionem importat diffinitionem seu determinationem iuris seu iusti. Sed in opere virtutis bene iudicare procedit ex habitu virtutis. Castus enim de pertinentibus ad castitatem bene iudicat, ideo iudicium in iudicāte requirit iustitiæ habitum si rectè fieri debet, & sic est actus iustitiæ. Vnde quinto Ethicorum philosophus dicit, quod homines ad iudicem tanquam ad iustitiam animatam confugiunt.

¶ Extenditur tamen iudicium ad designandam rectam determinationem in quibuscunq; rebus, siue speculatiuis, siue practicis. Sic enim dicitur quod vnusquisque bene iudicat, quæ cognoscit. In omnibus quoque ad rectum iudicium duo exiguntur. Vtpote virtus iudicium proferens, & sic iudicium est actus rationis, ad quem pertinet diffinire vel dicere aliud. Secundo dispositio iudicantis, per quam idoneitatem sortitur ad bene iudicandum, & sic ad iudicandum in his quæ ad iustitiam spectant, requiritur iustitia, sicut ad iudicandū de pertinentibus ad fortitudinem exigitur fortitudo. Itaq; iudiciū

Universidad de Deusto
Biblioteca

est actus prudentiæ tanquam proferentis: iustitiq autem tanquam inclinantis. Nam ad vnamquanque virtutem pertinet iudicium circa materiã propriam, quoniã virtuosus in singulis est mensura & regula, secundum philosophum. Secũdum Apostolum quoq; spiritualis homo omnia iudicat, quia per charitatẽ dispositus est, vt per regulas diuinas bene iudicet, ex quibus donum sapientiæ iudicium proferet.

2. ¶ Præterea, iudicium, cùm sit actus iustitiæ, in tantum est licitum quãtum ex iustitia procedit. Tria igitur requiruntur vt iudiciũ sit actus iustitiæ. Primo vt ex iustitiæ inclinatione procedat. Secundo quod procedat ex authoritate præsidẽtis. Tertio quatenus proferatur secundum rectam rationem prudentiæ, & quodcunq; horum defuerit, iudicium illicitum vitiosumq; erit. Si enim sit contra rectitudinem iustitiæ, dicitur peruersum & iniustum: si desit authoritas erit vsurpatum. Si rectitudo rationis, vtpote si sit res occulta vel dubia, tunc iudiciũ suspitiosum ac temerariũ dicitur, & talia iudicia in sacris pturis multipliciter prohibentur. Vnde secundum Chrysostomum super illud Matth. 7. Nolite iudicare. Illi qui in magnis peccatis sunt iudicare nõ debent eos, qui in eisdem peccatis aut certè maioribus sunt, & hoc potissimè intelligi debet, si peccata iudicis publica sint, quia sic scãdalum oriretur, si verò occulta sint & necessitas iudicãdi immineat propter officiũ, potest cum humilitate atq; timore iudicare siue arguere.

3. ¶ Denique secundum Tullium, suspitio opinionem mali importat, quæ ex leuibus causis concipitur, & procedit ex tribus. Primo ex malitia suspicantis, qui sibi propriæ malitiæ cõscius, omnes æstimat tales qualis ipse est. Secundo ex hoc quod quis alteri malè afficitur: dum enim quis aliũ odit, aut spernit, aut ei irascitur, cito de ipso malum ex leuibus signis opinatur, quoniã quilibet facillime credit quod appetit. Tertio ex experientia vnde secundum philosophũ secundo Rhetorice, senes sunt maximè suspitiosi, eò quòd aliorũ defectus magis experti sunt. Constat autem primas duas causas suspitionis esse peruersas, sed tertia diminuit rationem suspitionis, quia certitudini proprinquior est, quæ est contra rationem suspitionis. Et ergo suspitio vitium est, & tanto vitiosior quo magis procedit. Aduertendum igitur quod triplex est gradus suspitionis.

¶ Primus cum quis ex leuibus iudicijs de bonitate alterius dubitare incipit, & hoc est veniale & leue peccatũ pertinẽs ad tentationem humanam, sine qua præsens vita nõ agitur.

¶ Secundus gradus est, cum quis malitiam alterius pro certo æstimat ex leuibus iudicijs, & si hoc est de aliquo graui, est peccatũ mortale, inquantũ nõ est sine contẽptu proximi.

¶ Tertius gradus est, dum Iudex ex suspitione procedit ad aliquem cõtemnendum, hoc enim ad iniustitiam directè pertinet, estq; mortale peccatum. Propterea si suspitiones, secundum primum modum acceptas, vitare nequimus, omnino tamen diffinitiuas sententias vitare debemus.

¶ An dubia sint in meliorem partem interpretanda 2. Vtrum iudicium per leges scriptas sit proferendum 3. An etiam iudicium per vsurpationem fiat peruersum. Articulus 117.

QVia itaque eo ipso quo quis de alio malam opinionem habet sine sufficienti motiuo, iniuriatur ei & ipsum contemnit, quod vtique sine causa cogente, id est, euidente ratione agendum non est: ideo dubia in meliorem partem sunt interpretanda, debemusq; alium habere vt bonum, nisi manifesta iudicia de eius prauitate appareant, & quanuis aliquis in hoc fallatur, in hoc tamẽ nõ peccat. Veruntamen quando alicui remedium contra peccatum impendendum est, tunc dubia, propter securitatem interpretari debent in partem peiorem: non per determinationẽ diffinitiuam, sed per quandam suppositionem.

2. ¶ Præterea, leges scribuntur ad declarationem tam iuris naturalis quàm positiui, tamen difformiter. Nam scriptura legis continet, non autem instituit ius naturale, quod scilicet est ex natura rei. Sed ius positiuum, quod scilicet ex aliquo condicto est, scriptura legis continet atque instituit, dans robur authoritatemq; ei, propterea oportet vt iudicium detur secundum legis scripturam; alioquin ipsum deficeret, vel à iure naturali, vel positiuo. Amplius, quoniam leges positiuæ & rectæ aliquando à iure naturali deficiunt, in quibus si seruarentur, naturali iuri contrariarentur, quia nulla lex humana potest omnes euentus singulares cõprehendere, de quibus tamen iudicare oportet quandoque: ideo in illis non est semper secundum literam legis iudicandum, sed recurrendũ est ad æquitatem, quã legislator prætendit. Vnde iurisperitus dicit: Nulla ratio iuris aut æquitatis beniguitas patitur, vt

 quæ

quæ salubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea non dutiore interpretatione contra ipsorum incommodum producamus ad seruitutem, & in talibus legislator aliter iudicaret, & si considerasset legem determinasset.

3. ¶ Porro quia iudicium secundum leges scriptas secẽdum est, ideo qui profert iudicium, dictum legis quodammodo interpretatur, applicando ipsum ad particulare negotium. Eiusdem verò authoritatis est legem interpretari & condere. Vnde quemadmodum lex condi non potest nisi publica authoritate, quæ vtiq; se ad illos extendit, qui communitati subdũntur. Ideoque sicut iniustum esset aliquem ad legem seruandã compellere, quæ publica authoritate sancita non est. Sic iniustum est, si quis aliquem cogat ferre iudicium, quod publica authoritate nõ fertur. Si verò quæratur, qua authoritate Moses occidit Aegyptium, dici potest quod diuina inspiratione hoc fecit, vel secundum quod Ambrosius libro de officio videtur innuere, fecit hoc defendendo Hebræum, cum moderamine inculpatę cautelæ. Dicit quippe Ambrosius: Qui non repellit iniuriam à socio cum potest, tam est in culpa vt ille qui facit. Et inducit exemplum de Mose. Augustinus tamen in quæstionibus Exodi asserit, illud homicidiũ in se vitiosum fuisse, sed magnum fortitudinis signũ fuisse, videlicet virtutis qua populum erat liberaturus.

¶ De speciebus iustitiæ, & medio ac materia earum 2. An etiam iustum idem sit quod contrapassum. Artic. 116.

INsuper particularis iustitia ordinatur ad personas priuatas, quæ sunt tanquam quædam partes communitatis. Partis verò duplex est ordo, vtpote partis ad partem, cui assimilatur ordo vnius personæ priuatę ad aliam. Et hunc ordinem dirigit iustitia commutatiua, quia consistit in his, quæ inter personas priuatas cõtingunt. Secundus est ordo totius ad partem, cui assimilatur ordo boni cõmunis ad singulares communitatis personas, & hunc ordinem dirigit distributiua iustitia, quæ distribuit bona communitatis secũdum proportionem subiectorum. Sic ergo iustitiæ particularis duæ sunt partes subiectiuæ seu species, scilicet commutatiua & distributiua, vt 5. Ethicorum habetur. Et differunt hę species secundum diuersam rationem debiti. Nam alio modo debetur aliquibus quod commune est, atq; aliter quod proprium est.

3. ¶ Præterea in iustitia distributiua datur aliquid personæ priuatæ,

priuatæ, inquãtum id quod cõmunitatis est, est debitum parti ipsius. Ideo in hac distributione tanto datur alicui maius, quanto maiorem principalitatem ac dignitatem sortitur in toto seu in communitate. Vnde in hac iustitia non accipitur medium secundũ æqualitatem rei ad rem, sed secundũ proportionem rerum ad personas: Propter quod ait philo. medium distributiuæ iustitię accipi secundum proportionẽ geometricam, in qua attenditur medium secundũ proportionẽ. Non secundũ quantitatem, vt si dicamus, sicut se habent sex ad quatuor, ita se habẽt tria ad duo. In communicationibus autem redditur, aliud alteri propter rẽ eius, quæ accepta est sicut in emptione venditioneq; patet, & ideo in eis oportet æquare rem ei. Et medium ergo communicatiuæ iustitiæ sumitur secundum æqualitatem rei, & dicit philo. hoc medium accipi secundũ proportionẽ Arithmeticã, in qua pensatur cõ par quantitatis excessus, quemadmodũ quinq; est mediũ inter sex & quatuor, sic ergo innotescit quomodo diuersimodè in his duabus speciebus iustitiæ accipiendum sit medium.

3. ¶ Deniq; iustitia est circa exteriores operationes, communicationum, & distributionum, quæ sunt vsus quorũdam exteriorum, videlicet rerum aut personarum, vel operum. Si igitur medium vtriusque iustitię accipiamus ea, quorum operationes sunt vsus, eadem extat materia vtriusq; iustitiæ, res enim distribui possunt à communi in singulos, & rursus cõmunicari ab vno in alium. Si verò accipiamus vt materiam vtriusque iustitiæ, ipsas principales actiones, quibus rebus vtriusque iustitiæ, ipsas principales actiones, quibus rebus vel personis & operibus vtimur, sic inuenitur vtrobique alia materia. Nã distributiua iustitia est distributionis directiua, cõmunicatiua autẽ cõmunicationis, quę communicatio esse potest inter personas, quarum quædam inuoluntaria est, alia voluntaria. Potest enim aliquis vti re vel opere aut persona alterius eo inuito: vt patet in fraude, furto, adulterio, detractione. At verò potest alius rem suam transferre in alterum, cum aliqua ratione debiti. Primo, quando hoc simpliciter facit pro recompensatione alterius rei, sicut in venditione. Secundo, quando alius tradit rem suam alteri, concedens sibi vsum rei cum debito recuperandi rem, & si gratis concedat vsum rei, vocatur vsufructus, in rebus quæ ad aliud fructificãt. In rebus verò quę nihil fructificent, vt pecunia, vasa, dicitur mutuatũ vel accõmodatũ, quod si nec vsus gratis cõcedi

tur, appellatur locatio atque conductio. Tertio, tradit aliquis rem suam vt recuperandam non ratione vsus, sed conservationis, vt in deposito, vel ratione obligationis, vt dum homo rem suã pignori obligat, aut pro alio fideiubet, & omnia hæc ad iustitiam communicatiuam pertinẽt, quia in eis accipitur medium secundum vnam rationem, videlicet secundum æqualitatem recompensationis.

4. ¶ Præterea considerandum est, quod contrapassum importat æqualem recompensationem passionis ad actionem præcedentem, quod in passionibus iniuriosis maximè inuenitur, vt si quis percutit aliũ quod repercutiatur, vnde in lege dicitur: Oculum pro oculo, dentem pro dẽte. Secundario autem dicitur cõtra passum in rebus, vt si quis alteri in re sua intulit damnũ, ipse quoq; in re sua damnificetur. Vnde in Exodo dicitur: Si quis furatus fuerit bouem, quinq; boues pro vno restituat. Tertio transfertur nomen contrapassum ad voluntarias communicationes, in quibus vtrumque est actio & passio. Sed voluntarium minuit rationem passionis. In his verò facienda est recompensatio secundum æqualitatẽ iustitiæ communicatiuæ, quatenus passio recompensata æqualis sit actioni: non autem esset æqualis si semper idem specie restitueretur, quia si quis lædat personam maiorem, maiori pœna punitur quàm intulit, & qui alicui rem suam eo inuito abstulit, non solùm punitur in eo quod ablatum restituit, sic enim nihil damnificaretur in re propria, & ideo cogitur multiplicius reddere. Vnde oportet secundum commensuratam proportionem adæquare passionem actioni in communicationibus, ad quod inuenta sunt nummismata, sic ergo contrapassum est iustum communicatiuum. Sed in iustitia distributiua locum non habet, quia in ipsa attẽditur æqualitas secundum proportionem rerum ad personas, & non secundum proportionem rei ad rem, vel actionis ad passionem, vnde nominatur contrapassum.

¶ De restitutione 1. An necesse sit ablatum restituere 3. Virum etiam multiplicatum oporteat restitui 4. An restituendum sit, quod ablatum non est. Art. 119.

REstituere denique, est aliquẽ iterato in possessione aut dominio rei suæ statuere. Vnde in restitutione attenditur æqualitas iustitiæ secundum recompensationem rei ad rem, quod ad speciem communicatiuæ

iustitiæ pertinet. Ideoq; restitutio est actus ipsius: ficut dum aliquis rem ab alio habet, vel ipso volente, vt in depositio, aut nolente, vt in furto.

¶ Propriè autem restitutio pertinet ad rem exteriorem manentẽ, cuius ius ad aliũ deuenire potest. Sed sicut nomen cõmunicationis à talibus rebus translatũ est ad actiones & passiones, sic restitutio quoque ad alias transfertur, vt sunt illatio reuerentiæ vel iniuriæ, nocumenti aut commodi, in quibus restitutio dicitur.

2. ¶ Præterea quia seruare iustitiam est de necessitate salutis, ideo restituere ablatum, cum sit actus iustitiæ, de necessitate salutis est. Restitutio enim redditionem rei iniustè ablatæ importat, quæ cum redditur, æqualitas reparatur. Non tamen oportet semper idem numero vel æquale restitui, quia hoc impossibile frequenter esset, puta si quis alium mutilaue rit aut domino vel parentibus irreuerentiam fecit, vnde in talibus vbi non potest reddi æquiualens, reddendum est quod possibile extat, vel in honore aut in pecunia, aut in alio aliquo, considerata vtriusque personæ conditione secundum discretionem probi viri.

¶ At verò tripliciter potest quis alteri famam auferre. Primo verum dicendo & iustè, seruato videlicet ordine: debito in accusando, & sic non tenetur restituere famã. Secundo vera dicendo, sed iniustè, scilicet inordinate procedendo, & tunc tenetur ad restitutionem famæ quam potest sine mendacio, vtpote quod dicat se male locutum, aut alium iniustè diffamasse. Quod si famam restituere nequit, debet ei in alio aliquo pro posse recompensare.

¶ Tertio falsè & iniustè, & tunc obligatur famam restituere, protestando se falsùm dixisse.

3. ¶ Si demum quis aliũ à beneficio iniustè impediat, si donatio nondùm firmata fuerit, non tenetur ad recompositionem æqualis boni, quia ille multipliciter impedire potuit, tenetur tamen ad aliquam recompensam, pensatis conditionibus personarum atque negotij secundum sapientis viri arbitrium. Si autem collatio præbendæ erat firmata, tenetur ad restitutionem æqualis, tamen secundum suam facultatem.

¶ Præterea, in acceptione rei alienæ iniustæ, duo pensantur. Primum est inæqualitas rei. Secundũ culpa iniustitiæ. Quantum ergo ad primum, adhibetur remedium per restitutionẽ.

per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per quam reparatur æqualitas, & quo ad hoc, sufficit reddere simplum quod oblatum est. Sed quo ad secũdum adhibetur remedium per inflictionem pœnę, ad iudicem pertinet, & ergo priusquam damnatus est nõ tenetur plus reddere quàm accepit, sed post sententiam obligatur soluere pœnam. Vnde in Exodo habetur: Si quis furatus fuerit bouem vel ouem vel occiderit aut vendiderit, pro vno boue restituet quinque, & pro vna oue quatuor. Hæc quippe lex determinat pœnas esse. Veruntamen quia post Christi aduentum nõ tenemur ad obseruantiam iudicialis præcepti veteris legis, ob hoc lex illa nunc locum non habet: quãuis idem vel simile statui posset in lege humana, si similis ratio esset.

4. ¶Ex prædictis itaque cõstat quod damnum restituendũ est. Sed agnoscendum quod aliquis damnificari potest dupliciter. Primo in re quam actualiter habet, & tunc æquale reddendum est: vt si quis alicuius domum destruxit, tenetur ei in tanto, quanti valuit domus. Secũdo potest quis ab aliquo pati damnum in re quam nondum habet, sed est in via adipiscendi eam: & tunc non tenetur quis reddere ex æquo, quia aliquid habere in potentia vel in via, est imperfectè habere: debet tamen aliquam recompensationem rependere, secundum exigentiam & conditionem personarum ac negotiorũ, vt si quis semina agri alterius effodiat, aut pecuniam vltra præfixum terminum seruet, ad quæ alius lucrari posset.

¶ An restituendum est ei à quo acceptum est 2. Vtrum eum qui accepit necesse sit reddere 3. Vel alium aliquem 4. An etiam statim restitutio facienda est. Artic. 120.

EVcluscit autem ex dictis, quod restitutio sit quædam reductio ad æqualitatem, videlicet, dum ei qui minus habet quàm sibi debetur, per restitutionem defectus suppletur: vt sit æquatio commutatiuæ iustitiæ. Ideoque ei est facienda restitutio à quo acceptũ est. Veruntamen cùm restitutio ad vtilitatem recipientis ordinetur si alicui recipienti quod suum est, ex restitutione graue periculum immineret, sicut si furioso gladius proprius redderetur, non esset statim restitutio exhibenda, sed congruum tempus expectandum, vel res reddenda, alteri committenda est, quia nequaquam debet eam sibi appropriare qui recepit. Si autẽ dato atque acceptio essẽt illicitæ & contra legem, sicut in simonia contingit, nullus habere deberet, sed res ipsa in pios conuer-

cõuertenda est vsus. Si demum qui recipere habet sit omnino ignotus, debet homo restitutionem facere vt melius potest, videlicet dando pro salute illius in eleemosynas. Si aũt est mortuus, debet reddi eius hæredibus, & si multũ distet, debet ei transmitti si potest. Alioquin in loco tuto imponendum est, quatenus cõseruetur pro ipso. Si verò prælatus rem ecclesiæ sibi deputatam in aliorum dominium transferat tenetur restituere, sic, vt restitutum ad successorem deueniat.

2. ¶Præterea, in alio qui rem alienam accepit, duo pensantur, videlicet res accepta, & ex hac consideratione tenetur ille reddere qui accepit, quamdiu rem acceptã apud se habet. Secundo consideratur in ipso, ipsa acceptio, quæ se tripliciter habere potest, quia vel est iniuriosa, vt patet in rapina & furto, & tunc tenetur homo ad restitutionem non tantũ rationę rei, sed & ratione actionis iniustæ, quanquam de re nihil apud se maneat, & insuper pro iniuria puniendus est.

¶Secundo aliquis accipit rem ab aliquo volente ad propriã vtilitatem, vt in mutuo accidit, & tunc iterum homo ad restitutionem tenetur ex parte rei & acceptionis, quauis rem ipsam perdiderit.

¶Tertio accipit homo rem alterius eo volente, non ad suam vtilitatem, vt in depositis fit, & tunc homo magis impendit obsequium quàm debitor fiat, vnde ex parte acceptionis nõ tenetur reddere, sed ratione rei acceptæ, si itaque res sine sua culpa ei tollatur, restituere non tenetur, secus tamen esset si rem depositam cum sua magna culpa amitteret.

¶Si autem multi alicui quod suum est abstulerint, & vnus eorum satisfecerit illi, alij tenentur illi satisfactori refundere non alteri.

3. ¶Denique, quia ad restitutionem aliquis tenetur, non solùm ratione rei, sed & acceptionis iniuriosę: ideo quicunque est causa acceptionis iniustæ, ad restitutionem obligatur. Quod dupliciter contingere valet, directè videlicet & indirectè. Directè, vt cum aliquis alium inducit vt capiat alienũ, & hoc triplicitèr. Primo quidem monendo, vtpote præcipiendo, consulendo, consentiendo expressè, atque laudando. Secundo cum aliquis talem domo recipit, aut auxiliũ præbet. Tertio quia in re ablata particeps extat, vel in furto, aut alio simili. Indirectè quoque istud contingit, dum homo non impedit cum possit & debeat, vel subtrahendo præceptum & consi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

consilium impediens furtum aut simile, vel non resistendo cum possit, præbēdo auxilium, vel quia occultat post factū. Quod tamen de illis verum est, quibus ex officio incumbit resistere vel manifestare, alias non esset vniuersaliter verum. Vnde si ex negligentia principis, latrones aut raptores increcant, tenetur ad restitutionem eis, qui damna incurrūt. Nam redditus sui sunt quasi stipendia sibi disposita, quatenus iustitiam seruet & protegat. De quibus omnibus versus sunt: Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus, Participās, mutus, non obstans, non manifestans. Attamen adulatio atque consilium non semper ad restitutionem hominem obligant, sed tunc quando probabiliter æstimari potest quod ex eis actio iniusta subsequitur.

¶ Insuper sicut rem alienam capere culpa est: sic quoque alienum reseruare peccatum est. Impeditur enim per hoc dominus rei ab vsu ipsius, pariturque iniuriam à reseruāte. Et ergo statim restitutio fieri debet, si adsit facultas: alioquin est pretenda dilatio. Si verò omnino quis impotens sit ad restituendum excusatur.

¶ Quod personarum acceptio sit peccatum 2. Vtrum locum habeat in dispensatione spiritualium. 3. An in exhibitione bonorum 4. An & in iudicijs. Artic. 121.

Opponitur namque personarū acceptio distributiue iustitiæ, quæ diuersis personis tribuit secundum dignitatem ipsarum ac merita. Vnde considerando proprietatem personæ, propter quam ei aliquid debetur, non est acceptio personæ, sed causæ. Ideoque iudex non personas, sed causas discernere debet, vt si quis promoueatur ad magisterium propter scientiam, non est personarū acceptio. Est itaque personarum acceptio, cum in aliquo cui aliquid datur non cōsideratur illud, propter quod illud quod ei præstatur, est sibi proportionatum vel debitum, sed solùm quod est iste homo, videlicet Petrus vel Paulus, vt si prælatus det alicui beneficium quia diues est, vel cognatus, est personarum acceptio, quæ semper est peccatum, quia contrariatur iustitiæ. Aduertendum tamen quod duplex est datio. Vna quę est actus iustitiæ & circa talem attendītur personarum acceptio. Alia verò ad liberalitatem pertinet, qua aliqui gratis datur, quod ei non debetur, qualis est collatio donorum dei, qui nulli obligatur, & circa huiusmodi non est personarum

sonarum acceptio, quia vnusquisque potest propria dare cui vult & quantum vult, sic ergo innotescit, quod quanuis duorum hominum vnius conditionis deus alterum accipiat, alterum verò iustè relinquat, non est tamen apud ipsum personarum acceptio.

2. ¶ At verò cum spiritualia sint temporalibus potiora, ideo personarum acceptio in spiritualibus locum habet, estque in ipsis tanto deterior, quanto bona huius digniora consistunt. Sed aduertendum quod dignitas personę dupliciter consideratur. Primo simpliciter & secūdum se, & sic qui est sanctior & gratiæ amplioris, est simpliciter melior. Alio modo per cō parationem ad bonum commune. Potest autem accidere vt qui minus sanctus ac sciens est, imò simpliciter minus bonus, bono communi vtilior sit, ratione potentiæ & industriæ aut alicuius huiusmodi, quoniam ergo dispensationes spiritualium ad communem vtilitatem potissimè ordinātur, ideo quandoq; minus boni melioribus præferūtur in talibus sine personarū acceptione, quemadmodū & dominus interdum præstat minus bonis copiosius gratias gratis datas. Ex his patet, quod si consanguinei alicuius prælati sint alijs minus idonei, tam secundum se quàm quo ad bonum commune, & tamen melioribus præferantur in dispensatione spiritualium, est personarum acceptio. Si verò æque digni sunt vt alij, licite à prælato alijs præferri possunt, quia ad minus hoc de ipsis prælatus magis quàm de alijs cōsidere potest, quod negotia ecclesiæ secu vnanimiter tractaturi sunt, tamen propter scandalum istud omittendum esset, si videlicet alij prælati ex hoc exemplum caperent dandi suis cognatis, quanuis indignis, prælationes.

¶ At verò cum magnis personis facilius dispensandum est in cōtractione matrimonij, nam dispensatio circa matrimoniū maxime fit propter fœdus pacis seruādum, quod bono communi vtilissimum extat, & per copulam excellentium personarum magis acquiritur.

¶ Amplius sciendum, quod secundum iura ad electionem sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorē, quia sic omnis electio pati posset calumniam, & istud verum est in foro iudiciali, sed quo ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorē, vel simpliciter vel secundum comparationē ad bonum commune, & is qui de gremio ecclesiæ sumitur, vtilior

Universidad de Deusto
Biblioteca

vtilior esse solet bono communi, ideo secundum statuta ecclesiæ, & secundum legem diuinam consulitur, vt aliquis de conuentu in prælatum eligatur, quanuis extra inueniri possit alius simpliciter melior.

3. ¶ Porro honor impēditur alteri in testimonium virtutis, & ideo sola virtus est debita causa honoris. Veruntamen honorati quis potest, non tantum propter proprium virtutem, sed etiam propter virtutem alterius. Nam principes & prælati quanuis sint mali, tamen honorandi sunt inquantū dei, atque communitatis vices gerunt. Parentes quoq; & domini, licet sint praui, tamen honorantur inquantū participāt proprietatem diuinæ dignitatis eius, qui est omnium pater & dominus, senes etiam quia signum virtutis, id est, senectam adepti sunt. Diuites quoq; honorandi sunt, inquantum maiorē locum in cōmunitatibus fortiuntur, si verò solo diuitiarū intuitu honorentur, est personarum acceptio, quod Iacobus secundo vetatur. Sic patet quod in exhibitione honoris locum habere potest personarum acceptio, & non sine peccato.

4. ¶ Et quoniam in personarum acceptione semper inæqualitas quędam consistit, quia videlicet datur alicui aliquid præter suæ dignitatis proportionem: ideo iudicium per personarum acceptionem corrumpitur, quia per iudicium inæqualitas ad æqualitatem reducenda est, habet quoq; personarum acceptio locum in iustitia communicatiua & distributiua.

¶ Vtrum liceat bruta occidere. 2. An etiam peccatores occidere liceat. 3. An priuate personæ. 4. An clerico hoc licitum sit. Articulus 122.

PRoinde secundum naturalem ordinem rerum, imperfecta sunt propter perfecta, cedunt́que in bonum ac vsum eorum. Ideoque plantas licet euellere in escam irrationalium, & bruta animalia propter hominis necessitatem ac cōmodum occidi possunt, quia nulla nobis rationis communione sociantur, & hoc Philosophus extra primo politicæ asserit. Vnde in Genesi habetur: Ecce dedi vobis omnem herbam & vniuersa ligna, vt sint vobis in escā & cunctis animātibus. Et Genesis nono: Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.

2. ¶ Præterea secundum prædicta singularis persona se habet ad communitatem quemadmodum pars ad totū. Ideoque sicut pars ægra, quæ corruptiua est totius corporis, laboriter propter totius sanitatem, abscinditur, sic peccator, qui commune bonum cōturbat, & communitati periculosus est propter crimina sua iuste occiditur. Vnde in Exodo .22. legitur: Maleficos non patieris viuere. Et istud seruandum est, quando sine nocumento, & morte, atque periculo innocentium ac boni communis hoc effici potest: aliàs secundum euangelij iussionem zizania cum tritico tollerare oportet.

3 ¶ Insuper cum peccatoris occisio ad communis boni vtilitatem ordinetur, ideo ad illum duntaxat spectat malefi-cos occidere, cui cura communitatis committitur, vt est princeps seu iudex autoritatem publicam habens, non ergo licet priuatæ personæ quenquam occidere, quod si fecerit tanquam homicida iudicabitur secundum Augustinum primo de ciuitate dei. Possunt tamen inferiores authoritate superioris malos occidere, sed hoc ipse superior propriè facere dicitur, quia secundum Dionysium decimotertio capite Hierarch. Cœlest. Ille aliquid agit, cui⁹ authoritate res fit. Et cognoscendum, quod domestica bestia occidi non potest à quolibet, sed requirit iudicium, non quia bestia est, sed propter dānum domini, bestia autem syluestris sine iudicio potest interfici, quia naturaliter ab homine est distincta. Peccator autē ab alijs naturaliter distinctus non est, & ob id sine publico iudicio non debet interimi.

4 Denique clerici propria manu peccatores non debent occidere. Primo quoniam deputātur altaris obsequio, in quo Christi passio representatur, Christus autem cum percuteretur non repercussit, & igitur debent ministri clerici dominum suum imitari. Secundo nam clericis committitur ministerium nouæ legis, in qua pœna corporalis occisionis vel mutilationis nō determinatur. In veteri autem lege talis pœna distribuitur, & ergo sacerdotib⁹ atque leuitis Mosaicæ legis occidere licuit impios, sicut de Hælia, & Samuele, & Mathathia sacerdotibus legitur. Sed nostri prælati qui officia principum terræ suscipiunt, per alios hoc facere debent. Ait namque Apostolus: Oportet episcopum sine crimine esse, non violentum, non percussorem.

¶ An liceat alicui seipsum occidere. 2. An hominem iustum. 3. An alium defendendo seipsum. 4. Vtrum homicidium casuale sit peccatum mortale.
Articulus. 123.

TRiplici autem ratione nephas est seipsum occidere. Primo quoniã vnumquodque naturaliter amat seipsum & propriam conseruationem appetit ac corruptiuis resistit. Et ergo seipsum occidere est peccatum mortale, tam contra legem charitatis, quàm naturæ. Secũdo, quia quilibet homo est quædam pars communitatis, & ergo occidendo seipsum communitati, damnum atque iniuriam infert, vt quinto Ethicorum dicitur. Tertio, quia vita est donum dei, & non habet illud quis à seipso. Vnde qui seipsum vita priuat, in deum peccat: quemadmodum aliquem seruum occidens in dominum illius peccat. Ideoque quod Sampson seipsum oppressit, instinctu spiritussancti fecit, qui per eum miraculũ fecit. vt Augustinus primo de Ciuitate dei testatur. Et idem de quibusdam mulieribus sanctis, quarum memoria agitur dicit, quod deo inspirante se occiderunt, ne polluerẽtur. Veruntamen simpliciter loquendo, non licet mulieri seipsam occidere propter corruptionem vitandam, quia non est committendum maximũ malum, quale est suiipsius occisio, propter minus malum vitandũ. Præsertim cũ non inquinetur corpus nisi de cõsensu mẽtis, sancta Lucia testante.

2. ¶ Præterea sicut peccator publicæ authoritatis sententia occidi potest, inquantum bonum cõmune corrumpit, sic innocens nullo modo occidi debet, quoniam eius vita cõmunis boni conseruatiua promotiuaque est, & ipse est principalior pars boni cõmunis. Vnde iudex qui secundum allegata iudicare compellitur, si scit aliquem innocentem per testes falsos conuictũ, debet occasionẽ exquirere qua liberet eum, testes diligentius examinando, si verò hoc non potest, debet eũ ad superiorem remittere, quod si nec id possit, nõ peccat secundũ alligata iudicando, nec ipse innocentem occidit, sed testes iniqui. Sed & minister iudicis obedire non debet iudici, quando sententia eius intollerabilẽ continet errorem, alias carnifices qui martyres occiderunt, excusarentur. Si autem non continet manifestam iniustitiam, non peccat minister sententiam exequendo, quoniam ipse superioris sui sententiam non habet discutere, & tunc ipse non occidit innocentem sed iudex.

3. ¶ Denique ad eundem actum duo effectus cõsequi possunt, quorum est vnus intentus, alter præter intentionem agentis. Actus autem morales specificantur ab illo quod est intentum,

intentum, hoc enim est per se: quod verò extra intentionem euenit est quasi per accidens. Sic ergo ex actu defensionis, quo se homo defendit, sequi potest conseruatio propriæ vitæ, tanquam per se intenta, & inuadẽtis occisio præter intẽtionem. Neque per accidens sic inuadendum occidere licet, quia licet secundum iura vim vi repellere, seruato tamen moderamine inculpatæ tutelæ, vnde non debet se homo immoderatè habere defendendo seipsum, nec licet alium occidere causa defendendi propriam vitam, scilicet intendendo alterius mortem, nisi publicam authoritatem habenti, qui hoc refert ad bonum commune, tamen si clericus aliquem occidat defendẽdo se, etiã præter intẽtionẽ, tamẽ irregularis efficitur.

4. ¶ Amplius autem, omne peccatum est voluntarium. Casus autem est causa per accidens secundo Physicorum, & ergo casualia non habent rationem voluntarij vel intenti per se, & per consequens neque peccati. Veruntamen quod non est per se intentum & volitum, potest per accidens esse intentum ac volitum prout causa per accidens dicitur, remouens prohibens. Si ergo qui hominem casualiter occidit, non remouet ea ex quibus homicidium sequitur, si remouere debet est quodammodo homicidij reus, quod dupliciter accidit. Primo quando dat operam rei vitandæ illicitæ, ex qua homicidium sequitur. Secundo quando non adhibet solicitudinem debitam. Vnde secundum iura si quis operam præstet rei illicitæ, & tamen debitam diligentiam adhibeat, & nihilominus hominem interficiat, non incurrit homicidij reatum. Si verò det operam rei illicitæ, aut etiam licitæ, sed debitam diligentiam non apponit, & ex hoc homicidium sequatur, non euadit homicidij reatum. Ideoque Lamech putans occidere bestiam, & hominem. s. Cain perimens, nõ excusatur, quia diligentiam debitam non apposuit, & in decretis dist. 1 inda eumtur multi canones, in quibus casualia homicidia puniuntur. At verò circa primum punctum huius articuli aduertendum, quod ad veram fortitudinem pertinet, non refugere mortem propter bonum commune, ex timore peccãdi & ad peccatum vitandum. Sed si quis sibi mortem inferat vt viteet mala pœnaliora, habet quandam fortitudinis speciem. Propter quod aliqui seipsos occiderunt æstimantes se fortiter agere, de quorum numero fuit Zacharias de quo. 2. Machabæo. habetur. Non est autem hoc vera fortitudo, sed quædam

Universidad de Deusto
Biblioteca

mollicies animi dura sufferre non potentis secundum philosophum 3. Ethicorū, & Augustinum primo de ciuitate Dei, vnde non licet seipsum occidere ex timore cōsentiendi peccato, non enim sunt faciēda mala vt bona proueniant vel mala vitentur. Præsertim quæ minora sunt atque incerta.

¶ An mutilatio membri licita sit. 2. An percussio serui & pueri. 3. An incarceratio. 4. De aggrauatione horum

Articulus. 124.

COnstat quod de membro hominis disponendum sit secundum exigentiam totius corpotis. Ideoque si membrum est putridum, potest illud propter totius sanitatem abscindi propria authoritate, qua vnicuique propriæ salutis cura committitur. Sed cum ipse totus homo ad bonum commune ordinetur, sicut Iudex propter maiorem culpam potest occidere hominem, sic propter culpam minorem abscindere potest alicui membrū quanuis sanum. Hoc autem homini quo ad seipsum non licet nec alicui alteri nisi iudici, & eius autoritatem habenti vel exequenti, quāuis aliquis rogat alium vt mutilet eum. Ex quibus patet, quod propter spirituālē profectū mutilatio nō sit licita, quia spirituali saluti aliter subsidium impendi potest cū omne peccatum ex voluntate dependeat. non autē licet membrū præsciendere, nisi cum homini aliter succursus exhiberi nō valet.

2. ¶ Præterea, per verberationem nocumentum quoddam infertur, qui percussus dolore afficitur. Inferre verò nocumentum non licet, nisi per modum pœnæ propter iustitiam. Sed punire aliquem eius duntaxat est cuius ditioni subiectus est alter. Verberare itaque alium aliquam nō licet, nisi ei, qui potestatem super alium habet. Quia igitur filius patri seruisque domino subijciuntur, percuti licite ab ipsis possunt causa correctionis vel disciplinæ. Attamen moderamen seruandum est, sicut Ephesios apostolus monet. Sed occidere non possunt, quoniam publica autoritate non gaudent.

¶ Et quemadmodum licitum est vnicuique dare disciplinam volenti, cum hoc ad eleemosynas spirituales pertineat: sic volenti dare disciplinā eius est, cui alterius cura commissa est.

3. ¶ Porro in bonis corpotis tria considerantur. Primo integritas eius cui per occisionem & mutilationem detrimentum infertur. Secūdo quies seu delectatio sensus, cui opponitur percussio, & omnē dolorem inducens. Tertio vsus ac motus membrorum, quæ per incarcerationem ac detentionem vel ligationem impediuntur: quemadmodum ergo illicitum est aliquem occidere, mutilare, vel percutere, nisi secundum ordinem iustitiæ, sic aliquem incarcerare vel detinere, est prorsus illicitum, nisi seruato iustitiæ debito ordine scilicet in pœnam aut tutelam mali vitandi. Quod tamen non licet nisi ei cui incumbit de vita & actu alterius ordinare, quanuis aliquem detinere ad horam ab opere malo mox perpetrando cuilibet liceat.

4. ¶ Insuper quanto iniuria redundat in plures, tanto peccatum sit maius, sicut percutere principem est peius quā priuatam personam: cum hoc in totius multitudinis iniuriam redundet. Ideo inferre iniuriam personæ alteri coniunctæ, cæteris paribus grauius est: quia per hoc duobus ad minus iniuria fit. Potest tamen peccatum, quod in vnum solum committitur esse grauius illo, quod in plures fit, propter circunstantias aliquas, vtpote propter magnitudinem iniuriæ vel dignitatem personæ: & igitur iniuria viduis ac pupillis illata maiorem culpam sortitur, quia magis nocet eis qui releuantem non habet, & etiam quia misericordiæ magis opponitur.

¶ Vtrum exteriorum rerum possessio sit naturalis. 2. An liceat aliquid tanquam proprium possidere. 3. De furto, & differentia rapinæ & furti. 4. De peccato furti & rapinæ. 5. An liceat propter necessitatem furari. 6. De prædis bellantium. 7 Vtrum grauius sit peccatum furtum ne, an rapina. Articulus. 125.

DVpliciter deniq; possunt considerari exteriora. Primo secūdum suam naturam, & ita soli deo competit dominium naturale eorum, nam ad nutum ipsius vniuersæ rerum naturæ immutātur atque obediūt. Secūdo quo ad vsum ipsorū, & sic habet homo naturale dominiū super res exteriores, tanquā propter se factas, quia per rationē & volūtatē vti eis potest secundum suam vtilitatem. Semper nanq; imperfectiora sunt propter perfectiora.

2. ¶ Aduertendum tamen, quod non licet exteriora possidere tanquam propria quo ad vsum ipsorum, sed tanquam cōmunia: quatenus ea de facili indigentibus tribuat atque communicet. Dicit enim Ambro. & habetur in decretis dist. 90. c. Sicut hi: Proprium nemo dicat, quod commune est, & de iure naturali omnia sunt communia hoc modo: non quod ius

naturale dicter nihil tanquam proprium posidendum: sed quia distinctio possessionum non est de iure naturali, sed positiuo. Non solum autem competit homini circa exteriora possessio, sed etiam ius procurandi dispensandique ea, & sic licitum est aliquid tanquam proprium possidere, imo & necessarium vitæ humanæ. Primo quoniam vnusquisque naturaliter est magis solicitus procurandi proprium bonū quàm quod ad communitatem pertinet: quia quilibet laborem fugiens relinquit alteri, quod omnium aut multorum exilitat: sicut in multitudine apparet. Secundo, quia res humanæ ordinatius tractantur, dū singulis imminet propria cuia alicuius rei procurandæ. Tertio quia status hominum per hoc magis pacificus permanet, dum quilibet proprijs est contentus.

3. ¶ Porro ad rationem furti tria concurrunt. Primo vsurpatio rei alienæ, quæ contrariatur iustitiæ. Secundo, quod est circa possessionem, & per hoc differt ab homicidio & adulterio. Tertio, quod aliquid occultæ auferatur, & sic differt furatio à rapina specificè, quia furtū fit occultè, rapina apertè. ¶ Nullus quippe patitur iniustum volens. Cum ergo rapina & furtum contrarientur iustitiæ, vtrūq; est inuoluntarium ex parte patientis. Inuoluntarium verò dupliciter dicitur, scilicet per violentiam & ignorantiam. 3. Ethico. quorum primū pertinet ad rapinam, secūdum ad furtum. Sunt autē in furto duæ rationes peccati. Prima, quia contrariatur iustitiæ, vsurpando alienū. Secūdo est furtum culpa ratione doli seu fraudis, quia occulte & velut ex insidis agit. Sed sciendum est, quod circa res inuentas opus est distinctione, nam res inuentæ, quę nunquam in alicuius possessione fuerūt, vt sunt lapilli & gemmæ in littore maris inuentæ, licite reseruantur: similiter thesauri ad antiquo sub terra occultati. Tamen secundum leges ciuiles, tenetur inuentor mediam partem thesauri inuenti dare domino agri. Aliquæ autem res sunt, quæ de propinquo in alterius bonis fuerunt, & illas accipere non animo retinendi sed restituendi, non est furtum, alias furtum committeretur, dicit enim Augustinus & habetur 14. quæst. 5. Si quid inuenisti & non reddidisti, rapuisti.

¶ Si autem aliquis rem suam furtim auferret à depositario, peccaret: quia ille teneretur ad restituendum vel ad ostendendum se innoxium, & ergo grauat depositarium, tenetūrq; ad relevandū grauamē ipsius. Si verò alter rem iniustè detinet, tunc

tunc qui eam furtim tollit, peccat inquantū ptermisso debito ordine iuris, ppria recepit vsurpando sibi iudiciū propriæ rei.

4. ¶ Insuper cum furtum sit nocumentū in rebus proximi, & socialis vitæ contrarium, opponitur charitati & est peccatū mortale: tamen in paruis rebus excusatur à tanto, quia quod modicū est pro nihilo habetur. Si verò in illis habeat homo animum furādi, peccat mortaliter. Aduertendum præterea, quod pœnæ vitæ præsentis medicinales sunt potius, quā retributiuæ. Nam retributio reseruatur diuino iudicio. Ideoq; nō pro quolibet peccato mortali infligitur pœna mortis: sed pro illis duntaxat, quæ inferunt irreparabile nocumentum, vel quæ habent horribilem deformitatē. Vnde nec pro furto infligitur mors, quoniam dāmnum reparabile infert, nisi per grauem circunstantiā aggrauetur, vt in sacrilegio, quod est furtum rei sacræ: & in peculatu, quod est furtū rei cōmunis.

5. ¶ Porro ius humanum iuri naturali vel diuino derogare non potest: res autem exteriores de iure naturali cōmunes sunt, inquantū ex diuina prouidentia factę sunt in omnium hominum vtilitatem, & maximè ad subueniendū necessitati humanæ: & ideo diuisio atque appropriatio rerum impedire nō valet, quin in necessitatis articulo posset vnusquisq; à quolibet rapere, quod sibi necessarium est vel etiam alteri. Si verò sit aliqualis non vrgens necessitas, aliqualiter peccat, qui furatur. Et de tali necessitate loquitur Decretal. extra. de furtis. Si quis per necessitatem furatus sit famis vel nuditatis, pœniteat hebdomadas tres.

6. ¶ Amplius, rapina violentiam & coactionē includit. In societate autem humana nullus habet coactionem, nisi per publicam potestatem. Quicunq; itaque alteri aliquid violenter aufert, si sit persona priuata non fungens authoritate publica, illicitè agit, & rapinam committit vt latro. Principibus quoq; non licet violentia coactioneque vti, nisi secundū tenorem iustitiæ, vt contra hostes pugnando, aut malefactores puniendo. Et quod ita aufertur, non propriè sortitur rationem rapinæ. Si verò aliter aliquē opprimunt aut spoliant, tenentur ad restitutionē. Et simile est de prædis bellātium, habentes autem iustum bellum, prædam quā acquirunt ab hostibus, licite reseruare possunt, nec habet illa præda rationem rapinæ. Tamen si praua intentio, vel cupiditas se iusto bello commiscat, peccant, quia secundum Augustinū pro-

ter prædam militare, peccatum est. Si autem qui prædam accipiunt habeant bellum iniustum, rapinam committunt & tenentur obligantur. Cognoscendum quoque, quod res, quas infideles possident, non sunt eorum, sed iniuste possident eas, inquantum secundum leges terrenorum principum eas amittere iusti sunt, vnde licet eas ipsis auferre per violentiã, non priuata sed publica authoritate. Dicit enim Augustinus in epistola ad Vincentium Donatistam, Res falsè appellatis vestras, quas nec iuste possidetis, & secundum leges terrenorum regnum amittere iusti estis.

7. ¶ At verò cum rapina & furtum rationem peccati accipiant, propter inuoluntarium eius cui aliquid tollitur, constat rapinam grauius esse peccatũ quã furtum. Nam in rapina est inuoluntarium per violentiam, in furto autẽ inuoluntarium per ignorantiam. Violentia autem directius opponitur voluntati quàm ignorantia. Et iterum in rapina infertur non tantum damnũ alicui, sed etiam ignominia atque iniuria quæ vtique est grauior dolo seu fraude, quæ spectat ad furtum. Verumtamẽ quoniã in rapina apparet quædã potentia, in furto autẽ astutia: ideo homines minus verecũdantur de rapina quã de furto: tamẽ rapina detestabilior est.

¶ Vtrum aliquis iustè iudicare possit non sibi subiectum. 2. An possit ferre sententiam contra veritatem quã nouit propter ea quæ proponũtur. 3. An etiã iudex dãnare possit non accusatũ. 4. An possit pœnam relaxare Art. 126.

SEntẽtia insuper iudicis, est velut particularis lex in determinato negotio, & vim coactiuã sortitur compellens partẽ vtrãq; sibi assentire, sed in rebus humanis vis coactiua non cõperit nisi publica authoritate fungentibus, quæ se ad illos extẽdit, qui potestati subdũntur, propter quod nullus aliquẽ iudicare potest nisi sit ei aliquo modo subditus, vtpote per commissionẽ aut ordinariam potestatem. Vnde Gregorius: falcem (inquit) iudicij mittere non potest in eam rem quæ alteri est commissa.

¶ At verò secundum iura, quilibet sortitur forum secundum rationem delicti. Sciẽdũ ergo q̃ episcopus, in cuius dioceſi aliquis delinquit, efficitur superior eius ratione delicti, quãuis exemptus sit, nisi forte in re exempta delinquat, vt in administratione bonorum monasterij exempti. Si verò exemptus

pius homicidium, furtum aut aliquid tale committat, potest per ordinarium iustè damnari.

2. ¶ Præterea, cum iudicij incumbat iudicium secundum quod fungitur publica authoritate, non prout est persona priuata, ideo iudicare debet non prout ipse nouit, tanquam singularis persona, sed informandus est iudicando, secundũ id quod sibi innotescit in communi & in particulari, non vt personæ priuatæ. In communi quidem per leges publicas, diuinas vel humanas, cõtra quas nullas probationes admittere debet. In particulari autem negotio, per ministrum & testes ac alia documenta legitima, quæ sibi debet magis, quàm id quod ipse nouit prout est quædam persona. Nihilominus per ea quæ sibi constant, adiuuare se potest discretius discutiendo probationes inductas, quarum si defectus repellere iuste non potest, debet secundum eas iudicare, quamuis sibi oppositum constet.

3. ¶ Amplius autem, iudex est velut interpres iustitiæ, iustitia verò non est ad seipsum sed ad aliũ, & ergo oportet quod iudex inter duos diiudicet, quod fit cum vnus sit accusator & alius reus. Ideoq; nõ potest in criminibus aliquẽ condẽnare nisi habeat accusatorem, iuxta illud: Nõ est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, &c. Sed sciendum quod infamia publica habet locum accusatoris, & euidentia patrati sceleris accusatore non eget.

4. ¶ Denuntiatio quoque non ad condemnationem, sed ad emendationem peccantis ordinatur, & ergo ipsa ad condemnationem non sufficit. Iudex ergo non potest esse, & iudex & accusator.

¶ At verò circa iudicem duo pensanda sunt. Primo, quod inter accusatorẽ & reũ discernit. Secũdo quod nõ propria sed publica authoritate hoc facit, & ex vtroq; à realizatione pœnæ impediri potest. Primo ex parte accusatoris, ad cuius ius interdum pertinet, quod reus puniatur, videlicet propter iniuriam sibi illatam, cuius relaxatio in arbitrio iudicis nõ est, qui vtique vnicuique tenetur ius suum dare. Secũdo impeditur ex parte publicæ authoritatis cuius vice fungitur, ad cuius bonum spectat quod malefici deleantur. Sed hoc in principe supremoq; iudice, cui plenaria reipublicę potestas cõmissa est, locum non habet. Iudex quippe inferior cõtra legem

Universidad de Deusto
Biblioteca

gem sibi à superiori præfixam absoluere nequit. Sed princeps absoluere potest reum, si passo iniuriam, placet, dummodo viderit hoc reipublicæ non esse nociuum. Itaque misericordia iudicis in his locum habet, quæ suo arbitrio relinquuntur, in quibus boni viri est, vt sit diminutiuus pœnarū, secundū Philosophum quinto Ethicorum.

An homo teneatur accusare. 2. Vtrum accusatio sit facienda in scriptis. 3. Quomodo etiam accusatio sit vitiosa. 4. De pœna male accusantium. Articu. 127.

QVemadmodum denuntiatio ad emendationē, sic accusatio ad punitionem criminis ordinatur. Pœnæ autem vitæ præsentis non expectuntur propter se, quia in præsenti non est vltimum retributionis tempus: sed inquantū sunt medicinales, cōferentes vel ad emendationem peccantis, aut ad vtilitatem & pacem reipublicæ, quæ per malorum punitionem procurantur. Vnde si crimen alicuius in detrimentum reipublicæ vergat, tenetur homo ad accusationem, si sufficienter queat probare, quod accusatorem concernit, videlicet cum malū aliquod tendit ad corruptionem multitudinis, vel spiritualem vel corporalem. Si verò peccatum in multitudinē non redundet, aut sufficiēter probari nō valeat, non tenetur homo ad accusationē, cum nemo teneatur ad hoc ꝙ debito modo perficere nequeat.

¶ Agnoscendum verò, quod non licet subditis prælatorum vitam diffamare vel accusare aut reprehendere, si ipsimet crimiuosi sint, aut sine syncera charitatis affectione, sicut per plura capitalia patet. Secunda quæstion. septima videtur. Tamen si idonei sint possunt accusare prælatos ordinate & debito modo.

¶ Porro si aliquis ab aliquo in secreto quicquam accepit, nō licet illud reuelare in malum personæ illius, quia hoc contra fidelitatem esset si verò reueletur propter bonum commune, non est contra fideliratem. Nam contra illud nullum secretum licet recipere, eo quod bonū commune semper præferendum sit bono priuato.

2. ¶ Præterea, quoniam in accusatione criminis ipse accusator est pars, sic quod inter eum & reum iudex cōstituitur medius ad examen iustitiæ, in quo secundum certitudinem procedendum est, prout possibile est. Ideo rationabiliter est statutū, quatenus accusationes rediganrur in scriptis. Nam quæ verbo tenus referuntur, à memoria cito labuntur. Vnde secunda quæstione octaua dicitur. Accusatorū personæ sine scripto nunquā recipiātur. Ideoq; quod canō ait, per scripta nullius accusatio suscipiatur de absenti, qui accusationem mittit, intelligi debet. Propter ꝙ sec. quæsti. octaua habetur, nullus absens accusare potest, nec ab aliquo accusari.

3. ¶ Quoniam autem denuntiator se ad probandum non obligat, ideo denuntiatio in scriptis non ponitur.

¶ Præterea tribus modis fit accusatio vitiosa, sicut secunda q. tertia dicitur, scilicet per calumniā, prævaricationē tergiuersationem. Accusatio nanque ad bonū cōmune ordinatur.

¶ Dupliciter itaq; accidit in accusatione peccatum. Primo, quia aliquis alteri crimen falsè imponit, & hoc est calūniare. Si tamen ex malitia fiat, & non ex leuitate qua aliquis cito credit, vel ex iusto errore, cum omnia iudici relinquantur discernenda. Secundo contingit peccatum in accusatione ex parte reipublicæ, cuius bonum malitiosè quis impedit, punitionem peccati impediens. Quod rursus dupliciter accidit. Vno modo fraudem in accusatione miscendo, vtpote ludens cum reo, proprias probationes dissimulando, falsasq; accusationes admittendo, & hoc ad prævaricationē pertinet, dicitur namque prævaricator quasi variator, vtpote adiuuās partem aduersam prodit causa. Alio modo, toraliter ab accusatione cessando, quod ad tergiuersationem pertinere cōstat si inordinate desistat. Potest nanque dupliciter iniuste desistere. Primo, si in ipso processu se falsè accusasse cognouerit: & tunc reus & accusator se pari absoluunt consensu. Secundo si princeps accusationem aboleuerit.

4. ¶ Insuper, quoniam accusator contra reum pars constituitur, intendens pœnam illiusti deo merito pœnā talionis incurrit, si in probatione defecerit. Exigit enim æqualitas iustitiæ vt quis nocumentū quod alteri intērat, ipse sustineat, sicut scriptum est: Oculum pro oculo, dentem pro dente.

¶ Veruntamē cum inuoluntarium, peccatū diminuat, si iudex cognouerit accusatorē falsa dicere nō ex malitia, sed (vt dictum est) ex leuitate aut iusto errore, potest eum à pœna talionis absoluere. At verò qui alium male accusat, cōtra accusatum & contra rempublicā peccat, & ergo propter vtrunq; punitur. Potest autem accusatus ei pœnam dimittere, quam meruit ipsum accusans. Præsertim si non calumniosè accusa-

uit.

uit. Si vero ab accusatione desistit propter collusionem cum aduersario, facit iniuriã reipublicę, nec potest accusator iniuriam dimittere sed princeps, & quandoq; princeps dimittit falso accusatori pœnam, non delendo diffamiam, inerdũ verò diffamiam abolet. Vnde quod Gelasius papa ait. Quãquam animas per pœnitentiam saluare possumus, diffamiã delere non possumus, de diffamia facti accipi debet, vel quia quandoq; non expedit, vel loquitur de diffamia per iudicem ciuilem irrogata secundum Gratianum.

¶ An peccet homo mortaliter veritatẽ negans, propter quam damnaretur. 2. An se calumnioſe defendere liceat. 3. Vtrum liceat iudicium ſubterfugere appellando. 4. An condemnatus per violentiam defenſare ſe poſſit. Artic. 118.

QVoniam iudex superior est respectu eius quem iudicat: ideo accusatus tenetur ex debito iudici veritatem exponere, quã ab eo secundũ formam iuris exquirit. Et si dicere noluerit, vel mendaciter negauerit, mortaliter peccat, quia contra iustinę debitũ agit. Veruntamẽ si iudex non secundũ formam iuris aliquid exigit, non est necesse parere. Imò per appellationem vel aliter subterfugere licet, sed mentiri illicitum est.

¶ Rursus confessio proprij criminis cedit in glotiam dei, quemadmodum Iosue dicit. Fili mi da gloriã domino deo Israël, & confitere atque indica mihi quid feceris. Idecirco positum agere, dum ius requirit, charitati dei, cuius iudicii est, contrariatur, & est contra proximi dilectionem: quoniã accusator si in probatione defecerit punitur, est quoque ad iniuriam iudicis.

2. ¶ Præterea ex his innotescit quod non licet accusato se calumnioſe defendere. Nam veritatem quam secundũ formam iuris exigitur dicere, tacere non potest, videlicet cum sine aliquo crimine præcessit infamia, aut semiplena probatio, vel manifesta iudicia apparuerunt. Falsitatem quoq; proponere nullatenus licet. Vnde si his modis se accusatus defendat, scilicet veritatem non pandẽs cum tenetur, aut mẽdacium loquens, astute & doloſe procedit: quod est calumnioſe defendere. Potest tamen se defendere occultando veritatem quã dicere non tenetur cum nemo (secundũ Chrysostomum) teneatur seipsum prodere. Hoc autẽ est prudẽter euadere. Sed sciendum, quod secundum iura ciuilia licet in

causa sanguinis aduersarium corrumpere, nec adhibent pœnam se calumnioſe defendenti, quanuis secundum legẽ diuinam istud illicitum sit.

¶ Leges enim humanæ multa peccata mortalia impunita relinquunt cum non requirant ab homine omnimodam perfectionem, quæ etiam paucorum est, quale est veritatem nõ negare propter mortem instantem. Sed lex diuina omne malum condemnat.

3. ¶ Denique licitum est appellare confidenti causæ iustæ & qui à iudice iniustè grauatur, vt secunda quæstio. septima dicitur, hoc enim est prudenter euadere. Secũdo aliquis appellat timore, nec contra eũ iusta sententia proferatur, q; illicitũ est, quoniã hoc est se calumnioſe defendere. Vnde secunda quæſti. sexta dicitur: Omni modo puniẽdus est, cuius iniusta appellatio pronuntiatur. Licet quoq; appellare & ante sententiam & post, non tamen licet ad iniſidelem iudicem appellare: quia non præsumitur illic esse rectitudo, vbi vera fides deest, quanuis autem à iudice ordinario, nõ tamen ab arbitrarijs iudicibus appellare conceditur, niſi quando arbitrarius iudex est etiã ordinarius, tunc nanque ordinaria potestas videtur fuisse occasio quod arbiter est electus. Conceditur verò spacium decem dierum ad appellandum, videli, cet quod interim se quilibet deliberare potest an appellare expediat, nec conceditur tertio appellare, cum nõ sit probabile totiens à recto iudicio iudices declinare.

4. ¶ At verò sicut iniustè damnato licet, si assit facultas, se defendere atque resistere, sic iustè cõdemnato hoc ipsum nõ licet: quod autem dicitur de defensione iniustè damnati, intelligi debet niſi forte scandalum immineat, cum ex hoc grauius retretur damnario. Non autem tenetur reus in loco manere, vnde ad mortẽ duceretur, & vel si aliquis dãnatus est ad mortẽ famis, non peccat si cibum sibi occulte miniſtratũ manducet, quia cibum non sumere esset seipsum occidere.

¶ An homo teneatur ad teſtimonium ferendum. 2. An duorum vel trium teſtimonium ſufficiat. 3. Cur etiam à teſtimonio aliquis repellatur. 4. Vtrum falſum teſtimonium perhibere ſit peccatum mortale Artic. 119.

TEstimonium autem quãdoque quidem requiritur à subdito authoritate superioris, & tunc tenetur homo testati de his quæ ad iustitiam pertinẽt, si secũdum

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum formam iuris exigitur, vt in manifestis, & de quibus diffamia præcessit, de occultis verò & de quibus non præcessit infamia, non tenetur testimonium ferre.

¶ Interdum autem testimonium hominis à nullo superiori requiritur, & tunc distinguendum est, quia aut testimonium requiritur ad liberandum hominem de morte iniusta, diffamia, pœna, aut damno iniquo, tunc testari homo tenetur, & si eius testimonium non exigitur, debet tamen facere quod in se est, veritatem denuntiando alicui qui possit prodesse. Dicit namque Apostolus: Digni sunt morte, non solũ qui faciunt, sed etiam qui consentiunt. Vbi glosa dicit: Consentire est, tacere cum possis redarguere. In his verò, quæ ad condemnationem alicuius spectant, non tenetur quis testificari, nisi cum à superiori secundum ordinem iuris ad hoc ipsum compellitur. De his autem quæ homini in secreto cõmittũtur, sciendum, quod illa quandoque sunt talia vt statim cum agnita fuerint homo teneatur prodere ea, quemadmodum ea quæ bono communi contrariantur, siue in spiritualibus siue in corporalibus, vel quæ in alicuius personæ graue dãnum vergunt. Nam talia mox propalanda sunt testificando vel denuntiando, nec contra hoc debitũ obligare potest secreti commissum, quia in hoc frangeret fidẽ quam alteri debet. Alia demum sunt, quę homo manifestare nõ tenetur, & in talib⁹ fides secreti seruãda est, nec aliquo modo, imo nec superioris præcepto, talia prodi debẽt, quia alteri seruare fidẽ est de iure naturali, contra q̃ nihil præcipi potest ab homine. 2. Præterea, non est in omni materia æqualis certitudo experenda. Vnde in actibus humanis, in quibus fiũt iudicia & exiguntur testimonia, non est demonstratiua sed probabilis certitudo poscenda, quæ vt frequentius veritatẽ attingat. Est autem probabile quod dictum multorum verius sit quàm dictum vnius. Vnde cum reus sit vnius, si cum accusatore plures concordent, rationabile est vt ipsorum testimonio stetur. Vnde ergo cum omnis multitudo in tribus comprehendatur, scilicet principio, medio, & fine, & secundum Philosophum, Omne & totum in tribus ponimus, ideo quãdo cum accusatore duo concordant, habetur ternarius testium & sufficit, & si præter accusatorem sint tres, tunc certius est, quia funiculus triplex difficile rumpitur. Vnde si testes discordant in circunstantijs principalibus, quæ substantiam

tiam facti variant, scilicet loco, tempore, aut personis, non est eorum testimonium efficax. At verò quod secunda quæsti. septima dicitur. Præsul non damnetur nisi septuaginta duobus testibus. Presbyter autem cardinalis, nisi quadraginta-quatuor testibus non deponitur, specialiter locum habet in episcopis presbyteris, Diaconibus, & Clericis Ecclesiæ Romanæ. Propter eius dignitatem, & hoc triplici ratione. Primo quia in ea tales debent institui, vt eorum sanctitati magis credatur quàm testimonium plurium. Secundo quia homines qui alios iudicare habent, multos passim aduersarios habent propter iustitiam, ideoq; contra eos testibus credi nõ conuenit, nisi magna multitudo conueniat. Tertio quia ex condemnatione alicuius eorum, derogaretur in opinione hominũ dignitati illius ecclesiæ & authoritati, quod periculosius est quàm in ea tolerare aliquem peccatorẽ nisi valde grauem, de quo scandalum magnum procederet.

3. ¶ Denique repelluntur à testimonio homines, & propter culpam & sine culpa. Testimonium enim ordinatur ad probabilem certitudinem, & ergo quod talis certitudinis impeditiuum est, facit hominem inidoneum ad testandum, quod quandoque venit ex culpa, & sic infideles & infames, & publico crimine rei accusare vel testari non possunt, interdum quoque est sine culpa, & hoc vel ex defectu rationis, & sic pueri & amentes & mulieres repelluntur, aut ex affectu, vt de amicis & cognatus arque domesticis patet, vel ex exterioris cõditione, & ita serui & pauperes, & quib⁹ imperari potest à testimonio refutantur, quia de illis probabile est quod facilitèr possunt induci ad testandum quod falsum est.

4. ¶ Porro testimonium falsum triplicem deformitatẽ sortitur. Primo ratione petiuri, quia testes non admittuntur nisi iurati, & ex hac parte testimoniũ falsum semper est mortale peccatum. Secundo ratione violationis iustitiæ, & sic est peccatum mortale ex genere, sicut & omnis iniustitia, & in præcepto prohibitum. Tertio ratione falsitatis, & sic est semper peccatum, non tamen semper mortale, sed in testando nihil pro certo asseri debet nisi quod certum esse constat. Si autem ex instabilitate memoriæ æstimet quis se scire pro certo, quod tamẽ aliter est, non peccat mortaliter certiuè testando. Si tamẽ cum debita solicitudine inde præcogitet, tunc enim non dicit falsum per se seu ex intentione, sed magis per accidens.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dens. In falso quoque iudicio, falsum testimoniū perhibere, nō est peccatum mortale nisi ratione periurij, quia mendacium quod nulli nocet & alicui prodest, officiosum est.

¶ Vtrum aduocatus teneatur præstare patrocinium causæ pauperum 2. An etiam aliquis arcendus est ab aduocati officio. 3. Vtrū aduocatus peccet causam iniustā defendens. 4. An peccet pecuniā pro suo patrocinio sumens. Articu. 130.

PRæstare patrocinium cautæ pauperum, ad opus misericordiæ pertinet: ideoque hic respondendum est de hac subuentione, sicut superius de alijs misericordiæ operibus dictum est, vt scilicet, quia secundum Augustinum primo de doctrina Christiana, homo omnibus prodesse non possit, his potissimè consulat, qui sibi pro loco rum vel temporum, aut quarumlibet rerū necessitatibus, & strictius quadam sorte iunguntur. Vnde aduocatus non tenetur semper causæ pauperum patrocinium præstare, sed solùm prædictis conditionibus concurrentibus. Non enim tenetur terras circuire indigentes quærendo, vel tempore præoccupando. Sed eis qui sibi occurrunt, succurrere debet si præsens assit necessitas. Primo debet succurrere magis coniunctis, sicut Apostolus docet prima ad Timot. 5. quibus cōcurrentibus restat pensandum, an aliquis tantā necessitatem sustineat, quod in promptu non est vnde sibi aliunde succurri queat, & tunc debitum est opus impendere misericordiæ: si verò in promptu apparet, quomodo pauperi aliter subueniri valeat, vel à seipso, vel à persona magis coniuncta seu potentiori, non tenetur succurrere homo indigenti & sicut bene facit sic subuenit, sic non peccat si non succurrit.

2. ¶ Præterea, aliquis impeditur ab opere aliquo dupliciter. Primo propter impotentiam, & tunc simpliciter impeditur. Secundo propter indecentiā, & sic non impeditur simpliciter, quia necessitas præfertur indecentiæ, pariformiter ab officio aduocati quidam prohibentur propter impotentiam, sicut furiosi, impuberes, surdi & muti, alioqui autem propter indecentiam, & hoc dupliciter. Primo quia maioribus deputatur officijs, & ergo monachos & presbyteros in nulla causa decet esse aduocatos. Sed nec clericos in seculari iudicio. Secundo propter defectum personę, vel corporalem vt cæcum qui conuenienter astare iudici nequit: vel spiritualem, & sic infideles & infames, & publice criminosi atque damnati, ad

uocati officium decenter exequi non possunt nisi necessitas exigat vel pro seipsis vel sibi coniunctis, & ergo clerici pro suis ecclesijs possunt esse aduocati, & monachi pro causa monasterij, si abbas præcipiat.

3. ¶ At verò cū eiusdē malitiæ sit, peccatū patrare, & coopetari vel assentire: ideo si aduocatus sciēter causam iniustā defendat, grauiter peccat, & ad restitutionē dāni partis aduersę tenentur, quod illa suo patrocinio incurrit, si autē ignorāter hoc agit, excusatur eo modo quo ignorantia excusari valet.

4. ¶ Amplius pro illorum exhibitione, quæ homo alteri iuste non debet, recompensationem accipere non contrariatur iustitiæ, aduocatus autem nō semper tenetur patrocinium aut consilium dare. Ideoq; si ea vendat nō peccat, & eadem ratio est de medico operi sanitatis ferente atque omnibus alijs personis similibus, dum tamen moderate accipiāt, pensatis, videlicet conditione personarum & negotiorum laboris, & consuetudine patriæ. Si autē inordinate quicquā extorquent, ad restitutionem tenentur, & licet scientia iuris sit bonum spirituale, tamen vsus eius sit opere corporali.

¶ Veruntamē secundum Augustinum non debet iudex vendere iustum iudicium, nec testis verum testimonium, nā iudex & testes sunt personę cōmunes parti vtriq;, & ideo iudicibus sunt de publico stipendia laboris statuta, testes quoq; accipiunt laboris stipendium, non testimonij præcium.

¶ Quid sit contumelia. 2. An sit semper peccatum mortale. 3. Vtrum oporteat contumeliosos reprimere 4. De causa contumeliæ. Articulus 131.

DEniq; cōtumelia inhonorationem alterius importat, honor autem excellētiam sequitur, & ergo dupliciter aliquis inhonoratur. Primo, cum excellentia sua priuatur. Secundo cum aliquis ad aliorum notitiam ducit per quæ honor auferatur alicui: hoc propriè ad cōtumeliam pertinet, quod quidem per signa aliqua fieri cōstat, & quia verba primum locū obtinens inter signa, ideo contumelia in verbis proprie cōsistit. Nam secundum Isido. est contumeliosus dicitur, quia velox est & tumet verbis iniurię.

2. ¶ Præterea, verba contumeliæ non inferunt nocumentū neque conuitium inquantum sunt soni, sed prout significant aliquid: quæ vtique significatio ex interiori affectu procedit. Propterea in significatione & culpa verborū summe perpen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dendum est, quo affectu homo verba profert, si itaque intentio hominis verba proferentis & pronuntiantis sit, alterius honorem auferre, tunc contumelia non est minus peccatum mortale quàm rapina & furtum, & istud est propriè atq; formaliter contumelia. Si verò quis verba contumeliæ proferat non intentione aliquam dehonestandi, sed perpetrationem aut aliquid simile, tunc non est propriè contumelia, nec per se, contuitum, sed quasi materialiter, & sic potest esse peccatum veniale, & etiam sine omni peccato, sed circa hoc est discretio necessaria, quatenus homo talibus verbis moderate vtatur, quoniam posset esse tam graue conuitium, quod præter intentionem dicentis auferret honorem alterius, & sic per incautelam prolatum, posset esse mortale peccatum. Vnde Augustinus ait: Raro & ex magna necessitate obiurgationes sunt adhibendæ, in quibus non vt nobis sed domino seruiatur instemus. Sic ergo innotescit, quod verbum Christi ad discipulos, O stulti & tardi corde ad credendum Apostoli quoque: O insensati Galatæ, non fuit contumelia formaliter & propriè.

3. ¶ Insuper sicut necessaria nobis est patientia contra iniurias factorum, sic & contra iniurias verborum, & vtraque intelligenda est in præparatione animi vt sit homo paratus etiam pati si expediens est, quandoque tamē iniuriam verbi, seu contumeliam oportet repellere propter duo. Primo propter bonum contumeliam inferentis, quatenus audacia eius reprimatur. Dicit enim Salomon: Respondē stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. Secundo propter bonū multorum, & præsertim subditorum, quorum profectus impeditur si contumelia illata non reprimitur, & ergo (secundū Gregorium) debent prælati detrahentium verba si possunt compescere, ne ipsorum doctrina vilescat in animo subditorum, quæ tamen repressio moderata esse debet, & ex officio charitatis, non ex cupiditate priuati honoris descendere.

4. ¶ Amplius, cum vnum peccatum ex multis possit oriri, ex illo tamen principalius nascitur, ex quo frequētius proceditur propter propinquitatem ad finem ipsius. Finis autem iræ est vindicta. Sed nulla vindicta est, homini magis in promptu, quàm inferre contumeliam. Vnde elucescit, quod ira est pro prie ergo contumeliæ, non tamē superbia, sed ipsa dispositio ad contumeliam, inquantum superbi se alijs superiores existimant,

stimat, atque ob id eos facilius spernunt, & iniurias irrogāt, ex quo nanque irascuntur. Vtpote, reputantes indignum quicquid contra ipsorum voluntatem agitur. Vnde in Proverbijs dicitur: Vbi superbia, ibi contumelia. Et iterum scriptum est: Stulti miscentur contumelijs, nam ita comparatur stultitiæ eo quod tamen rationem perfectè non audiat.

¶ Quid sit detractio. 2. An sit peccatum mortale. 3. De comparatione eius ad alia vitia. 4. Verum detractionem audiens peccet. Artic. 132.

QVemadmodum aliquis facto alteri dupliciter nocet videlicet aperte, vt in rapina vel quacunq; violētia: & occulte, vt in furto & percussione dolosa: sic verbo aliquis dupliciter lædit. Vno modo in manifesto, & hoc fit per contumeliam. Secundo modo in secreto, & hoc fit per detractionem. Est nanque detractio denigratio alienæ famæ per verba occulta.

¶ In hoc verò quod aliquis publicè alteri conuiciatur, paruipendere eum videtur, & ergo contumelia tendit in inhonorationem alterius. Sed qui de aliquo in occulto mala loquitur, potius timere quàm paruipendere eum videtur, & ideo detractio directe infert detrimentum famæ, inquantum audientes facit detractor malam opinionem habere de illo cui obloquitur. Dicitur autem homo detrahere, nō quia semper de veritate diminuat, sed quia quantum in se est, alterius famam ex intentione corrumpit, vel directe vel indirecte. Dicitur esse quadrupliciter. Primo quando imponit alteri falsum. Secundo quando peccatum verbis suis adauget. Tertio quādo occultum reuelat. Quarto dum illud quod bonum est, asserit mala intentione factum. Indirectè autem vel negando bonum alterius, vel malitiosè reticendo.

2. ¶ Præterea, secundum prædicta, peccata verborum sunt maxime iudicanda ex intētione dicentis, cū ergo detractio ordinetur ad denigrandū alterius famam, ille formaliter detrahit, qui ob hoc de aliquo, eo absente mala dicit, quatenus eius famam commaculet, quod valde est graue. Nam inter res temporales videtur fama pretiosior esse, per eius quippe defectum impeditur homo à multis bonis agendis, & ergo in Ecclesiastico dicitur: Curam habe de bono nomine, hoc enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim permanebit tibi quã mille thesauri magni & precios. Ideoq; detractio per se loquẽdo est peccatũ mortale. Potest tamen aliquis verba proferre, per quæ alterius fama viciatur præter suã intentionem, & hoc nõ est formaliter detrahere. Si ergo dicat talia verba propter aliquod bonum vel necessarium, & præsertim propter bonum iustitiæ publicæ, non est peccatum neque detractio, dummodo debitæ circunstantiæ obseruentur: si autẽ talia dicat ex animi leuitate, non est mortale peccatum, nisi forte quod dicitur sit adeo graue, quod notabiliter famam alterius maculat, & præcipuè in his, quæ honestatem vitę concernunt. Tunc enim ex ipso genere verborum, habet rationem peccati mortalis, teneturque homo ad restitutionem famæ, secundum modum prætactum, cum de restitutione ageretur. Et quemadmodum contumelia oritur ex ira, sic detractio ex inuidia secundum Gregorium, & inducit quoque detractio exercitatem mẽtis, quia quo aliquis amplius detrahit, eo (secundum Gregorium) veritatẽ minus videre potest, homo enim naturaliter delectatur in sententia propriis otiis, & sic quod semel asseruit verius reputat.

3. ¶ Potro peccata quę in proximum fiunt, secundum nocumenta quæ inferunt pensanda sunt, & quę maiys bonum tollunt, grauius nocumentum infligunt. Est autem triplex bonum hominis, scilicet animæ, & corporis, exteriorumque rerum. Bonum verò animæ (quod vtique maximum est) auferri nõ potest nisi occasionaliter, scilicet per malã suasionem, quæ necessitatem nõ infert. Sed alia duo violenter ab aliquo tolli possunt, & quoniam bonum corporis maius est exterioribus rebus, propterea peccata quibus bono corporis infligitur nocumentum, grauiora sunt his, quę damnum rerum inducunt, propter quod homicidium maximum est inter ea, & post hoc adulterium, quod est contra debitum ordinem generationis humanæ inter exteriora. Denique bona famæ dignitys præeminet, quia spiritualibus bonis propinquior est. Dicitur enim in libro Prouerbiorũ: Melius est nomẽ bonum quàm diuitiæ multæ. Et ergo detractio ex genere suo est maius peccatum quàm furtum, sed maius quàm homicidiũ aut adulterium. Contumelia quoque est grauius peccatum quã detractio, inquantum maiorem contemptum alterius continet, sicut & rapina petor est furto.

4. ¶ At vero, quia non solùm qui mala agũt, sed insuper qui eis

eis consentiunt morte sunt digni, maximè si directè consentiunt, vel inducendo, vel in peccato alterius complacendo: ideo qui detrahentem sine resistentia audit, ei consentire videtur, & sic particeps culpæ, & si aliũ ad detractionẽ placet propter odium alterius, non minus peccat quàm detrahens, & quandoque magis. Dicit enim Bernardus: Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim. Interdum verò aliquis peccanti cõsentit indirectè, quando videlicet peccatum non placet, non tamen pro posse resistit, forte propter timorem aut similem causam. Si ergo audiens detractorem peccato non consentiat, sed ex negligentia aut timore, seu verecundia non eum repellit, peccat quidem, sed minus quàm detrahens: plerumq; enim venialiter peccat. Posset tamẽ hoc ipsum esse mortale, videlicet propter officiũ quo aliquis alios tenetur corrigere, vel propter periculum consequens, aut propter radicem seu causam: nã timor humanus esse potest quandoque mortale peccatum. At verò si quis detrahentem verbis non arguit, debet saltem eum arguere signo, ostendendo tristitiam vultus, aut alio cõuenienti iudicio. Vnde in Prouerbijs habetur. Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem.

¶ De distinctione susurrationis & detractionis 2. Vtrum horum sit grauius 3. De distinctione irrisionis ab alijs vitijs 4. De derisione. Artic. 133.

SVsurratio denique atq; detractio, in materia & modo seu forma loquendi conueniunt, quia vtrumque malũ de proximo occulte dicit, vnde frequenter vnum pro alio ponitur, sed differunt in fine. Detractor nanque famam proximi cupit denigrare. Susurro autẽ amicitiam amicorum intendit corrumpere: seminando discordantias, propter quod scriptum est: Susurratore subtracto, litigia cõquiescunt. Susurro namque non intendit simpliciter malũ de alio dicere, sed quicquid animum hominis ad alterius odium potest conuertere: & ergo susurro propriè quoque bilinguis vocatur, quia duabus vtitur linguis inter duos, dicens de quolibet malum in aure alterius.

2. ¶ Ex quibus patet, quod susurratio est peius peccatũ quã detractio, tollit enim maius bonum, puta amicum qui inter alia exteriora præeminet. Scriptũ est enim: Amico fideli nulla est comparatio: & quia melius est amari quàm honorari,

 secun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

secundum philosophum octa. Ethicorum: Idcirco susurratio est etiam maius peccatum aut crimen quàm contumelia.

3. ¶ Præterea, quoniam peccata verborum secundum intentionem loquentis pensantur, ideo peccatum irrisionis à præ dictis peccatis distinguitur, habet enim finem specialē, vide licet vt irrisus erubescat.

¶ Irridetur enim homo de re turpi, & differt irrisio à subsannatione, quia irrisio fit ore atque cachinnis. Subsannatio autem naso rugato, & infert irrisio specialē nocumentum proximo, inquietat enim detisor conscientiam alterius, & pacem eius perturbat.

4. ¶ Amplius detisio non est nisi de malo aut defectu alterius, malum verò si magnum est non pro ludo sed seriosè accipitur. Ideo si magnum malū in ludum seu risum vertatur, hoc non est nisi quia accipitur tanquam paruum, vel ratione rei, scilicet secundum se, vel ratione personæ: quorū primum est paruum & veniale peccatum, quādo videlicet malum in se paruum est, & in risum auertitur, quia modicum est. Sed secundū respectum quorundam vtpote puerorum vel stultorum, paruum ponderandum videtur. Sed quando malum hominis pro ludo habetur ratione personæ, eo quod persona in tantum paruipenditur ac vilis habetur, tanquam de malo eius curandum non sit, sed pro ludo habendum: sic detisio est mortale peccatum grauiusque quàm contumelia. Nam contumeliosus accipit malum alterius seriosè, irrisor autem illusorie & velut pro nihilo. Vnde tanto est irrisio grauior, quanto personæ quæ illuditur, amplior irreuerentia exhibetur. Vnde irrisio dei grauissima est. Secundo parentum, detestatorum. Irrisio tamen secundum suam rationem cōmunem: est leuius malum quàm detractio vel contumelia, quia non includit contemptum sed ludum, sed interdū habet maiorem contemptum, vt dictum est.

¶ *An liceat maledicere homini. 2. An irrationali creaturæ. 3. Verum maledictio sit peccatum mortale. 4. De comparatione eius ad alia vitia. Artic. 14.*

MAledicere autem nihil aliud sonat quàm malum alicui dicere, quod tripliciter accidit. Primo per modum simplicis enunciationis, & sic maledicere est malum alterius referre, quod ad detractionem pertinet, & per verba indicatiui modi efficitur. Secundo dicere se habet per modum causę ad id quod dicitur, quod deo præcipuè competit, qui omnia verbo produxit. Secundario quoque hominibus conuenit, qui alios per modum imperij ad aliquid operandum inducunt, ad quod instituta sunt verba modi imperatiui. Tertio dicere habet se ad id quod dicitur quasi expressio affectus, id quoq; verbo profertur desiderantis, quod fit per verba optatiui modi. Prætermisso itaque primo modo, de alijs duobus sciendum, quod eadem ratio boni & mali est in affectu volentis aliquid agere, & in ipso eius effectu. Propter quod in his duobus modis pari ratione aliquid est licitum atq; illicitum. Si ergo quispiam malum alterius optet vel imperet inquātum est malum, quod est proprie maledicere: sic vtroq; modo maledicere est illicitum. Si verò optet aut imperet alteri sub ratione boni vel iusti, sicut Iudex maledicit reo, pœnam ei iustam infligens: vel vilis, velut si quis optet alium infirmari quatenus cesset à malo, aut purgetur à culpa tunc est maledictio licita. Sed istud nō est formaliter & propriè maledicere, quia non intendit malū finaliter, sed materialiter, & quasi per accidens. Vnde patet, quod diabolus & peccator ratione culpæ maledici possunt.

2. ¶ Porro benedicere & maledicere propriè non conueniunt nisi rationali creaturæ, irrationalibus verò secundū ordinem quem habent ad eam, ordinantur autem ad eam multiformiter. Primo per modum subuentionis ad succurrendū necessitati humanæ, & secundum hoc maledixit Deus terræ quemadmodum in Genesi dicitur. Maledicta terra in opere tuo, quia per eius sterilitatem homo affligitur: sic quoq; (secūdum Gregorium) maledixit Dauid mōtibus Gelboē. Secundo per modum significationis, & sic Christus maledixit ficui nec in significationem Iudææ. Tertio per modū coniunctionis, videlicet loci aut temporis, & sic Iob maledixit nativitati suæ diei propter culpam originalem ac pœnalitates cōsequentes, quas in ea cōtraxit, & ita potest intelligi Dauid maledixisse montibus Gelboē propter cædem populi Israël. Maledicere autem irrationalibus rebus inquantum sunt creaturæ Dei, est crimen blasphemiæ. Maledicere autem eis secundum se consideratis, est otiosum & vanum, & ex consequenti illicitum, sed nec diabolo inquantum est creatura Dei maledicere fas est, quemadmodum in Canonica Iudę habetur: Cum Michaël cum diabolo de Mosi corpore altercaretur, nō

 est ausus

est ausus iudicium inferre blasphemiæ, id est, maledictionis secundum Glosam: Maledictio enim creaturæ inquantū est creatura, redundat in creatoris iniuriam, & sic maledictio habet per accidens rationem blasphemiæ.

3. ¶ Denique alicui malum sub ratione mali imperãdo, aut optando velle, directè charitati repugnat. Ideo maledicere propriè sumptum ex suo genere est mortale peccatum. Nã & Apostolus, neq; maledici (inquit) neque rapaces regnum Dei possidebunt. Veruntamẽ maledictio venialis esse potest vel propter paruitatem mali quod quis alteri imprecatur, vel propter affectum dicentis, vt si exludo, surreptione, aut leui motu verbum maledictionis quis proferat, quia peccata verborum (vt dictum est) ex affectu præsertim pensantur.

4. ¶ Insuper, malum est duplex, videlicet culpæ pœnæ, & malum culpæ peius est malo pœnæ, & ergo dicere malũ culpæ, peius est quam dicere malum pœnæ, dummodo sit idem modus dicendi. Ad contumeliosum verò, susurronem, detractorem, ac derisorem spectat dicere malum culpæ, ad maledictionem autem malum pœnæ, & non malum culpæ, nisi sub ratione pœnæ, sed non est in his idem modus dicendi, quia ad quatuor prænominatos pertinet dicere malum culpæ solum enunciando: per maledictionem verò dicitur malo pœnæ per modum causæ, & optando vel imperando. Sed grauius est (cæteris paribus) nocumentum inferre quàm illud alteri desiderare, vnde detractio secundum communem rationem grauior est maledictione solùm affectum experimente inquantum denunciatio detractoris alteri nocumentum infert. Sed maledictio, quæ fit per modum imperij cum habeat rationem causæ, potest detractione grauior esse, si maius malum inferat quàm est denigratio famæ vel leuior, si minus malum intulerit, & illa sunt dicta secundum ea quę pertinẽt ad rationem vitiorum istorum, nam per accidens ista vitia augeri & minui possunt.

¶ Vtrum liceat aliquid vendere pluris, quàm valet 2. Deinde ex ipsa venditione ex parte rei venditæ 3. An teneatur venditor dicere vitium rei venditæ 4. An liceat negotiando rem pluris vendere, quàm est empta.

Articulus 135.

FRandem autem adhibere ad hoc quod aliquid plus iusto precio vendatur, omnino peccatum est, cum vergat in damnosam proximi deceptionem. Vnde Tullius ait libro de officijs: Tollendum est à rebus contrahendis omne mendacium. Si verò fraus desit, tunc de venditione & emptione dupliciter loqui contingit, videlicet secũdum se inquantum pro communi vtilitate inducta est prout emens eget re vendentis & econtra. Quod autem in communem vtilitatem ordinatur, esse non debet magis in grauamen vnius quàm alterius, & ergo instituẽdus est in illis secundũ æqualitatem contractus, quæ secundum præcium datum mensurantur, ad quod nummisma inuentum est. Vnde si præcium excedat rei valorẽ aut econtra, tollitur æqualitas iustitiæ, & ob hoc carius vendere, aut vilius emere, est secundũ se illicitum atq; iniustum. Secundo de emptione ac vẽditione possumus loqui, prout per accidens cedit in vtilitatem aut detrimentum alterius, vt cùm quis indiget re aliqua, & alius læditur si careat ea, & in hoc casu preciũ pensandum est, tã ex parte rei quàm damni vendentis, & ita vendi potest aliquid plus quàm valet secundum se, non tamen plus quã valet habenti. Si verò aliquis multum adiuuetur ex re alterius, & ille non damnificatur ea carendo, non debet eam superuendere, sed emens potest aliquid vẽdenti supererogare, & istud secundum legem diuinam intelligendum est, quæ omnem iniustitiam vetat, & nihil impunitum relinquit, teneturq; secundum eam, qui plus habet, alteri recompensare, lex autem ciuilis data est populo qui à perfectione virtutis deficit, & ipsa ordinatur ad socialem hominum vitam, eaque prohibet quæ illam corrumpunt, vnde ipsa admittitur vt venditor fraude emẽtem decipiat, sic tamen vt vltra dimidiam iusti precij quantitatem nullus fallatur. Nã si vltra falleretur, cogeretur venditor ad restitutionem.

2. ¶ Præterea, circa rem quæ venditur, triplex esse potest defectus. Vnus secũdum speciem rei, vt si offeratur aurichalcũ pro auro. Alius secundũ quantitatem mensuræ & vtraq; venditionum istarum iniusta est atq; illicita, si venditor defectũ cognoscat. Tertius est defectus ex parte qualitatis, vt si debile pro sano vendatur, & hæc quoq; illicita est, teneturq; venditor in fraudibus ad restitutionem. Si verò venditor defectũ ignorat, à peccato excusatur sed non à restitutione. Et quod de vẽditione dictum est, de emptione similiter accipi debet. Nam si venditor putet rem suam minus pretiosam quã est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

emptor teneatur ei damnum recompensare cum nouerit.

3. ¶ Ex quibus elicitur, quod venditor teneatur defectus seu vitia rei venalis emptori exponere, maxime si sint occulta. Aliter enim daret ei occasionem damni vel periculi, quod semper illicitum est. Sed sciendum, quod vitium rei facit rem pro præsenti minoris esse valoris quàm apparet. Et ergo apparet, quod si quis sciat triticum, aut simile aliquid, in futuro minoris debere esse valoris, propter superuentum negotiatorum, possit ante aduentum istorum triticum vendere secundum cursum præsentem, nec teneretur hominibus futurum mercatorum aduentum prædicere. Et istud de reuelatione vitij rei vendendæ Ambrosius asserit ter. de offic.

4. ¶ Denique negotiatoribus competit commutationibus rerum insistere. Est autem cõmutatio duplex. Vna, videlicet naturalis & necessaria quę œconomicis & politicis maximè conuenit: inquantum domui aut ciuitati sibi commissę necessaria procurant & prouident. Alia verò est commutatio non propter necessitatem vitæ, sed causa lucri quærendi, quæ proprie negotiatores concernit, & iustè vituperatur, quoniam cupiditati quæ finem nescit, deseruit: vnde quia negotiatio secundum se accepta non importat finem honestum, quãdam turpitudinem & speciem mali habet: clerisq; interdicitur, secundum Hieronymum. Veruntamen cum ex sua ratione nil vitiosum aut virtuti contrarium dicat, potest lucrum tale ad finem honestum, videlicet sustentationem propriæ domus aut boni communis referri, sic quod finis vltimatus negotiatoris non est lucrum, sed aliud bonum, & tunc negotiatio ad mitenda videtur, non aliter, & sic verbum Chrysostomi intelligi debet. Potest tamen interdum sine peccato pluris vendi quàm empta est, vtpote si eam quis meliorauerit, vel præcium eius secundum diuersitatem loci vel temporis immutatum est, aut propter periculum cui se exponit transferendo de loco ad locum: seu propter laborem, quem habuit. Vnde plus recipiendo quàm exposuit, præmium sui laboris videtur accipere.

¶ *De vsura 2. An liceat quantumque recompensationem accipere pro mutuo 3. Verum etiam homo teneatur restituere quod de pecunia vsuraria iniusto lucro lucratum est 4. An liceat accipere mutuo pecuniam sub vsura. Articulus 136.*

Cognoscendum

COgnoscendum præterea, quod quarundam vsus, est earundem consumptio, sicut cibi & potus vsus est commestiuus, & etiam pecunia quæ ad hoc secũdum philosophum inuenta est, vt commutationes inter homines fiant, propter quod vsus pecuniæ est eius distractio, seu pro rebus acquirendis expensio. Itaque in talibus rebus non computatur seorsum res & vsus eius, nec licet vnũ sine altero concedi, & idcirco in talibus per mutationem transfertur dominium. Qui ergo illis seorsum vendit rẽ & vsum rei, vendit bis idem, vel vendit illud quod non est, scilicet vsum, propter quod pro pecunia mutuata vsuram accipere, contrariatur æqualitati iustitiæ.

¶ Aliæ verò sunt res quarum vsus non est cõsumptio, vt vsus domus est inhabitatio non dissipatio. In talibus autem non transfertur dominium. Sed potest vtrumque seorsum concedi, quemadmodum in locatione patet. Veruntamen Iudæis permissa erat vsura quantum ad extraneos, non tãquam per se licita, sed ad maius malum vitandum, videlicet ne à fratribus suis dominum colentibus illam acciperẽt, nam semper ad auaritiam proni fuerunt. Est autem vsuraria acquisitio, secundum Aristotelem primo politicæ, maximè præter naturã, & quamuis leges ciuiles eam admittãt propter communem hominum vtilitatem, ne pejora contingant, tamen ipsimet testantur quod res illæ, quę vsu consumuntur, neque ratione naturali, neque ciuili recipiunt vsufructum, & senatus non fecit earum rerum vsufructum, neque enim poterat, sed quasi vsufructum constituit, concedens secundum vsuras.

¶ At verò vasa argentea atque similia, sub pretio cõcedi possunt, sicut & domus, quoniam vsus earum non est rei cõsumptio, sed vtilitas aliqua. Veruntamen secundarius vsus vasorũ. Posset esse consumptio, & talẽ vendere vsum nõ licet, quemadmodum etiam esse potest alius secundarius vsus pecuniæ, quàm distractio, vt si quis concedat pecuniam signatam ad ostentationem, seu ad ponendum loco pignoris, talem enim vsum pecuniæ vendere hominem licet.

2. ¶ Porro secundum Philosophum quarto Ethicorum: Omne, cuius præcium æstimari potest pecunia, habetur pro pecunia. Vnde sicut non licet pro pecunia mutuata pecuniam accipere ex pacto expresso vel tacito: sic nec aliam quamcunque recompensationem, quæ æstimari potest pecunia, recipere licet

Universidad de Deusto
Biblioteca

re licet pro mutuatione rei, cuius vsus consumptio est. Et ergo sicut non licet accipere munus à manu, sic nec munus à lingua, nec munus ab obsequio. Potest autē aliquis pecuniā suam mercatori vel artifici cōmittere sub pacto lucri, quod scilicet illi acquirunt cum vsu pecuniæ, illi enim recipiunt eā cum periculo domini committentis, nec transfert committens dominium pecuniæ suę in illos, sed per modum societatis cuiusdam committit eam illis, & ergo lucri inde venientis potest particeps fieri.

¶ Et aduertendum, quod rem carius vendere propter dilationem soluendi, vel vilius emere propter anticipationem solutionis, vsurarium est, quia dilatio & anticipatio illæ rationē mutui habent.

3. ¶ Insuper res quatū vsus consumptio est, vsu fructū non habent, & ergo si talia sint per vsuram extorta, videlicet pecunia, vinum, triticum, &c. non tenetur homo nisi ad restitutionem extorti, nam quod de tali re acquisitum est, non est fructus huius rei, sed humanæ industriæ, nisi forte per detentionem talium rerum aliter damnificetur, tunc enim ad recompensationem damni detentor tenetur. Aliæ dæmū sunt res, quarum vsus non est earum cōsumptio: vt domus, ager, &c. & hæ habent vsū fructum, idcirco, qui alteri tale aliquid extorsisset per vsuram obligaretur, non solum res illas reddere, sed etiam fructus earum.

4. ¶ Amplius, nequaquam est licitum aliquem ad peccandū inducere, sed malo atque peccato alterius in bonum vti est licitum, nam & Deus peccatoribus vtitur ad bonum, dum ex eorum malis elicit bonum. Vnde Augustinus, Publicolæ, quærēti an licet vti iuramēto per falsos deos iurantis in quo iurans peccat, falsis dijs diuinam reuerentiam exhibens, respōdens quod vtens iuramento iurantis per deos falsos ad bonum, peccato illius se non sociat, quo per dæmonia iurat, sed bono eius pacto quo fidem seruaret. Peccaret autem si illum induceret ad iurandum per deos falsos, sic quoq; in proposito dicendum, quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub vsuris, licet tamen ab eo, qui vsuras paratus est exercere, accipere mutuū sub vsuris propter aliquod bonum, videlicet propriam necessitatem subleuandum, aut certe alterius, sicut etiā licet ei qui in latrones incidit, manifestare bona quæ habet, quatenus mortem euadat.

¶ Itaque

¶ Itaq; qui ab vsurario mutuum accipit, peccato vsurarij non consentit quia nec vsura sibi placet. Nec dat vsurario occasionem vsuram agendi, sed mutuādi, ille verò ex cordis proprij malitia, occasionem trahit vsuræ, propter quod scandalū passiuum vsurarij non est ex parte petentis. Nec propter tale scandalum vitandum tenetur petens non quærere mutuum, quo uiam scandalum vsurarij non est ex infirmitate aut ignorantia, sed malitia. Pariformiter licet pecuniam apud vsurarium ponere, non vt ille inde vsuras committat, sed vt tutius cōseruetur, & hoc maximè verum est si vsurarius aliunde non habeat materiam exercendi vsuram.

¶ De partibus integralibus iustitiæ 2. An transgressio sit speciale peccatum 3. An omissio sit speciale peccatum 4. De comparatione quoque earum. Articulus 137.

PArtes autem integrales iustitiæ sunt facere bonū & vitare malum, non tamen loquendo de bono & malo in communi. Sic enim hæc duo ad omnē spectant virtutem. Sed accipiēdo bonum sub speciali proprietate, videlicet sub ratione debiti, malum autem secundum quod est nociuum. Iustitia autem (vt ostensum est suprà) vno modo est virtus generalis, & tunc hæc duo sunt partes generales eius, prout bonum accipitur sub ratione debiti, in ordine ad communitatem vel deum, malum autem per modum oppositum.

¶ Alio modo iustitia specialis est virtus, & tunc duo prędicta sunt partes ipsius, sumendo bonum inquantum est debitum quo ad proximum, & vitare malum secundū quod proximo est nociuum. Dicuntur autem hæc duo partes integrales iustitiæ, quoniam ad perfectum actum iustitiæ requiruntur. Iustitiæ nanque est, æqualitatem cōstituere in his, quæ sunt ad aliquem quod fit faciendo bonum, pertinet quoque ad eam æqualitatem conseruare, quod fit vitando malum & sumitur hic vitare malum declinare à malo, nō pro pura negatione, sed pro motu voluntatis malum repudiantis. Sed facere bonum est principalis actus iustitiæ, dans ei completam rationem specificam.

2. ¶ Deniq; transgressio est qua quis terminū seu præfixum trāscendit, terminus autem in moralibus præfigitur homini per præceptum negatiuum, quo iubemur non progredi vltrà quàm lex continet, quod omni peccato commune est, materialiter

Universidad de Deusto
Biblioteca

rialiter loquendo. Sed loquēdo formaliter de transgressione videlicet secundum hunc specialem rationem quod est facere contra negatiuum præceptum, est speciale peccatum, tum quia opponitur speciali virtuti, puta iustitiæ, tum quia distinguitur à vitio speciali, quod est omissio, quæ est contra præceptum affirmatiuum.

3. ¶ Vnde aduertendum, quod omissio proprie est prætermissio boni debiti, scilicet prout bonum ad iustitiam pertinet. Ideoq; eo modo quo iustitia est specialis virtus & omissio speciale exsistit peccatum, & rursus eo modo quo facere bonum est specialis pars iustitiæ, omissio à transgressione distinguitur. Est autem omissio non originale, sed actuale peccatum videlicet per reductionem, secundū quod negatio ad genus actus reducitur.

4. ¶ At verò peccatum transgressionis, est grauius peccato omissionis, quia à iustitia amplius distat, cum omnino cōtrarietur eidem, omissio autem in sola negatione consistit. Contrarietas verò est summa distantia, secundum Philosophum. Nihilominus in speciali potest omissio aliqua grauior esse quadam transgressione.

¶ Amplius, quoniam tam omissio quàm transgressio opponuntur præcepto, vtrumque ex proprio genere est peccatum mortale: interdum tamen large sumuntur, videlicet prout aliquis præter præcepta, vel negatiua vel affirmatiua, quippiam agit aut negligit, ita sunt ambo venialia mala.

¶ De virtutibus iustitiæ annexis, scilicet de partibus potestatiuis. Articulus 138.

DIfformiter verò assignātur virtutes, quæ annectuntur iustitiæ. Tullius enim enumerat sex, scilicet religionem, pietatem, gratiam, vindicatiuā, obseruantiam, veritatem. Macrobius autem super somnio Scipionis ponit septem, videlicet innocentiam, amicitiā, concordiam, pietatem, religionem, affectum, humanitatem, aliqui ponunt quinq;, vtpote obedientiam, disciplinam, æquitatem, fidem, veritatem. Andronicus verò pater peripateticus ponit nouem partes annexas iustitiæ. Agnoscendum ergo (vt dictum est supra) quod virtutes aliqui principali virtuti annexæ, in aliquo cum ea conueniunt, & in quodam à perfecta ipsius ratione deficiunt.

¶ Iustitia autem est in ordine ad aliquem, & in quadā æqualitate

litate consistit. Vnde dupliciter deficere potest aliqua virtus à ratione iustitiæ. Primo quoniam deficit à ratione æqualis. Secundo quia à ratione debiti deficit. Deo quippe & parentibus atq; ipsis virtutibus æquale præmium reddi nō valet, & quantum ad hoc adiungitur iustitiæ. Primo religio, quę secundum Tullium, superiori ac diuinæ naturæ cultum exremoniamque affert. Secūdo pietas, per quam, secundum Tullium, sanguine iunctis, patriæq; benivolis officiū & diligens tribuitur cura. Tertio obseruantia, per quā, vt Tullius docet, aliqui dignitate pollentes, quodā cultu & honore dignātur. ¶ Denique debitum duplex est, scilicet morale, quod ad vitæ pertinet honestatem, & legale, quod per leges determinatur quod iustitia directè concernit. Debitum verò morale est duplex. Vnum sine quo morum honestate obseruari nō potest, quod est quasi necessarium, & plus debiti ratione participās: attenditur autem hoc debitum, vel ex parte debentis, & sic annectitur iustitiæ veritas, per quam talem se exhibet homo alteri in verbis & factis, qualis est: vel ex parte eius cui debetur, quādo videlicet redditur alicui prout fecit, siue in bonis, siue in malis, & sic quo ad boni recompensationem adiungitur iustitiæ gratia, in qua (vt Cicero astruit) amicitiarum & officiorum alterius memoria remouerandi voluntas cōtinetur alterius, sed quo ad redditionem mali annectitur vindicatio, in qua (iuxta Tulliū) ius aut iniuria, & omnino quicquid obscurum est defendendo aut vlciscendo propulsatur. Aliud autem est debitum morale, nō quasi necessarium, sed magis conferens ad honestatem viuendi, ad quod pertinēt liberalitas, affabilitas, & alia similia quæ Tullius deserit, quoniam parum de ratione debiti sortiuntur.

¶ An religio consistat in ordine ad deum 2. An sit virtus 3. An sit virtus vna 4. An sit virtus specialis 5. An sit virtus theologica 6. An sit caeteris virtutibus moralibus dignior 7. Vtrum habeat actus exteriores 8. An sit idem quod sanctitas. Articulus 139.

RElegio autem a relegendo dicitur, quia quæ ad diuinum pertinent cultum semper relegēda reuoluendaque sunt, vel dicitur religio à reeligendo, secundum quod deum, quem amisimus per peccatū, per eam reeligimus, vel à relegando, quia hominem ab exteriori bus separat, & vni summo omnipotentiq; deo vnit. Vnde pa

ter

tet quod religio est immediate quo ad deū, videlicet virtus deo cultum ac ceremoniam exhibens. Habet tamen religio duplices actus, videlicet proprios, vt sunt adorare, sacrificare. & secundarios. vtpote quæ fiunt à virtutibus quibus ipsa velut principalior imperat, sed illos actus ipsa immediate nō elicit sed imperat. & sic Iacobus dicit: Religio munda apud deum hæc est, visitare pupillos, & cęt. Eluceſſit quoq; ex his, quod latria, quæ est cultus deo proprius, ad religionem pertineat. Deo nanque specialis honor ac seruitus & cultus debetur, qui etiam secundum Augustinum Græco nomine Eusebia vel Theosebia nominatur.

¶ Deniq; cum virtus sit quæ habentem perficit, & opus eius bonum reddit, claret religionem esse virtutem. Nam per eā redditur deo debitus cultus singulari modo, tanquam vniuersorum fontali principium, atq; altissimo rectori ac domino, ordinatq; mentem ad deum. Ordo autem ad boni rationem pertinet, sicut modus & species.

3. ¶ At verò religio est vna virtus, respicit enim obiectum, quod est deo reuerentiam exhibere secundum vnam rationem, inquantū videlicet deus est omnium rerum primus gubernator & conditor, & ideo tres personæ vna religione honorantur, cum sint vnus rerum deus ac dominus. Omnes quippe actus, qui religioni attribuuntur ad hoc ordinantur, vt homo sua seruitute diuinam excellentiam protestetur, propter quod eodem actu ceu homo seruit deo & colit ipsum. Seruitus enim dicitur ratione subiectionis ipsius qui seruit, cultus autem, dei excellentiam respicit.

4. ¶ Rursus patet, quod religio sit virtus specialis. Nam vbi inuenitur specialis ratio boni, est specialis virtus, religio autē ordinatur ad exhibendum deo honorem ratione singularis excellentię, qua omnia infinita dignitate transcendit. Ideoq; virtus religionis, quæ ei propter hanc rationem debitum cultum impendit, merito specialis appellanda est virtus. Nam diuersis personis creatis, diuersi impendūtur honores secundum diuersas excellentias.

5. ¶ Præterea religio dici potest Theologica virtus, quia nō habet deum pro immediato obiecto, sic quod actus eius ad deum immediate terminetur siue perringat. Duo namque in religione considerantur. Primum quod ipsa cultum deo affert, & hoc est per modum materiæ atque obiecti se habens

bens ad religionē, quemadmodum sacrificiorum oblatio. Secundo est deus cui cultus impēditur, nō quod cultus ad ipsum perringat vt actus fidei & charitatis, & ergo deus cōparatur ad religionem non quasi obiectum sed sicut finis, quia actum reuerentiæ religio ad deum finaliter dirigit propter quod moralis est virtus, cum sit circa ea quæ sunt ad finem.

6. ¶ Porro cum religio magis accedat ad vltimum finem quām aliæ virtutes morales, nam ea agit quæ in dei honorē immediate referuntur, ideo est illis præstantior, quoniam ea quæ sunt ad finem, nobilitantur secundum approximationem ad finem.

7. ¶ Præterea reuerentiam atq; honorem deo exhibemus non vtique ob eius indigentiam aut vilitatem sed nostram. Nam per hoc mens nostra ei subijcitur in quo eius consistit perfectio. Semper etenim inferioris perfectio in hoc sita est quod superiori suo subijcitur, vt animæ corpus. Ad hoc verò quod mens nostra deo coniungatur, sensibilium manductione eget, quoniam inuisibilia dei per visibilia cognoscuntur, propterea in cultu diuino vti oportet quibusdam exterioribus ac corporalibus actibus, quatenus eis tanquam signis anima ad spirituales actus excitetur, & hi sunt secūdarij actus religiōis ordinati ad actus interiores qui principales existūt.

8. ¶ Porro sanctitas duo importat, puta munditiā & firmitatem. Nam apud veteres, quæ legibus firmata erant & violari non poterant, dicebantur sanctificata, quod nunc quoque seruatur, dicitur enim aliquid sanctificatum, quia est in lege firmatum, & propter vtrunq; attribuitur sanctitas his, quæ cultui diuino applicantur, nō tantum hominibus, sed & vasis atque altaribus. Mens enim sine munditia deo applicari nō potest, quæ munditia ei inest per hoc, quod se ab inferioribus abstrahit, cum vnumquodque fœdetur dum inferiori miscetur, velut si aurum misceatur argento.

¶ Rursus necessaria est animæ firmitas ad hoc q; deo applicetur, deus nanque est vltimus finis, ac primum principium ad quem omnia ordinare necesse est. Ideoque eidē adhærere firmiter oportet. Itaque cum sanctitas sit per quam mens hominis seipsam & proprios actus applicat deo, non differt à religione secundum essentiam, sed rationem dumtaxat. Religio etenim dicitur secūdum quod homo deo debitum exhibet famulatum in his, quæ specialiter spectant ad cultum

Universidad de Deusto
Biblioteca

diuinum, vt in sacrificijs, oblationibus, atque similibus. Sanctitas verò dicitur inquantum homo non solum hæc, sed & alia opera virtutum refert ad deũ, vel prout se per opera virtuosa ad deum disponit, vnde patet quod sanctitas secundum essentiam specialis sit virtus, sed generalitatem quandam sortitur, eo quod aliarum virtutum actus ordinat per imperium ad bonum diuinũ, quemadmodum legalis iustitia generalis virtus vocatur, in quantum omnium virtutum actus refert in bonum commune.

¶ Virum deuotio sit specialis actus religionis. 2. De causa quoque deuotionis. 3. De effectu ipsius. Articulus. 140.

DEuotio denique à deuouẽdo nomen sortitur. Deuoti quippe dicuntur, qui se deuouent deo, vt se ei totaliter subdant. Vnde olim apud gentiles deuoti vocabantur, qui se idolis deuouebant in mortem, pro sui salute exercitus.

¶ Itaque deuotio est voluntas se prompte tradendi ad ea quæ dei famulatum concernunt. Vnde patet quod deuotio est specialis actus virtutis, videlicet quędam motio voluntatis, & quemadmodum voluntas alias potẽtias animę mouet ad suos actus sic deuotio, cum sit motio voluntatis, se ad dei obsequium promptissimè offerentis modum imponit actibus humanis.

¶ Amplius, ad eandem spectat virtutem facere aliquid, & promptam habere voluntatem ad illud agẽdum. Cum ergo ad religionem pertineat ea operari quæ ad diuinum pertinet cultum. patet, quod deuotio quoque, quæ est prompta voluntas huiusmodi operandi, sit actus religionis immediate charitatis verò mediate, cum charitas sit religionis principium, & mentem deo primo coniungens.

2. ¶ Insuper causa deuotionis principalis atque extrinseca deus est, qui (vt ait Ambrosius) quos dignatur vocat, & quẽ vult religiosum facit, causa verò eius intrinsecam ex parte nostra, est cõtemplatio seu meditatio. Nam cum deuotio sit actio voluntatis oportet quod ex aliquo actu intellectus procedat. Omnis nanque actus voluntatis ex consideratione aliqua manat. Ideoque meditatio est causa deuotionis secũdum duplicem considerationem, quarum prima est contemplatio misericordiæ beneficiorũmque dei, hæc enim dilectationem

tionem producit quæ est deuotionis proxima causa. Secũda est consideratio propriæ imperfectionis, quæ præsumptionẽ excludit, & hominem deo inniti cõpellit, quemadmodum scriptum est: Leuaui oculos meos in mõtes, vnde veniet auxilium mihi. Considerationes autẽ subtiles eorum quæ ad deũ non pertinent, deuotionẽ impediunt, mentemque distrahũt.

¶ At verò cum contemplatio sit causa deuotionis, constat, quod quo aliqua digniora diuinioraque sunt, eo deuotionẽ amplius, quantum in se est excitant, & ideo quæ ad trinitatẽ seu diuinitatem pertinent, vehementissime accendere possunt deuotionis affectum ex sua natura, sed ex nobis defectus est, quoniam sensibiliũ manuductione egemus, qua ad diuina consurgamus, & ob id contemplatio humanitatis passionisque Christi, ad deuotionem aptissima est, cũ tamẽ deuotio principaliter circa diuinitatem consistat.

¶ Rursus contingit, quod deuotiores sunt simplices & indocti ac fœminæ, quàm magnæ scientiæ atque profundi ingenij homines, quia scientia & ingenium ad excellentiam pertinent, & ergo eorum notitia existit occasio, quod homo nõ totaliter se deo subdit, sed aliqualiter sibiipsi confidit.

¶ Prædictæ verò personæ se omnino deo subijciunt, quia præsumptione huiusmodi carent.

¶ Veruntamen si scientiam & similia homo ordinet ad deũ ex his deuotior prorsus efficitur.

3. Aduertendum præterea, quod deuotio principaliter & per se est causa spiritualis lætitiæ, per accidens autem tristitiæ, quę secundum deum est. Ostensum est enim, quod deuotio ex duplici consideratione causatur, scilicet diuinæ bonitatis ac beneficiorũ ipsius, quæ est terminus motus deuotionis. Hæc autem consideratio per se est causa lætitiæ, sicut dicitur in Psalmo: Memor fui dei & delectatus sum, per accidẽs verò est causa tristitiæ, secũdũ quod apprehenditur deus vt absens nondum adeptus. Secunda deuotionis origo est, proprij defectus cõsideratio, & est quasi terminus à quo ipsius deuotionis in deum tendentis ac quiescentis, & hæc se habet contrario modo ad primam, est enim per se causa suæ tristitiæ, per accidens autem delectationis, propter spẽ diuinæ benignitatis. In passione demum Christi est aliquid, quod contemplationem contristet, vt acerbitas pœnarũ: & aliquid quod delectet, videlicet dei circa nos pietas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ At verò lachrymæ ex deuotione descendere solent. Nam lachrymæ non tantùm ex tristitia oriuntur, sed etiam ex quadam animi teneritudine, maximè dum perpetur aliquid delectabile adiunctum tristabili, sicut lachrymari solent homine ex pietatis affectu, dum charos vel filios suos recuperant, quos perditos æstimabant.

¶ Cuius potentiæ actus est oratio. 2. An sit conueniens orare. 3. Vtrum oratio sit actus religionis. 4. An solus deus orandus sit. Artic. 141.

POrro oratio prout nunc de ea fit sermo, rationis est actus, est enim (secundum Augustinum) petitio quædam, & secundum Damascenū tertio libro, oratio est petitio decentium à deo, secundū Cassiodorū quoq;, oratio dicitur quasi oris oratio. Ratio autem practica, quæ ad opus ordinatur, est dupliciter causa alicui⁹. Vno modo sicut necessitatem impones, vt cum inferioribus viribus, vel etiam hominibus subditis aliquid imperat.

¶ Alio modo secundum dispositiones, vt cum aliquid fieri petit ab his qui ei non subijciuntur: & horum vtrunq; ordinationem quandam importat, videlicet prout homo disponit aliquid ab aliquo esse agendum, ordinate verò ad rationem pertinet: oratio ergo, cum ordinationem designet secūdum modum prædictum, actus est rationis.

¶ Verumtamen desiderium pauperum dominus exaudire cōsuerit, nō quod oratio sit desiderium, sed quia est desiderij interpres, ipsumq; desiderium est causa petendi. Voluntas enim mouet rationem ad suum finē, qui est vnio dei per motum charitatis. Tendit autem oratio in deum, voluntate per charitatem mouente, dupliciter. Primo ex parte eius quod petitur, vtpote vt deo copulemur. Vnde tertio capitulo de diuinis nominib⁹ DIONYSIVS ait: Ante omnia ab oratione orditi necesse est, tanquam deo nosipsos tradentes & vnientes. Secundo ex parte petentis, quem deo oportet esse intentum. Nam cū deum orationibus inuocamus, tenuata ipsi mente adesse debemus. Propter quod Damascenus dicit: Oratio est ascensus intellectus in deum.

2. ¶ Præterea triplex erat antiquorū error circa orationem. Quidam enim dicebāt omnia de necessitate venire, alij prouidentiam dei negabant, & secundum vtrosque vanum est orare, deumq; colere.

¶ Tertij

¶ Tertij asserebant esse orandum, adijcientes quod dispositio diuinæ prouidentiæ variabilis esset. Hoc autem omnino absurdum est, cum scriptum sit: Ego sum deus & nō mutor. Aduertendum itaq;, quod ex diuina prouidentia, non solùm disponitur qui effectus fiant, sed ex quibus causis, & quo ordine proueniant. Sed actus humani sunt quorūdam effectuū causæ, vnde oportet homines agere, nō vt per actus suos diuinam dispositionem varient, sed vt per actus suos impleant quosdam effectus, secundum ordinem à deo dispositum, sic ergo orādum est, nō quod deum flectamus, sed quatenus id orādo impetremus, quod ipse per orationem statuit esse implendum, & vt pensemus orando, quod ad diuinum semper sit recurrendum auxilium. Vnde Chrysostomus: Considera (inquit) quanta est tibi concessa fœlicitas, quanta gloria arrhabuta, orationibus fabulari cum deo, cū Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideres postulare.

¶ Dicit aūt Seneca, nulla res carius emitur, quàm quæ præcibus empta est, & ergo multa dat de⁹ ex sua liberalitate antequā rogetur, vult tamen propter nostrā vtilitatem vt orando aliqua impetremus, quia per hoc fiducia ad eum in nobis augetur.

3. ¶ Porro oratio est actus religionis, quia per eam deo reuerentiam exhibemus, profitentes nos eius indigere clementia, & nos ipsi subijciētes, & est dignior actus religionis post deuotionem, caditq; sub præcepto religionis, quod Matei vndecimo ponitur, Petite & accipietis.

4. ¶ Denique oratio alicui dupliciter offertur. Vno modo quasi per ipsum implēda, & sic solus deus orandus est. Ipsius est enim solius dare gratiam & gloriā, ad quæ omnis oratio ordinatur. Alio modo sicut per ipsum impetranda, & sic angelis atque hominibus sanctis orationem porrigimus, quatenus ipsorum subsidio preces nostræ effectum adipiscantur. Sancti enim in patria (secūdum Gregorium) in verbo dei vident ea quæ circa nos aguntur, & inter nos mētis affect⁹ & actus prout eos decet illa cognoscere, sed hoc ad eorum dignitatem præsertim spectat vt petitiones ad se factas, vel ore vel mente, agnoscant.

¶ An in oratione sit aliquid determinate petendum. 2. An temporalia sint petenda. 3. An pro alijs hominibus sit orandum. 4. An etiam pro inimicis. Artic. 142.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Socrates insuper, sicut de eo Valerius Maximus narrat, nihil certum ab immortalibus dijs dixit petendū, quoniam ipsi melius scirēt quid vnicuique vtile esset, quàm nos. Nos quoque ea sæpe petim⁹, quę impetrare non expedit. Hæc autem positio partim est vera, vtpote quo ad ea bona quib⁹ homo bene ac male vti potest, vt sunt diuitiæ, honores, ptælatio, &c. Sūt verò alia bona quibus homo male vti non potest, nec exitum malum possunt sortiri, videlicet quibus beatificamur & fœlicitatem meremur, & talia determinate petēda sunt, & in talibus spiritussanct⁹ adiuuat infirmitatē nostrā, vt agnoscam⁹ quid rogare oporteat.

2. ¶ Denique secundum Augustinum ad Probam, illa licet orare, quæ licet desiderare. Ideo sicut temporalia desiderari possunt, prout spiritualibus bonis deseruiunt, & necessitatibus hominis administrant: sic quoq; rogari à deo possunt, nō vt in ipsis constimatur finis, sed prout necessitati sufficiunt, non autem vt voluntati proficiunt.

3. ¶ Simili etiam ratione pro proximis est orandum, quoniam nedum propriam, sed & illorum desiderare salutem ipsa eterna charitas exigit. Vnde Cyprian⁹ in oratione dominica ait: Nō dicimus in oratione dominica, pater meus, sed pater noster, nec da mihi, sed da nobis, quoniā vnitatis magister noluit priuatim præcem fieri, vt scilicet pro se tantūm quisquam precetur. Vnum enim pro omnibus orari voluit. At verò secundum Augustinum, ad hoc quod oratio exaudiatur vna conditio est, vt pro seipso quis oret: pro alijs nāque sua oratio, quamuis pia & perseuerans ordinataq; sit, interdū tamen exaudiri non potest, propter impedimētum duritiæ horum pro quibus oratur, quemadmodum Ieremiæ dicitur: Si steterint Moses & Samuel coram me, nō est anima mea ad populum istum: ipse tamen qui pro alijs charitatiue exorat, mercede non caret, & quoniam in præsenti prædestinatos à reprobis distinguere non valemus, nulli subtrahendum est orationis suffragium.

¶ Præterea eo modo quo iubemur inimica diligere, tenemur pro ipsis orare. Quomodo autem diligēdi sint, prędostensum est, cum de charitate sermo curtebat, tenemur enim in communi diligere, non autem in speciali, nisi secundum præparationem animi, scilicet si articulus necessitatis occurreret, aut veniam peterent, aliter eis in speciali dilectionis actum ostendere

dere perfectionis existit, similiter à cōmunibus nostris precibus eos excludere non debemus, sed in speciali pro eis rogare, sine speciali necessitate aut magna indigētia aut simili causa perfectionis est opus non necessitatis.

¶ *De septem petitionibus orationis dominicæ. 2. Vtrum orare sit pro primum rationali creaturæ. 3. Vtrum sancti in patria orent pro nobis. 4. An oratio debeat esse vocalis.*

Articulus 143.

ORatio autem dominica omnino perfectissima est, quia quicquid orare debemus, in ea cōtinetur, sed non solùm hoc, sed hęc etiam ponuntur in ipsa eo ordine quo postulanda sunt, ita vt sit ipsa informa tiua totius nostri affectus. Primo quidem cadit in desiderio ipse finis, deinde media ad finem, finis verò noster est deus, in quem affectus dupliciter tendit. Vno modo prout volumus gloriam dei, ad quem pertinet quod dicitur: Sanctificetur nomen tuum, & hoc oritur ex charitate, secundum quod deum in seipso diligimus. Secūdo prout volumus eius gloria fui, quod spectat ad dilectionem, qua nobis in deum diligimus, & sic additur: adueniat regnū tuum, quatenus sic ad regni gloriam perducamur. Ad hunc autem finem ordinat nos aliquid dupliciter, scilicet per se: & hoc rursus dupliciter, scilicet directe & principaliter, vt sunt opera virtuosa quibus meremur, & quantum ad hoc dicitur fiat voluntas tua, nobis videlicet tibi in omnibus prompte parentibus. Secundo instrumentaliter, scilicet adiuuando ad meritum, propter quod subditur: Panem nostrum quotidianum, quod de pane corporali intelligi valet, scilicet pro omni sufficientia victus: vel sacramentali, qui est euchaustia, intelligendo sub ea cætera omnia sacramenta. Vnde Matth. dicit, supersubstantialem, quod exponit Hieron. id est, præcipuum. Secundo ordinat nos aliquid ad finem per accidens, vtpote remouens prohibens. Sunt autem tria quæ nos à fœlicitate impediunt. Primum est peccatum quod directe à regno dei excludit, & ideo additur: Et dimitte nobis debita nostra, &c. Secundum est tēptatio à deo nos retrahens, & ob id adiungitur. Et ne nos inducas, &c. vbi petimus, non vt non tentemur, sed ne vincamur. Tertium est præsens pœnalitas, quæ vitæ sufficientiam impedit, & idcirco apponitur, sed libera nos, &c. Cum itaque dicimus, Sanctificetur nomen tuum, oramus vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

nomen dei ab omnibus sanctum habeatur, sic quod gloria dei in omnibus dilatetur. Dum verò precamur. Adueniat regnum tuum, desiderium nostrum ad futurum regnum excitamus. Et cum dicitur, Fiat voluntas tua, oramus vt nos deo obediamus in cunctis, quemadmodum angeli sancti. Hę autem tres petitiones in patria perfectè implebuntur. Reliquę quatuor presentis vitę necessitates concernunt. Secundum Aug. in enchirid. Adaptat demum Augusti. has septem petitiones donis spirituss. & beatitudinibus, in libro de sermone domini in monte. Lucas quoque non ponit nisi quinque petitiones. Nam illa, libera nos à malo, intelligitur in præcedenti qua dicitur, & ne nos inducas, &c. quoniam vnusquisque per hoc à malo eripitur, quod non in tentationem inducitur, similiter quod dicitur, Fiat voluntas tua, intelligi datur in eo quod dicitur: Sanctificetur nomen tuum, quia ad hoc dei voluntas præcipuæ tendit, quatenus eius sanctitatem cognoscamus, atque in ipso regnemus.

3. ¶ Præterea, quoniam iuxta præinducta, oratio est actus rationis, superiorem aliquid postulantis, ideo orare non conuenit personis increatis diuinis, quæ superiorem non habet, nec etiam irrationabilibus, nisi metaphorice, propter naturale desiderium, quo vniuersa suo modo diuinam appetunt bonitatem, sicut scriptum est, Pullis coruorum, &c. Sed solum rationali creaturæ, id est, intellectuali videlicet angelis atque hominibus.

3. ¶ Porro vt refert Hieronymus, Vigilantij error, fuit quod sancti in patria non orent pro nobis, sed hoc charitati, quæ in ipsis seruidissima est, detogat, & iterum cum sint deo propinquiores quàm viatores, ipsorum oratio efficacior exstat, nam hoc diuinus exigit ordo, vt bonitas superior in inferiora se influat, sed & Christus vt homo interpellat pro nobis. Orant itaque beati pro gloria corporis proprij, & pro salute animarum nostrarum, habentque preces eorum efficaciam ex præcedentibus meritis, & acceptatione diuina.

4. ¶ Agnoscendum insuper, quod oratio duplex est, scilicet communis, quam ministri ecclesiæ pro populo fundunt, & hæc de necessitate vocalis est, vt populo innotescat: & aliter profertur, quatenus ad omnium agnitionem perueniat. Alia est oratio singularis, quam homo quilibet pro seipso deo effert, aut pro alijs quibus placeat: & hæc de necessitate vocalis non est,

non est, sed triplici ratione cum voce profertur. Primo quatenus per exteriora, videlicet voces, cantus, & signa mens ad deuotionem actiùs excitetur: & ergo in tantum est talibus sonis promenda, quantum ad deuotionem prouocandã proficuum est: quod si per huiusmodi homo distraheretur, cessandum vtique esset, quod in illis potissime accidit, quorum anima sine huiusmodi signis ad deuotionem sufficienter parata est. Secundo adiungitur vox, quatenus deo mente & corpore seruiamus, & in hoc iustitia maior appareat, quando illud totũ quod suscepimus à deo eius seruituti mãcipamus. Tertio, propter redundantiam spiritualis feruoris animæ in corpus, iuxta illud Psalmi: Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea. Dicit autem Chrysostomus super Matthę. quod orans in conuẽtu aut publico, nihil nouum facere debet quod aspiciant alij, vel clamando, vel pectus percutiendo, vel manus extendendo.

¶ *Virum attẽtione quæratur ad orationem. 2. An oratio debet esse diuturna. 3. Quomodo sit ad impetrandum idonea. 4. Virum sit meritoria. 5. De speciebus orationis. Articulus 144.*

NEcessarium deniq; proprie dicitur, sine quo res finem suum vel officium consequi nequit. Est autem triplex effectus orationis. Primus est cõmunis omnibus actibus charitatiuis, puta mereri, & hunc effectum oratio obtinet si in principio adsit attentio, nã quantuis in continuatione mens euagetur, tamen vis primæ intentionis totam orationem efficit meritoriam, sicut etiã in alijs actibus charitate informatis. Secundus & proprius effectus orationis est impetrare, ad quem etiã sufficit vis primæ intẽtionis, quoniam illam Deus principaliter aspicit, quod si illa defuerit, oratio nec meritoria nec impetratiua consistit. Ait nempe Basilius: Diuinum auxilium implorandum est nõ remisse, nec mente huc illucque vagante, eo quod talis non solum non impetrabit, sed magis deum irritabit. Et idem testatur Gregorius. Vnde dicitur: Spiritus est Deus, & eos qui adorant, in spiritu & veritate adorare oportet. Tertius effectus orationis est quem principaliter facit, videlicet refectio mentis, seu sanitas saporque mentis, & ad hoc de necessitate requiritur semper in oratione attentio, propter quod ait Apostolus: Si orem lingua, mens mea sine fructu est. Est autẽ triplex attẽtio orationis vocalis. Prima qua homo attendit ver-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ba, ne erret in ipsis. Secunda qua sensus verborum considerat, Tertia est quando attenditur finis orationis, qui est Deus, & id quod ab eo rogatur, & hęc summę est necessaria, & ideotis quoque possibilis, atque in tantum quandoq; obtinetur, quod omnium aliorū homo obliuiscetur, secundum Hugonem. Innotescit itaque quod curiositas quæ præter propositum accidit animæ, fructum orationis non tollit. Propter quod Basilius asserit: Si debilitatus à peccato sic orare non potes, quantum vales teipsum cohibeas, & deus ignoscit, quoniam non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes vt oportet assistere coram Deo.

2. ¶ Præterea de oratione dupliciter loqui possum⁹, scilicet secundum seipsam, & sic oratio nō potest esse cōtinua, quoniam alijs actibus occupati pro tempore indigemus, sed per certa intervalla horarū deum rogamus: quātitas verò temporis, huic suo proportionata esse debet, vt quātitas medicinæ, sanitatis finis autem orationis vocalis, est interiorem cordis feruorē accēdere quo ad Deū, & ergo cōuenit tādiu orationē durare, quamtū est vtile ad inflammationē interni affectus, cumq; oratio sine tædio & fatigatione durare non potest, protendenda non est. Nam sicut mentis attentio nō est obtinenda, si perdurare nō potest, sic nō est cito rumpenda si possit durare. Secūdū August. Propter quod fratres olim in Aegypto orationes suas crebras, quibusdam morulis interrumpebant. Secundo possumus loqui de oratione secundū suam causam quæ esse debet desiderium charitatis, quod in nobis cōtinuū esse debet actu vel virtute, quia virtus huius desiderij in omnibus manet, quæ ex charitate operamur, sic enim omnia in gloriā dei facere debemus, & secundū hoc oratio debet esse cōtinua, sic ergo oratio protenēda est nō aridis verbis, sed cōtinuato affectu. Nā & Christus prolixius orasse, & in oratione pernoctasse ad nostram eruditionem describitur: prolixitas namque orationis non consistit in eo quod multa perantur, sed in hoc quod affectus continuetur ad vnum desiderandum.

3. ¶ Porro ex dictis elucescit, triplicem esse orationis effectum, est autem oratio meritoria secundū quod à radice charitatis procedit, ex qua oritur mediante religione & fide ac humilitate, habet quoque oratio efficaciam impetrādi à gratia dei, quæ ad orādū inducit. Vnde Chrysostomus: Nunquā oranti

oranti beneficia denegat, qui vt orantes non deficiant, sua pietate instigat. Si ergo quod petitur, ad salutem sit vtile, indubitanter acquirit orans quod petit. Sed quando debet accipere, quædam ei non negantur, sed vt congruo tēpore detur, differuntur. Vnde Basilius: Quandoq; petis, & nō accipis quoniam perperam postulasti vel infideliter vel leuiter, vel non conferentialiter, vel destitisti, & quia non potest homo alteri de condigno vitam æternam mereri, & per consequens nec ea quæ ad eam spectant videlicet gratiam, ideo non semper exauditur qui pro alio deprecatur. Sed ponūtur quatuor conditiones, quibus concurrentibus oratio nunquā frustratur, videlicet vt oret pro se, & necessaria ad salutem, pie ac perseueranter.

4. ¶ At verò in peccatore duo pensantur, culpa, quā Deus odit, & natura quā creauit & diligit. Si ergo peccator, qui extra gratiam est, aliquid petat ex bono naturæ desiderio, hoc deus exaudit, non propter iustitiam, sed propter suam misericordiam: seruatis tamen quatuor conditionibus positis. Si autem peccator aliquid oret vt peccator, tanquam peccandi desiderium habens: hoc deus non audit ex pietate, sed interdum ad vindictam permittens hominem in grauiora ruere mala. Deus enim aliqua misericorditer negat, quæ iratus cōcedit. Et ita intelligi potest, quod in Ioanne habetur: de⁹ peccatores non audit. In Prouerbijs quoque: Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Sciēdum autem quod oratio dominica profertur ex persona cōmuni totius ecclesiæ. Ideoque homo alteri non ignoscēs, nō demereretur neque mentitur eam orando, dum dicit: Dimitte nobis debita, &c. sed ipse non exauditur.

5. ¶ Præterea ad orationē tria requiruntur. Primo accessus orantis ad deum. Secundo petitio, quod significatur nomine postularionis, siue petitio ꝓponatur determinate, quod proprie ad postularionem spectat, siue indeterminate: vt dū aliquis petit à deo iuuari, quod dicitur supplicatio, siue solū fatū narretur, quēadmodū Ioannes dicit: Ecce quē amas infirmatur: quod insinuatio appellatur. Tertio requiritur ratio aliquid impetrandi, vel ex parte dei, quæ est sanctitas eius, vt cū dicitur: Per natiuitatē tuā libera nos Domine, & propter temetipsum domine salua nos: vel ex parte nostra, videlicet gratiarum actio: nam gratias referēdo meremur potiora susscipere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

scipere. Vnde glosa.1.ad Timot.2.dicit:quod in missa obsecrationes sunt,quæ precedunt cõsecrationem, in quibus aliqua sacra commemorantur, in cõsecratione verò sunt orationes. Tunc enim mens maximè eleuari debet in Deũ. Postulationes autẽ sunt in sequentibus petitionibus,atq; in fine gratiarum actiones. Sed & omnia ista frequenter in vna oratione tanguntur. Itaq; obsecratio,vt nunc sumitur, est quædam per sacra contestatio ad misericordiam implorandum, non autẽ adiuratio ad compellendum,nam talis illicita est. Dicit enim Origines super Marcũ: Nõ oportet vt vir, qui vult secundũ Euangeliũ viuere,adiuret aliquem,nam si iurare nõ licet,nec adiurare,sic igitur prædicta sunt partes orationis,quãuis oratio communiter sumpta omnia ista includat.

¶ De adoratione .2. An sit actus latriæ .3. An imperet actum interiorem vel exteriorem.4. An determinationem loci requirat. Articulus 145.

ADoratio insuper est actꝰ religionis. Nã religio est, quæ diuinæ naturæ cultum atq; ceremoniã affert. Adoratio autẽ ordinatur in eius qui adoratur reuerentiam propter suam excellentiam,& quoniã excellentia dei non communicatur creaturis secundũ æqualitatem, ideo Deo debetur singularis reuerentia ad latriã pertinens,reuerentia verò creaturæ ad duliam spectat, legitur aũ quandoq; quod sancti viri adorauerint quasdam excellentes creaturas, vt Iosue angelum: non tamen adoratione latriæ nisi intelligatur adorasse deum in persona angeli, Sed sacrificium inter exteriora soli deo debetur.

2. ¶ Præterea, vt Damasc.4 lib.testatur,quoniam ex intellectuali seu sensibili natura cõstamus,duplicẽ deo adorationẽ offerimus. Interiorem,quæ in affectione interna consistit: & exteriorem seu corporalem,quæ in exteriori corporis humiliatione perficitur,& interioris reuerentiæ magnitudinẽ contestatur,& ad eam refertur, inquantũ per exteriora reuerẽtiæ signa,animus noster ad interiorẽ dei subiectionẽ excitatur, qũ connaturale est nobis ex sensibilibus ad spiritualia duci.

3. ¶ Et quia exterior dei adoratio ad spiritualem adorationem ordinatur,in qua mens deum orando apprehendit,non quasi loco circunscriptum, ideo adoratio de necessitate loci determinatum non exigit,sed solum secundũ congruentiam quandam,non ex parte dei,qui omnino illocalis est,Sed ex

ex parte adorantium,triplici ratione. Prima propter loci consecrationem, ex qua adorantes deuotionem concipiunt, & ampliorem exauditionis fiduciam. Secundo propter sacra ministeria sanctitatisq; signa, quæ ibi continentur. Tertio propter multorum adorantium concursum, quorum collectio reddit orationem magis audibilem. Oramus autem ad orientem propter decentiam. Primo propter diuinæ maiestatis indicium,quæ nobis in motu cœli manifestatur, qui ab oriente inchoatur. Secundo paradisus versus orientem est situs,ad quem redire intẽdimus. Tertio propter Christum, qui est lux mundi,& oriens vocatur qui etiam inde ad iudicium reuersurus creditur,quia scriptũ est: Sicut fulgur exit ab oriẽte,sic erit aduentus filij hominis.

¶ An offerre deo sacrificium sit de lege naturæ.2. An soli deo sit offerendum.3. Vtrum offerre sacrificium sit actus specialis virtutis.4. An omnes ad offerẽdum sacrificium teneantur. Articulus 146.

NAturalis deniq; ratio dictat,vt homo propter defectus quos in seipso experitur, alicui superiori enti se subdat,quod sibi adiutorium & directionem impẽdat,& tale ens omnes deum appellant,quicquid sit illud: dictat quoque ratio, vt superiori honor exhibeatur secundum modum suæ dignitatis, & quoniã naturale est homini sensibilibus vti signis ad significationem spiritualem, propterea ex naturali ratione processit, quod homo sensibiles res deo obtulit,in signum debitæ subiectionis atque honoris. Hoc autem ad sacrificium pertinet. Ideoq; oblatio sacrificij ad naturale ius spectat in communi. Sed determinato sacrificiorum est ex institutione humana aut diuina, & quo ad hoc, sacrificia secundum temporum vices & hominum status sunt varia.

2. ¶ Porro exterius sacrificiũ aliquid signat, videlicet interius sacrificiũ,quo omnia seipsam deo offert,tanquã suæ creationis principio,& beatitudinis fini. Solus enim deus animarum creator est, atq; sanctitatis immediatum obiectum. Vnde soli deo offerẽdum est spirituale internumq; sacrificiũ: sic quoq; et duntaxat exteriora sunt sacrificia immolanda, & ergo illa omnes,qui vtique superbissimi sunt, sacrificijs gaudent,non quod delectentur odore eadauerum, sed diuinotũ exhibitionẽ honorum. Nos verò non constituimus sanctis tẽ

pla

Universidad de Deusto
Biblioteca

pla aut altare, sed deo præcipuè in honore sanctorum.

3. ¶ Præterea, sacrificiū secundum se est actus specialis virtutis, videlicet religionis: quia autem aliquarum actus virtutum ad dei reuerētiam referuntur, propter hoc etiam aliqua tum virtutum opera sacrificia nominātur, nā quando actus vnius virtutis ordinatur ad finem alterius virtutis, speciē & nomen illius aliquo modo sortitur. Veruntamen illi actus propriè sacrificia sunt, qui ex aliquo laudem non habent, nisi quoniam in dei honorē fiunt. Et est sciēdū, quod sacrificiū dicitur, quando aliquid fit circa rem quæ offertur, sicut cum panis frangitur, vel animal occidebatur, oblatio autē dicitur cum deo aliquid offertur, quamuis nihil tale agatur circa id quod offertur, vt cum panis vel pecunia simpliciter offertur vnde oblatio cōmunior est sacrificio. Primitiæ verò oblationes sunt, quia deo offerebantur, non autē sacrificia, quia circa eas nihil fiebat. Sed decimæ non sunt propriè sacrificium vel oblatio, quoniam ministris templi exhibentur.

4. ¶ Porro ad sacrificiū spirituale, quod principale censetur, omnes tenētur, de quo scriptum est. Sacrificium deo spiritus cōtribulatus. Ad sacrificiū verò exterius quod solū laudabile, est, quia deo offertur in signū debitæ subiectionis, nō æqualiter omnes concernit, qui enim sub lege erant, ad determinata sacrificia obligabatur secundū legis præcepta. Sed qui non erant sub lege, tenebantur ad aliqua exteriora non determinate, sed secundum decentiam eorum inter quos habitabant, ad ea enim quæ de lege naturæ sunt, omnes tenētur in communi, non autem eodem modo.

¶ Aliquid demum vocatur sacrificium exterius, inquantum aliquarum virtutum exteriores actus in dei reuerentiam referuntur, & si illi actus cadunt sub præcepto, tunc ad eorum sacrificium omnes tenentur. Si vero ad supererogationē pertineant non obligant omnes.

¶ Vtrum oblationes aliquæ cadunt sub præcepto. 2. Quibus debeantur oblationes. 3. De quibus rebus fieri debeant. 4. Vtrum ad oblationes primitiarum homo ex necessitate teneatur. Articulus 147.

QVanuis verò oblationes de sua ratione voluntariæ sint, iuxta illud: Ab omni homine, qui offert vltroneè, accipias eas: sit tamen vt homo ad oblationem obligetur quadruplici ratione. Primo, ex præcedenti conuētione. Secundo ex præuia promissione. Tertio propter necessitatem ministrorum ecclesiæ. Quarto propter cō suetudinē. Sicut in quibusdam solēnitatibus oblationes fieri soleunt. Sed in his vltimis duobus modis, quantitas & species rei, quæ offertur, voluntariæ manent. Non autē tenentur homines ad oblationes in nouo testamēto, sicut in veteri, vtpote propter præcepta ceremonialia, sed propter causas præsentes. Vnde si quis oblationē soluere renuit puniri potest per sacramentorum subtractionem: non per sacerdotem cui deberur oblatio, ne pro sacramētorum exhibitione aliquid videatur exigere, sed per aliquem superiorem.

2. ¶ Demqi oblationes fidelium, quæ domino offerūtur, ad sacerdotes pertinent, qui sunt medij inter deum & populū, diuina documenta & sacramenta dei populo exhibētes. Preces quoqi & oblatiōes ac sacrificia populi domino offerētes. Pertinent autē ad eos, non solū vt eas in proprium vsum cōuertant, sed etiā vt eas fideliter dispensent, in his quæ spectāt ad diuinum cultū, vsuq; pauperū. Nam pauperes, quantū possibile est, de rebus ecclesiæ sunt sustentandi. Præsertim cum dominus loculos habuerit in pauperum vsus secundū Hieron. Vnde canon Damasi papæ, & habetur. 10. qu. pri. dicit. Oblationes, quę intra sanctam ecclesiam offeruntur tantum modo sacerdotibus licet comedere & habere. Monachi autē triplicitet possunt recipere oblationes. Primo per dispensationem sacerdotum, seu ordinationem ecclesiæ. Secundo si sint ministri altaris. Tertio si sint eorum parochiæ. Et sciendum quod oblationes postquam fuerint consecratę, in vsum laicorum cedere nequeunt, vt vasa sacra & vestes sanctæ, & de talibus loquitur Damasus papa, quæ autē consecratæ nō sunt, cedere possunt in vsum laicorum per dispensationem sacerdotis, per modum donationis vel redditionis.

3. ¶ Amplius, de qualibet re licite possessa oblatio fieri potest in noua lege, in qua omnis dei creatura reputatur vt mūda, sed in veteri lege propter figuram aliqua reputabātur immunda, de quibus non licuit quicquam offerre.

¶ De iniustē autem acquisitis & possessis oblationem facere illicitum existit. Veruntamen per accidens interdum non licet de iuste possessis oblationem offerre, puta si verisimile est in detrimētū alterius, velut si filius aliquid offerre vellet in patris dispendium: vel propter scandalum vitādum, vnde

de

Universidad de Deusto
Biblioteca

de mercede meretricis nō est oblatio danda, vel propter scandalum, aut simile aliquid.

4. ¶ At verò primitiæ ad speciale genus oblationis pertinent, offeruntur enim cum professione seu recognitione diuini beneficij, scilicet quod ad ipso fructus terræ percipiamus & ob id aliquid de eisdem deo est iure reddendū, & quia debemus dare quod præcipuum est: ideo præceptum erat in veteri lege, primitias quasi præcipuum aliquid de fructibus terræ deo offerre, & cedebant in vsum sacerdotum, qui sunt inter deum & populum medij. Pertinet autem ad ius naturale vt homo aliquid deo ad eius honorē exhibeat, de bonis sibi à deo concessis. Determinatio autem quantitatis, & quod de primis fructibus fiant, vt erant in veteri testamento statuta iure diuino, in nouo verò diffinitur per determinationem ecclesiæ, ex qua homines tenētur primitias soluere secundū consuetudinem patriæ, & indigentiam ministrorum ecclesiæ, & sic quia primitiarū oblatio est partim de iure naturali, idcirco manet in noua lege.

¶ Quantitas enim primitiarum offerendarum, inter quadragesimam partem & sexagesimam videtur seruanda.

¶ Vtrum homo ex præcepto teneatur soluere decimas. 2. De quibus rebus sint decimæ dandæ. 3. Quibus dandæ sint. 4. Quibus competat eas dare. Articulus. 148.

PLotto decimæ in veteri testamento dabantur ad sustentationem ministrorum dei. Vnde præceptum de decimis dandis, pattim erat morale, videlicet naturali indictum rationi. Naturale est enim, vt eis necessaria vitæ à populo ministrarentur, qui propter totius populi salutem diuino erant cultui mancipati: quemadmodum, etiā militibus dantur stipendia. Partim verò erat iudiciale, nam determinatio decimæ partis, ex diuina institutione robur sortitur. Multa nanque in populo Hebræorum à deo instituta erant ad æqualitatem inter se seruandam, secundum eōditionem populi illius, quæ iudicialia præcepta dicuntur, vt qui fruerentur ouem vnam, redderent quatuor. Præceptum quoque de decimis ex consequenti ceremoniale extiterat, inquantum aliquid significabat, nam omnia in figura contingebant illis. Numerus quoque denarius est perfectus, & decima vnitate seu parte sublata, manent nouem, quæ sunt numerus imperfectus, quo significatur quod ipse offerens imperfectionem

nem à se habet & eam sibi reseruat, perfectionē verò à Christo expectat, eamque deo attribuit. Differt autem præceptū ceremoniale à iudiciali, quoniam ceremoniale in noua lege seruari non licet, sed iudiciale. Si aliquis præcipiat suis quibus legem condere potest, non tamen tenentur fideles simpliciter ad iudicialia. Vnde si rex suis præciperet, vt qui vnam ouem furaretur quatuor redderet, tenerentur subditi eius illud seruare. Et hoc modo determinatio decimæ partis soluendæ est de ordinatione ecclesiæ in vsum ministrorum ipsius. Posset quoq; ecclesia, pēsatis opportunitatibus personarū, & temporū determinare aliquam partē esse soluēdam. Sed ante legem scriptam nō erant determinati ministri diuini cultus, sed primogeniti (vt fertur) erant sacerdotes: & ob hoc nō erat determinata pars decima, sed vnusquisque offerebat sacerdoti sibi occurrenti propria sponte quod voluit. Et ergo Iacob vouit decimas, quia nō tenebatur ad certam partem. Sunt autem quædam terræ, in quibus ministris ecclesiæ decimæ non soluuntur, non tamen non soluentes sunt in statu damnationis, quia ministri dei non exigunt eas ad scandalū euitandum.

2. ¶ Præterea, quoniam radix soluendi decimas, est debitū quo seminantibus spiritualia, carnalia debentur, secundum Apostolum: Ideo de omnibus iuste possessis decimæ dandæ sunt, quia cuncta quæ homo possidet, sub carnalibus continentur. Dicit enim Augustinus: De negotio & artificio decimas redde, & sic ad decimas personales homines modo tenētur. Nam & meretrices de sua mercede, quā licet iniuste utpiterque acquirant, non tamen iniustè recipiunt, tenentur soluere decimas. Sed ecclesia non debet eas recipere, ne videatur eatum communicare peccato.

3. ¶ Adhuc autem circa decimas duo pensanda sunt, scilicet ius accipiendi, & res quæ nomine decimę persoluuntur, quorum primum est ministrorum ecclesiæ, cum sit quoddam spirituale debitum, consequens debitum quo exhibentibus spiritualia, impendenda carnalia sunt, quod clericis conuenit. Res verò quæ soluūtur corporales sunt, & possunt ad laicos pertinere, & in quorum libet vsum cedere de consensu ecclesiæ, quæ etiam dare potest licentiam eis vt dandas decimas ipsi accipiant, iure tamen sibi reseruato pro necessitate Ecclesiæ: quemadmodum militibus decimæ dantur in feudum, &

religiosis non habentibus animarum curam in paupertatis subuentionem.

4. ¶ Amplius clericis non competit soluere decimas inquãtum sunt clerici, si verò aliqua aliunde habent, vt prædia vel patrimonia, & quæ proprio iure possident, de talibus soluere decimas obligantur, & similiter religiosi qui curam animarũ non habẽt, nisi à sede Apostolica immunitatem susceperint. Sciendum quoque, quod decimæ personales debentur ecclesiæ in cuius parochia homo habitat. Sed decimæ prædiales ecclesiæ, inter cuius terminos sita sunt prædia, tamen secundum iura in talibus obseruanda est consuetudo antiqua, & quoniam ex pascuis fructus gregum seu pecorũ oriuntur, potius debetur decima gregis ecclesiæ in cuius territorio grex pascitur, quàm in cuius territorio ouile locatur.

¶ Rursus, quemadmodum in veteri lege leuitæ summo sacerdoti decimas soluere tenebantur, pariformiter modo tenentur clerici summo pontifici soluere decimas, si requirat, quia naturalis ratio dictat, vt habenti curam de communi populi statu, prouideatur de his per quæ exequi queat illa, quæ communem salutem concernunt.

¶ Quid sit votum 2. Quid cadat sub voto 3. De obligatione voti 4. De viditate vouendi. Artic. 149.

VOtum autẽ obligationem importat ad aliquid faciendum vel dimittẽdum. Obligat verò se homo homini per promissionem, quæ est actus rationis ordinantis quid alteri fieri debet. Hæc quoq; promissio fieri nequit, nisi per verba aut exteriora indicia. Sed Deo, qui interiora cognoscit, per solam cogitationem promissio fieri potest, tamen verba interdum adduntur, vel propter sui ipsius excitationem quemadmodum circa orationem, vel propter aliorum contestationem, quatenus à voti adimpletione non cesset homo propter reuerentiam hominum. Promissio ergo ex proposito oritur, propositum verò deliberationem præexigit, cum sit actus deliberatæ voluntatis. Vnde ad votum tria de necessitate concurrunt, videlicet deliberatum, propositum, & promissio, quæ rationem voti perficit, superadduntur verò quandoque alia duo ad ampliorem voti confirmationẽ, pura pronunciatio oris, & testimonij aliquorũ, vnde quidam diffiniunt votum hoc modo: Votum est conceptio boni propositi cum deliberatione firmata, qua quis ad aliquid

aliquid faciendum vel non faciendum Deo se obligat.

2. ¶ Denique votum est promissio deo facta, cui nihil est acceptum nisi sit virtuosum. Et ergo de re illicita seu indifferenti, votum faciendum non est: sed solum de actu virtutis. Votum etiam voluntarium esse oportet, & ergo quæ simpliciter necessaria vel impossibilia sunt, sub voto non cadũt. Necessitatum autẽ necessitate finis, videlicet sine quo salus esse non potest, vt sunt actus præcepti, cadunt sub voto, inquantum voluntariè fiunt. Et sic in baptismo promittitur abrenuntiatio dæmonis, & obseruatio fidei. Et Iacob promisit, quod dominus esset sibi in deum. Ea autem quæ non cadunt sub necessitate absoluta, nec sub necessitate finis, vt sunt opera supererogationis, sunt penitus voluntaria: & illa propriissime cadunt sub voto, & hæc sunt bona meliora respectu eorum quæ ad communem exigũtur salutem. Vnde votum est de bono melioti.

¶ Sciendum verò, quod quædam sunt quæ in omnem euentum sunt bona, vt opera virtutũ, & talia absolute possunt voueri: aliqua autem sunt, quę licet in se considerata sint bona: malum tamen euentum possunt habere. Et de talibus fuit votum Iepthe, de quo Iudicũ vndecimo scribitur: Et ergo fuit votum eius incautum, quia simpliciter vouit quod malum euentum sortiri valebat. Vnde Hieronymus asserit, quod in promittendo fuit stultus, & in reddẽdo impius. Vetuit tamen quia illic legitur, quod factus est super eum spiritus domini: ideo fides atque deuotio, ex quibus ad vouendum mouebatur, fuit à spiritusancto. Propter quod in catalogo sanctorum ponitur, ad Heb. 11. Præsertim cum probabile sit eum postea pœnituisse de interitu filię innocentis, & tamen factum eius bonum aliquod figurabat.

¶ Porro ad fidelitatẽ spectat, quod homo promissa adimpleat maximè quo ad deum, tum ratione dominij, tum ratione suscepti beneficij. Vnde maximè obligatur homo vota deo promissa persoluere. Nã & fractio voti infidelitatis est species. Imò ex honestate tenetur homo homini votũ implere: quamuis sit simplex promissio, obligatione iuris naturalis. Non tamen obligatur ad reddendum votum simplex homini iure ciuili, nisi aliqua quædam concurrant. Est hoc propter mutabilitatem voluntatis humanæ. Si autem fiat homini impossibile reddere quod deo promisit, debet facere quod in se

Universidad de Deusto
Biblioteca

est Et si ipse sua culpa est causa impossibilitatis, pœniteat, sed de eo quod virate promisit de cætero caueat. Vnde si quis religionē intrare promisit, si non potest recipi in vno claustro vel ordinem ingredi, date debet operam quantum valet vt recipiatur. Quod si fratres eum recipere renuunt non tenetur alium locum vel ordinem intrare.

¶ Et quoniam votum ex voluntate procedit, pensanda est voti conditio ex intentione vouentis, videlicet quo tempore quod promissum est impleatur.

¶ Insuper aliter deo aliterque hominibus aliquid vouemus. Homini enim aliquid promittitur propter suam vtilitatē: & vt certificetur secundus: ideo autem aliquid promittimus, nō vt certificetur de aliquo, nec propter eius vtilitatem, sed nostram. Ideoq; expedit deo bona vouere, nā quod deo redditur, reddenti additur. Et per votum nostrum voluntatem nostram immobiliter confirmamus in deo. Et quemadmodum non posse peccare nō minuit dignitatem libertatis, vt patet in patria: sic necessitas firmatæ voluntatis, libertati nō derogat, sed immobilitati sanctorum similiores nos statuit. Et secundum Augost. Felix necessitas est, quæ ad meliora compellit. Nec tamen homo qui vouet, periculo se committit vt ille qui per pontem ruinosum flumen pertransit, quia ipsum votum non est causa periculi, sicut pons debilis, sed defectus vouentis, ex quo defectu etiam quodlibet opus meritorium impediri cōtingit. Nec ob hoc deserendum existit. Vnde Ecclesiastes dicit Qui obseruat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, nunquam metet. Et ideirco Augustinus dicit: Non te vouisse pœniteat. Imo gaude iam tibi non fieri, quod antè cum tuo licuit detrimento.

¶ *Cuius virtutis votum sit actus 2. Vtrum voto ex facere sit magis meritorium 3. De solennitate voti 4. An possint vouere qui aliorum potestati subduntur. artic. 150.*

DEnique votum est actus latriæ seu religionis, cuius est in Dei honore actus virtutum ordinate. Votū autem soli Deo fit: promissio verò homini fieri potest.

2. ¶ At verò facere idem opus ex voto, magis laudabile & meritorium ac deo acceptum est triplici ratione. Primo, quia etiam votum est actus latriæ, quæ est nobilissima virtutū moralium.

ralium. Et ergo votum quod est actus eius, est tanto pretiosius, quanto virtus de qua oritur præstantior existit. Nam & inferiorum virtutum actus, scilicet abstinere, castitatem seruare, & talia, magis redduntur meritoria, secundum quod à latria imperantur, & ad Deum referuntur. Secundo, quia qui facit ex voto, plus deo se subijcit, quàm qui facit duntaxat. Subdit enim se Deo secundum actum & potestatem, qui autem solum facit secundum actum tantummodo se subijcit Deo. Et ergo (vt testatur Ansel libro de similitudinibus) sicut plus dat qui arborem cum fructibus præstat, quam qui fructum vt solummodo, sic plus Deo exhibet qui vouet & implet. Vnde & promittentibus gratiæ referuntur.

¶ Tertio, quia actus est tanto perfectior quanto voluntas est in bono stabilior. Sed per votum maximè firmatur voluntas in deo. Ideoq; sicut peccare mente obstinata est crimen grauissimum, sic agere bonum animo cōfirmato per votum, est sanctissimum.

¶ Rursus, secūdum illud Psalmistæ: Vouete & reddite domino deo, dicit glossa vouere voluntati consulitur: ergo qui vouit & reddit duo consilia implet: qui autem tantummodo facit, vnum agit consilium. Vnde si opus bonum post votū triste & inuoluntarium redditur, dummodo maneat voluntas votum impendi, adhuc est magis meritorium, quàm si fieret absq; voto, quia voti impletio est actus religionis seu latriæ, quæ est potior virtus quàm abstinentia, cuius actus est ieiunare, vel continentia, & ita de alijs.

3. ¶ Præterea adhibetur solennitas rebus secundum conditionem ipsarum quemadmodum alia est solemnis nouæ militiæ, alia nuptiarum. Cùm ergo votum sit promissio deo facta, attenditur eius solennitas secundum aliquid spirituale ad deum pertinens, scilicet spiritualem benedictionem vel consecrationem, quę ex institutione Apostolorum post sacri ordinis susceptionem adhibetur. Secūdo loco in professione certæ regulæ, sicut secundo capitulo Eccle. hierar. Dionysius docet. Cuius ratio est, nam solennitates adhiberi non solent nisi cum aliquis totaliter mancipatur alicui rei, vt videmus in nuptijs quod non adhibetur eis solennitas, nisi cum vterque coniugum propij corporis potestatem alteri tradit. Sed per professionem certæ regulę & susceptionem sacri ordinis, homo totaliter deo mancipatur. Et ergo in his duobus votum

solennizatur, vnde non est idem, votum solenne & publicũ, nam publicum habet solennitatem quandam humanã. Gratius quoq; peccat transgressor voti solennis quàm simplicis. Quod si dicantur peccare apud deum æqualiter, intelligendum est, quod vterque peccat mortaliter. Prædicta demum duo vota, scilicet ordinis & certæ regulæ, solùm impediunt matrimonium contrahendum diminuuntq; contractũ, quod est effectus voti solennis.

4. Insuper cum votum sit promissio deo facta, non potest esse nisi de his quæ potestati vouentis subduntur. Et ideo qui alij est subiectus, nihil promittere potest de his, in quibus potestati alterius subditur, nam in his non est sui iuris, vel potestatis, quid facere velit. Vnde filius quia liber est, quo ad suam personam, potest inuitis parentibus ingredi ordinem, non autem seruus, quia est in potestate domini quantum ad personales operationes. Rursus religiosus subditus est prælato quo ad actus suos, secũdum tenorem professionis regulæ suæ. Et ergo quando à prælato non occupatur circa debita, potest alia agere. Sed quoniam nullum est tempus, in quo à prælato occupati non possit, propterea nullum votũ religiosi est firmum nisi sit de consensu prælati, sicut nec vxoris sine consensu mariti. Quamuis autem qui in maiorum potestate sunt simpliciter vouere non valeant, non tamen peccant vouendo, nam in eorum voto intelligitur semper cõditio, vtpote si superiori placuerit.

¶ An pueri se obligare possint voto ad religionis ingressum inuitis parentibus 2. An votum sit dispensabile vel commutabile 3. Vtrum in solenni voto continentiæ possit dispensari 4. An etiam in dispensatione voti exigatur superioris authoritas. Articulus 151.

PRæterea, votum est duplex scilicet solenne, quod in quadam consecratione & benedictione consistit: & ob id dispensatione ecclesiæ cadit solennizatio voti. Aliud est votũ simplex ex proprij animi deliberatione procedẽs, & tale potest ineffica fieri dupliciter. Primo propter rationis defectum, vt in furiosis. Secundo, quia alterius potestati quis subditur. Hæc autem ambo concurrunt in pueris ante annos pubertatis, nam vt frequentius rationis defectum habent, & sub cura parentum consistunt. Ideoq; ex duplici causa votum eorum robore caret. Veruntamen in quibusdam paucissimis vsus rationis accelleratur, qui ob hoc dicuntur doli capaces: nec tamẽ ob id eximuntur à cura parentum, quæ subditur legi humanæ, respicienti id quod in pluribus accidit. Itaq; puer aut puella ante annos pubertatis nullo modo se potest ad aliquid voto astringere, si vsum rationis non attingat. Si autem attigerit, potest se obligare quantum in se est, sed à parentibus potest irritari sub quorum permanet cura, quantumcunque sit doli capax. Voto demum solenni nequaquam obligare se potest ante annos pubertatis, propter statutum ecclesiæ respiciens quod in pluribus accidit. Et quod dictum est de parentibus, intelligi debet etiam de tutore, qui est loco parẽtum, vt habetur vicesima quæstio ne secundo capitulo.

2. ¶ Denique sicut in lege quæ communiter assignatur, fit dispensatio quando lex in certo casu obseruanda nõ est, sicut furioso non est restituendus gladius, sic in voto dispensatio fit. Quia licet votum secundum se obliget, tamen in casu legitimo accidit ipsum non esse obseruandum, vel quia est simpliciter malum, aut certè inutile, aut maioris boni impedimẽtale, quæ omnia sunt cõtra rationem eius quod cadit sub voto. Vnde oportet, vt in tali casu determinetur nõ esse seruandum. Dispẽsatio nanq; importat quandam commensuratam distributionem, seu applicationem eius, quod est commune ad contenta sub ipso: quemadmodum dicitur homo dispensare cibum familiæ. Itaq; quãdo absolute determinatur votum non esse seruandum, dicitur voti dispensatio. Si autem pro voto aliud iniungatur, est commutatio voti. Vnde minus est votum commutare, quàm dispensare. Sed vtrumque in ecclesiæ potestate cõsistit. Nec istud repugnat iuri naturali vel diuino, quia sicut tenetur homo ad votum de iure naturali atque diuino, sic quoque ex eisdem obligatur superiori mandato ac legi parere.

3. ¶ Aduertendum autem, quod aliqui asserunt summũ pontificẽ posse dispensare in voto continentiæ, solennizato propter bonum commune, quod bono singularis personæ præfertur. Velut si aliquis monachus factus est, per cuius matrimonium pax patriæ reformari queat. Sed istud est manifeste cõtra illud, quod dicitur extra. de statu monachorum in fine illius decreti, cum ad monasterũ. Abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachorum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

chorum, vt contra eam nec summus pontifex possit indulge re. Adhuc autem in Leuit. dicitur. Quod semel sanctificatū est domino, non potest in alios vsus commutari. Cum ergo prælatus facere nequeat, vt res domino consecrata, quanuis inanimata, vt calix, cōsecrationem amittat quandiu integer perseuerat multo minus fieri potest à quocunque prælato, vt homo deo consecratus desinat esse consecratus quandiu viuit. Solennitas autem in consecratione seu benedictione eō sistit vouentis. Ideoque per nullum prælatum fieri valet, vt qui votum solenne emisit desinat ab illo ad quod est cōsecratus. Castitas verò essentialiter est annexa voto solenni in susceptione religionis, non autem in susceptione sacri ordinis. Vnde quanuis in voto solenni continentiæ sacri ordinis possit aliquo modo dispensari, tamē nullatenus hoc fieri potest in professione continentiæ religionis. Et sicut fieri nequit, vt sacerdos non sit sacerdos, quandiu viuit: sic esse non potest, vt religionem professus, desinat esse religiosus: licet quidam iuristæ ignorāter oppositum dicant. Nam & bono communi prouidendum est de rebus humanis, & non per hoc quod res deo consecratæ conuertantur in vsum humanum. Monachus autem est mortuus mundo, & ergo nulla occasione reuocandus est ad vitam mundanam.

¶ At verò religiosus qui sit Episcopus, non absoluitur à voto paupertatis, quia nihil habere debet, tanquam proprietarius. Sed tanquam dispensator, imo nec ab obedientię voto absoluitur, nam quod non tenetur obedire est per accidēs, scilicet quia superiorem non habet: sicut & abbas monasterij obedire nō tenetur, quanuis nō sit à voto obedientiæ absolutus.

4. ¶ Votum est promissio Deo facta de aliquo ei placito. Quid autem alicui placeat, ex eius dependet arbitrio. Cum ergo prælati ecclesiæ sint vicarij Dei: ideo in commutatione & dispensatione votorum requiritur prælati authoritas, qui in dei persona determinet, quid sit Deo acceptū vel non, & secundum hoc dispenset ad dei honorem & ecclesiæ vtilitatem. Nec potest prælatus pro suo libitu dispensare, cū non sit dominus, sed dispensator, in ædificationem & non in destructionem, secundum Apostolum: Et ergo in manifestis malis eius dispensatio non excusaret à culpa. Sed si esset causa apparens dispensandi cum voto, per quam saltem in dubium verteretur posset stare dispensatio. Non autem debet homo

homo proprio iudicio cessare à voto, nisi forte esset aperte illicitum, & non posset opportunè ad superiorem accedere. Maiora quoque vota, videlicet continentiæ, & peregrinationes terræ sanctæ, reseruantur summo pontifici.

¶ *Quid sit iuramentum 2. An sit licitum 3. De commitibus iuramenti 4. Cuius virtutis actus sit iurare iuramentum.* *Articulus 152.*

IVramentum verò, teste Apostolo, ad confirmationem ordinatur. Facta autem humana cum sint contingentia & particularia, probari non possunt per rationem necessariam sicut scibilia, & ideo probari solēt per testes. Sed testimonium hominum non sufficit semper, tū quoniā multi in mendacium cadunt, tum quia multa latent cognitionem humanam, sicut in absentia facta, & futura cordiumq; secreta, de quibus interdum certitudo expediēs est. Vnde necesse est ad diuinum testimonium recurrere, cum Deū nil lateat, nec ipse fallere possit. Nā iurare est Deum testem inuocare. Inducitur autem testimonium dei quandoq; ad assertionem præsentis vel præteriti, & hoc vocatur iuramentum assertorium. Interdum quoque ad asserendum futurum, & dicitur iuramentū promissorium. Sed in necessarijs, & per rationem inuestigandis, satium esset iuramentum inducere, vt si quis in disputatione iuramento vellet probare propositum, derisibile foret. Est autem modus duplex iurandi, scilicet per simplicem cōtestationem, & per execrationem, quia & deus duplciter manifestat veritatem eius, ad cuius testimoniū inuocatur, scilicet per veritatis reuelationem seu inspirationem, & per manifestam vindictam.

2. ¶ Deniq; iuramentum secundum se honestum & licitum est, tā ratione originis quàm finis. Est enim inductum ad certificandum homines & ad finiendum controuersias, & sic ex parte finis est licitum. Ex origine quoque, quoniam iuramentum introductum est ex fide, qua homines credūt Deum habere infallibilem veritatem, omniumq; notitiam ac vniuersalem prouidentiam. Sed quoniam id quod ex se bonum est, cedere potest in malum alterius, qui eo male vtitur, vt sumere eucharistiam: ideo iuramentum cedit in malum hominis, qui sine debita necessitate atque cautela vtitur eo: videtur enim paruam habere reuerentiam Dei, qui eum ex leui causa testem inducit, quod etiam de viro honesto aliquo non face

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret. Et rursus faciliter iurranti imminet periculum periurij ex facilitate consuetudinis, & ob id dominus iurare prohibuit.

3. ¶ Porro super illud Ieremiæ: Iurabis viuit dominus in iudicio, in veritate & iustitia dicit Hierony. Quod iuramenti tres comites habet, videlicet iudicium, veritatem, iustitiam. Iuramentum enim non est bonum, nisi ei qui ipso legitime vtitur: ad quod duo requiruntur. Primo, ne quis leuiter, sed ex necessaria causa & discrete iuret: & quo ad hoc, requiritur ad iuramenti iudicium, scilicet discretionis, ex parte iurãtis. Secundo ex parte eius quod iuramento confirmatur, exigitur, quod iuramentum sit verum: & sic ponitur veritas. Et quod non sit illicitum aut iniquum, & ideo additur iustitia. Itaque iudicium non accipitur hic pro executione iustitiæ, sed pro iudicio discretionis: similiter veritas non accipitur hic prout est pars iustitiæ, sed prout est quædam loquendi conditio: iustitia verò spectat ad causam pro qua iuratur, vt sit licita.

4. ¶ At verò quoniam nihil confirmatur nisi per illud quod firmius dignius que cõstitit, ideo qui deum testem inuocat, profitetur eũ esse se maiorem vtpote infallibilis veritatis ac prouisionis, & sic deo reuerẽtiam exhibet. Nã & Apostolus dicit: Homines per maiores se iurant. Et Hieronymus super Mateũ ait, quod qui iurat, veneratur vel diligit eũ per quem iurat, imò secundum Aristotelẽ: Iuramentum honorabilitatem quiddam est. Cùm ergo Deo reuerentiam exhibere ad latriam seu religionem pertineat, palàm est quod iurare sit actus religionis seu latriæ, & hoc ratione testimonij Dei.

¶ De frequentatione iuramenti 2. Vtrum liceat per creaturas iurare 3. Ad iuramentum sit obligatorium 4. Verum amplius obliget iuramentum, vel votum. Articulus 153.

EA denique quæ ordinantur ad subueniendum defectui, non sunt per se appetenda, sed necessaria sicut medicina. Talia verò quæ ordinantur & appetuntur propter aliud, non sunt frequentanda, nisi secundum exigentiam eius ad quod ordinantur. Iuramẽtum autem ordinatur ad subueniẽdum defectui quo vnus homo alteri diffidit, nõ ergo est per se appetendum, sed est huic vitæ, propter malum alterius, necessarium, & quoniam ordinatur ad certificandum: ideo non est frequentandum nisi inquantum necessitas huiusmodi finis exposcit.

2. ¶ Præ-

2. ¶ Præterea, duplex est iuramentum, videlicet per simplicem contestationem, & hoc diuinæ veritati innititur sicut & fides: vnde fides est primo & principaliter de deo, secundario autem de creaturis quibusdam secundum quod in eis bonitas diuina resplendet, sic iuramẽtum principaliter refertur ad deũ cuius veritati innititur, secundario autẽ assumuntur quædam creaturæ ad iurandum, non secundum se, sed in quantum in eis diuina veritas manifestatur, vt iuramus per Euangelium, id est, per Deum cuius veritas in Euangelio cõtinetur, & per sanctos, qui hãc veritatem crediderunt. Aliud est iuramentum per execrationem, & in tali inducitur creatura sicut in qua diuinum exerceatur iudicium, vt cũ homo iurat per caput suum, vel filiũ, aut aliud quod diligit sic quoq; iurauit Apostolus. Ego (ioquiens) testem Deum inuoco in animam meam. Vnde quod Ioseph per salutem Pharaonis iurauit, vtroque modo potest intelligi, scilicet per modum execrationis, sic quod Pharaonis salutem obligauerit deo, & per modum contestationis, videlicet contestando veritatem diuinæ iustitiæ, ad cuius executionem principes terræ constituuntur. Sic ergo pãtet quomodo Christus per creaturas iurare prohibuit, ne scilicet eis diuinus honor impẽderetur. Sic enim intelligi debet quod 22. quæstione prima, clericum per creaturam iurantem à crimine obiurgandum.

3. ¶ Insuper quicunque iurat se esse aliquid facturum, tenetur illud verificare atque implere, dummodo assint alij duo comites iuramenti, videlicet iudicium & iustitia: nam si iuramẽtum est de re impossibili, deest iudicium discretionis. Si est de re secundũ se mala aut boni impeditiua, deest iustitia. Ideoq; nullum eorum est seruandũ: quemadmodũ de voto prædictũ est. Vnde si quis iuraret se nõ ingressurum religionem, aut sacerdotem futurum, vel accepturum prælationẽ in casu quo hoc expediret, nõ esset implendum: quia in talibus ponitur spiritus sancto obex, qui maioris boni est inspirator ac dator. Cùm ergo homo iurat ad quod non tenetur, sed est bonum supererogationis peccat iurando, sed non peccat seruando, vetumtamen multo melius agit non obseruando. Advertendum quoque, quod in iuramento coacto duplex est obligatio. Vna quo ad hominem cui inuitus promisit, & illa per coactionem auferetur, qui enim violentiam intulit, promeretur vt ei promissum non seruetur. Alia est obli-

gatio

Universidad de Deusto
Biblioteca

gatio quo ad deum, qua tenetur homo implere quod per nomen dei spopondit, & hanc non tollit coactio in foro conscientiæ, quia potius debet homo temporale damnum incurrere quam iuramẽtum violare, sed potest in iudicio repetere quod soluit, seu præfato denunciare, quanuis oppositum iurasset. nam tale iuramentum vergeret in detrimentum esset enim contra iustitiam publicam. Vnde elucescit intellectus eius, quod habetur extra, de iureiurando ca. vnic. in ca. quæst. quod qui inuti aliquid spondent, per Romanos ponti fices absoluuntur à iuramento, non quod decernatur iuramẽto coacta non esse obligatoria, sed quasi huiusmodi obligationes ex iusta causa relaxantes.

¶ Rursus, quando non est eadem iurantis & eius cui iuratur intentio, si hoc est ex dolo iurantis, seruandum est iuramentum secundum sanum iudicium eius cui iuramentum præstatur. Si verò iurans dolum non adhibet, obligatio est secundũ intentionem iurantis.

4. ¶ Præterea obligatio voti causatur ex fidelitate, quã deo debemus, videlicet vt ei promissum soluamus, sed obligatio iuramenti est ex debito reuerentiæ quã deo tenemur, scilicet vt verificemus quod per nomen eius firmauimus. Omnis autem infidelitas irreuerentiam continet, & non ecõtra. Ideoque votũ ex sua ratione amplius obligat quàm iuramẽtum, præsertim cum infidelitas fetui ad dominum sit irreuerẽtia maxima.

¶ De dispensatione iuramenti 1. De impedimento eius ex parte personæ iurantis 3. Vtrum etiam licitum sit adiurare homines 4. Vtrum dæmones 5. An irrationales creaturæ. Articulus 154.

INsuper sicut in lege & voto necessaria est dispensatio, eò quòd aliquid quod in se seu in communi consideratum est bonum ac vtile, in aliquo particulari casu esse potest nociuum atque illicitum, non potens cadere sub lege & voto, velut inepta materia: Pariformiter in iuramẽto dispensari potest. Nam quod aliquid sit inhonestum aut nociuum, repugnat his quæ in iuramento pensanda sunt, puta iustitiæ & iudicio. Sed istud sic intelligendum non est, quod dispensatio iuramenti se extendat ad hoc quod aliquid contra iuramentum fiat, hoc enim repugnaret veritati & diuino præcepto, quod ad iuramenti obseruantiam obligat, & omnino indispensabile est, sed ad hoc dispẽsatio se extendit vt quod sub iuramento cadebat, nunc sub iuramento non cadat tãquam inepta materia ad iurationem.

¶ Sciendum denique, quod homo promittere potest alicui dupliciter aliquid. Primo quod pertinet ad vtilitatem ipsius, vt si promittat se ei daturum pecuniam, & à tali promissione potest absoluere ille cui promissio facta est. Intelligitur enim iam ei soluisse, quando voluntati eius satisfecit.

¶ Secundo modo homo alteri promittit aliquid ad dei honorem, vel alterum pertinens vtilitatem, vt est ingredi religionem, aut opus pietatis exercere, & à tali alter non potest absoluere, quia nõ ei, sed deo principaliter est facta promissio, nisi forte esset adiecta conditio. Rursus iuramentum vel est manifestè repugnãs iustitiæ, vt si est per se de re mala, quem admodum est homicidium facere, & tunc dispensatione non egeret, sed mox omittendum esset: vel est maioris boni impeditiuum, vt si quis promittat non ingredi claustrum, & tunc seruari & non seruari licet, & sine dispensatione frangi potest: quandoque quod promittitur in dubium vertitur, an ipsum implere sit vtile, vel inutile, nociuum vel proficuum, & de tali iuramento quilibet episcopus dispensare valet. Quandoq; verò quod sub iuramẽto cadit est manifeste licitum & vtile, & in talibus locum non habet dispensatio vel commutatio, nisi aliquid melius faciendum occurrat ad communem pertinens vtilitatem, quod ad Papam maximè spectat, qui plenitudinem potestatis accepit in omnibus generalibus, quæ ecclesiasticarum rerum dispensationem concernunt.

2. ¶ Præterea, duo sunt in iuramento pensanda. Vnum ex parte dei, & sic debetur iuramento reuerentia summa. Vnde pueri ante annos pubertatis, propter rationis defectum, Periuri quoque propter præcedentis maligniatis præsumptionem à iuramento excluduntur propter quod dicitur 22. q. 5. honestum est vt qui in sanctis audet iurare, iciunus hoc faciat cum omni honestate ac dei timore. Aliud in iuramento attenditur ex parte hominis cuius dictum iuramento firmatur, confirmatione autem non eget nisi id de quo dubitatur, & idcirco dignitati hominis derogat quod eius iuramẽtum exigitur, propter quod personis magnæ dignitatis iurare non cõuenit. Vnde habetur secunda quæstione quarto capitulo, si quis Præsbyter, quod sacerdotes ex leui causa iurare non

debent

Universidad de Deusto
Biblioteca

debent. Possunt tamen in necessitate & magna vtilitate præstare iuramentum, & maximè in spiritualibus rebus, pro quibus etiam diebus solennibus conuenit iuramentū præstare. Dicit autem Chrysostomus, quod maius est iurare per deum quàm Euangelium, vtpote ex parte testis secundum se, tamē propter modum iurandi, scilicet solennitatem & deliberationem iurationis, magis sit per Euangelium iurare.

¶ Leguntur demum deus & angeli in sacra scriptura iurasse non propter defectū ipsorum iurantium, sed ad insinuādum diuinæ dispositionis immobilem certitudinem.

2. ¶ Potro qui iurat iuramento promissorio per reuerētiam nominis diuini, seipsum immobiliter obligat ad soluendum quod promittit. Sicut autem homo seipsum ordinate potest ad aliquid agendum: sic & alios superiores deprecando, inferiores imperando, quos etiā ex debito præstiti iuramēti compellere potest. Si verò aliquem sibi non subditum per inuocationem diuini nominis, aut alicuius rei sacræ ad aliquid agēdum compellere velit, vsurpat sibi potestatem alienam & illicite agit, veruntamen superiores propter necessitatem, inferiores suos tali genere adiurationis cōstingere possunt. Sed cum aliquis vult aliquid ab alio obtinere per inuocationem Dei aut sanctorum absque necessitatis impositione, talis adiuratio licet quibuslibet. Sed, vt Origenes testatur, non licet alium cogere per adiurationem, vt sibipsi iuret, sic namque princeps sacerdotum adiurauit Christum. Patet itaque quod adiurare non est alium ad iurandum inducere, sed per similitudinem iuramenti à se inducti alium ad agendum aliquid prouocare.

4. ¶ Denique non licet dæmones adiurare per modum deprecationis prædictæ, sic enim initet homo quasi societatem quandam cum dæmone. Sed secundo modo adiurationis, scilicet per compulsionem in virtute Christi, licitum est dæmones adiurare, vt nobis non noceant spiritualiter vel corporaliter & recedant. Sed non licet eos adiurare aliquid ab ipsis addiscēdo vel obtinēdo, eum hoc ad societatē pertineat nisi ex speciali spiritussancti instinctu, quemadmodū Apostolus Iacobus iussit Hermogenem sibi adduci per dæmones.

5. ¶ At verò adiuratio irrationabilium creaturarum dupliciter potest intelligi. Vno modo, vt referatur ad eas secundum se, hoc autem vanum existit, cum ipsæ non sint libertatis aut discre-

tionis capaces. Alio modo vt referatur ad eum à quo irrationales creaturæ aguntur atque mouentur, scilicet ad auctorem naturæ deum: & sic adiurantur per modum depræcationis, vt patet in his qui per diuini nominis inuocationē miracula faciūt. Diabolus quoq; deo permittente vtitur irrationabilibus creaturis ad nocendum hominibus, & hoc modo in ordine ad dæmonem adiurantur per modū compulsionis, vt in exorcismis ecclesiæ, per quos potestas diaboli à talibus rebus exeluditur.

¶ *An deus sit ore laudandus. 2. Et verum laudibus dei adhibendus sit cantus. Articulus 155.*

VTimur autem laude oris ad deum non vt ei aliquid forinsecus insinuemus qui cordium est conspector, sed vt nos atque audientes ad eius reuerentiam inducamus. Vnde necessaria est laus oris ad inflammandum affectum nostrum, non propter deum.

¶ Dicit verò Philosophus, quod optimorum non est laus, sed aliquid dignius laude. Ideoque deo absolute considerato, videlicet secundum suam essentiam qui prorsus immensus, & incomprehensibilis existit, exhibetur reuerentia latriæ, sed laus ei debetur per comparationem ad suos effectus, quos in nostram vtilitatem creauit.

2. ¶ Az verò propter eandem rationem ecclesia cantus instituit. Vnde Augustinus nona Confessio. ait, quod Ambrosius in Mediolanensi ecclesia cantum instituit. Cantus enim excitat deuotionem maximè infirmorum, qui ex seipsis deuotionis feruorem elicere de facili nequeunt, & Augustinus de se testatur: Fleui in hymnis & canticis, &c. Et denuo: Cum mihi accidit, vt me plus cantus quàm res quæ cantatur moueat, poenaliter me peccare confiteor, & tunc mallem nō audire cantantem.

¶ Aduertendum autem, quod secundum Gregorium, & habetur in decretis. Maiores in ecclesia non decet cantare, & ergo prælati & diaconi, qui habent populum per prædicationem atque doctrinam ad Deum erigere, cantui non debent insistere, ne per hoc à maioribus impediantur. Quemadmodum autem cantus deuotionem extinguit si quis studiose eo ad delectandū vtatur, sic si quis propter deuotionem cantet, ea quæ cantantur magis attente considerat, tum quia diutius super eodem immoratur, tum quia secundum Augu

Universidad de Deusto
Biblioteca

sti.1.confess. Omnes affectus spiritus nostri propter suam diuersitatem habent proprios modos in voce & cãtu, quorum occulta familiaritate excitãtur, & similis ratio est de audientibus, qui licet quandoque ignorent sensum verborum & votum, sciunt tamen quod ad diuinam pertinent laudem.

¶ De superstitione. 2. De speciebus eius. 3. Vtrum etiam in cultu dei esse possit aliquid perniciosum 4. An aliquid superfluum. Articulus 156.

Est denique, secundum præinducta religio virtus moralis, & ideo est media inter duo vitia, quorum vnũ pertinet ad excessum, aliud ad defectum. Vnde superstitio religioni opponitur secundum excessum, non quod plus ad dei cultum impẽdat quàm vera religio exigit, sed quoniam exhibet diuinum cultum, vel cui non debet, vel eo modo quo nõ debet. Medium quippe virtutis excedituꝝ, nõ solùm secundum circumstantiam quæ dicitur quantum, sed etiam quãtum ad alias scilicet cui, & quomodo, & cæteras vt dicitur quarto Ethicorum.

2. ¶Porro diuersitas specierum superstitionis vno modo attenditur ex parte obiecti, quia vel cultus diuinus exhibetur cui debetur vtpote deo vero, sed indebito modo, & sic est prima species superstitionis, vel cui non debetur, videlicet creaturæ, & ita est aliud genus superstitionis, quod in diuersas diuiditur species secundũ varios fines diuini cultus, qui primo ordinatur ad reuerentiam deo impendendam, & contra hoc prima species huius generalis idololatria ponitur, quæ creaturę diuinam reuerentiam tribuit. Secundo ordinatur cultus diuinus vt homo instruatur à deo, & sic religioni opponitur superstitio diuinatiua, quę dæmones cõsulit per aliqua pacta expressa vel inita. Tertio ordinatur cultus diuinus per modũ contrarium ad directionem actuum humanorum secundum instituta diuina, & ad hoc pertinet superstitio quarundã institutionum, videlicet ligaturæ, &c. & hoc tangit Aug. 2. de doctrina Christiana.

3. ¶Insuper secundum Aug. pernitiosum præsertim attenditur in his quę ad Christianam pertinent religionem, sicut autem aliquid significatur verbo ita & facto: vnde sicut dicitur mendacium quando verbo aliter significatur, quàm in rebus existit, sic dicitur in cultu dei pernitiosum, quando facto in quo cultus religionis exterior ponitur, aliquid significatur quod

quod veritati religionis contrariatur, hoc verò dupliciter accidit. Primo ex parte rei significatæ, à qua significatio cultus discordat, velut si quis tempore nouæ legis, veterem legem implere vellet, in qua Christi ministeria designabantur futura, vnde ea modo seruare tam est pernitiosum, ac si quis verbo diceret, Christum esse passurum. Secundo contingit hæc falsitas ex parte colentis, maximè in cultu communi qui in persona totius ecclesiæ exhibetur, & ideireo pernicioſius foret qui aliquid foris, ex parte ecclesiæ, deo exhibet cõtra modum ab ecclesia institutum, atq; cõsuetum, sed ante legẽ sancti viri per interiorem instinctũ instruebantur de modo deũ colendi, quos alij imitabantur.

¶Amplius, superfluum dupliciter dicitur scilicet secundum quantitatem absoluram, & sic in diuino obsequio nõ potest esse superfluum. Nũ quicquid facimus aut facere possumus minus est eo quod deo creatori debemus. Secundo dicitur superfluum secundum quantitatem proportionis, videlicet quod non est proprio fini proportionatum. Finis autem diuini cultus est, vt homo seipsum deo tradat, mente & corpore se ei subijciens quod sit dũ omnia quæ habet & agit, ad dei gloriam refert, videlicet carnem domãdo, spiritum humiliando, deum glorificando. Quicquid autem ad dei gloriam non pertinet, neque ad hoc quod anima deo subdatur & caro domentur ordinate, vel si est contra dei atque ecclesiæ institutionem vel consuetudinem, quæ pro lege habetur secundũ Augustinum, hoc totum superstitioſum est, & in vera religione superfluum, quoniam ad interiorem dei cultum nõ pertinet. Vnde Augustinus libro de vera religione, illud verbum Luc. 17. Regnum dei intra vos, &c. contra superstitioſos inducit, qui exterioribus principalem curam impendunt.

¶De idololatria. 2. An sit peccatum. 3. An sit peccatum grauissimum. 4. De causa huius peccati. Artic. 157.

Porro idololatria species est superstitionis, quia excedit debitum diuini cultus, non deo creatori sed creaturis illum, scilicet cultum, impendens. Quemadmodum autem gẽtiles diuinum cultum exhibebãt figuris seu idolis, sic quidam eorum exhibuerunt illum rebus per idola seu imagines repræsentatis, vnde cultus latriæ idolis diuersimodè impartiebantur: Nam quidam per artem

Universidad de Deusto
Biblioteca

nephatiam constituebant imagines, quæ virtute dæmonum certos effectus habebant, propter quod putabant aliquid diuinitatis imaginibus inesse, ac per hoc diuino cultu honorandas, & hæc erat opinio Hermetis trismegisti vt ait Augustinum octaua de ciuitate dei. Alij verò impĕdebant cultum diuinum non ipsis imaginibus sed rebus quas præsentant, quorum triplex extitit error. Aliqui enim putabant quosdam homines esse deos, vt Iouem, Mercurium, quos per eorum statuas coluerunt. Cæteri æstimabant totum mũdum esse vnum deum, non propter corporalem substantiam sed propter animam eius, asserentes nihil aliud esse deum nisi animam, motu, & ratione mundum gubernãtem, propter quod toti mundo & omnibus partibus eius, scilicet, aëri, terræ, aquæ, &c. hi trahantur diuinum impendẽdum honorem. Reliqui verò, puta Platonici, ponebãt vnum summũ deum omniũ causam, post quẽ ponebant quasdã spirituales substantias à deo summo creatas, has quoque deos dicebant participatione diuinitatis, & tales substantias nos dicimus angelos. Post autem ponebant animas corporum cœlestium. Et post eas dæmones, quos appellabant animalia aërea atq; diuina. Post quos ponebant animas hominum, quas per excellentia virtutum astruebant ad deorum transferri consortium. Omnia itaque hæc ad idololatriæ superstitionem pertinebant, quia seruiebant creaturæ magis quàm creatori. Vnde nomẽ idololatriæ omnem cultum creaturæ designat, etiam si absque imaginibus fiat. Quod verò Apost. asserit, nihil esse idolum in mundo, ideo dixit, quia imagines illæ non sunt animatæ, nec aliquid diuinitatis participantes, quemadmodum opinabantur idololatræ.

2. ¶ Præterea, quædam putabant non solum summo Deo sed etiã prædictis creaturis præcipuis, sacrificia & alia ad latriam pertinentia debere offerri tanquam deo propinquioribus, sed hoc omnino absurdum est, nam summo deo, qui omnibus singulariter eminet, singularis est honor exhibendus, qui latria appellatur, potissimè cum cultus exterior sit interioris cultus iudicium, & idcirco sicut deo vero debetur singularis cultus latriæ interior: sic quoque exterior. Vnde illi soli exterius sacrificium offerre oportet, cui interius sacrificium offerendum existit. Alij verò ponebant exteriorem cultum talibus impendendum, nõ tanquam per se bonum vel oportunum, sed

sed sicut vulgari consuetudini consonum. Vnde 6. de ciuitate dei inducit Aug. Senecam dicentem sic adoramus, vt meminerimus huiusmodi cultum magis ad morem quàm ad rem pertinere, & idem refert August. in lib. de vera religione de Philosophis, quod inter populos concesserunt idola esse colenda, sed inter se contrarium astruebant. Hunc autem errorem hæretici quidam secuti sunt, dicentes, non esse illicitum si quis tempore persecutionis foris idola colat, dummodo fidem rectam mente retineat: sed hoc apertissimè falsum est. Cùm enim exterior cultus sit signum cultus interni, sicut mendactum esset pernitiosum si quis verbis quippiam diceret fidei cõtrarium, sic pernitiosa est falsitas, si quis alicui exteriorem cultum diuinum impendat, contra id quod mente sentit. Vnde de Seneca narrat August. 6. de ciuitate dei quod tanto damnabilius idola colat, quanto illa quæ mendaciter egit, veraciter agere æstimabatur.

3. ¶ Demique grauitas peccati attenditur vno modo ex parte peccati, & sic idololatria est grauissimum peccatum, quia idololatria quantum in se est, alium deum constituit, & contra ordinẽ vniuersi agit quem turbat, quemadmodum etiam in communitate maximum est peccatum regium honorem impendere alij. Secundo attẽditur peccati enormitas ex parte peccantis, sicut grauius peccat qui peccat scienter quàm qui ignoranter, & ita peccatum hæretici, qui fidem scienter corrũpit, grauius esse potest idololatra, & similiter alia peccata ratione maioris contemptus.

4. ¶ Insuper idololatriæ duplex fuit causa. Vna dispositiua, & hæc erat ex parte hominũ dupliciter. Primo ex inordinato affectu, quo aliqui quosdã minus amãtes aut venerantes, diuinũ eis impenderent honorẽ, sicut in lib. Sap. dicitur: Secundo ex ignorãtia veri Dei, cuius perfectionem quidã ignorantes, atque creaturarum pulchritudinem admirantes, illas pro deo colebant. Alia idololatriæ causa erat cõsummatiua, & ista fuit ex dæmonibus qui in idolis responsa dabant, & alia quædam mira fecerunt ac per hoc se colẽdos præbebãt. Vnde in Psal. habetur: Omnes dij gentium dæmonia. Dicunt autem aliqui, quod idololatria in secunda ætate incæpit, in prima nanq; ætate, propter recentem memoriam creationis mundi, & ob naturalis rationis vigorẽ nõ fuit. Fertur autem à Nemroth inuenta, qui compulit homines ignem adorare:

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel à Nino, qui Beli patris sui imaginem fecit adorari. Iudæi quoque aiunt, quod Ismaël primus fecit simulachra de luto, Græci verò à Prometheo hoc primo factum testantur.

¶ Vtrum diuinatio sit peccatum. 2. An sit species superstitionis. 3. De speciebus diuinationis. 4. De diuinatione quæ fit per dæmones. Articulus 158.

Diuinatio insuper futurorum prænuntiationẽ importat. Futura verò dupliciter possunt agnosci, videlicet in suis causis, & in seipsis. Causæ autem futurorum in triplici differentia sunt. Nam quædã semper & ex necessitate effectus suos producũt. Et tales effectus ex cõsideratione causarũ possunt præsciri: vt eclipsis lunæ. Quædam verò causæ producunt effectus suos non semper nec de necessitate, sed vt frequenter & raro deficiunt. Tales itaque effectus præsciri possunt, non vtique certitudinaliter, sed coniecturaliter: sicut Astrologi ex consideratione stellarum quædam prænuntiant de pluuijs, de sterilitate, vel ficcitate aeris: Et medici de sanitate vel morte. Aliæ verò causæ se habent æque ad vtrumlibet. Et istæ potissimè sunt potentiæ rationales, quæ se ad oppositа habent. Harum igitur causarum effectus, & etiam illi qui raro ex naturalibus suis causis producuntur, ex consideratione causarum præsciri non valẽt, sed solùm præsciuntur secundum quod in seipsis considerantur. In seipsis verò considerati non possunt ab homine, nisi diuinitus præsentialiter sunt. Sed hoc deo est propriũ, futura huiusmodi tanquam præsentia cernere, quoniam in dei sapientia omnia præsentialiter innotescunt. Vnde cum quis talia prænuntiare aut præagnoscere præsumpserit, nisi deo reuelante, ad quod dei est sibi vsurpat. Et ex hoc diuini dicuntur, qui sibi indebito modo assumunt futura prædicere quadã fraudulenta astutia. Et quia hoc illicitum est, cõstat diuinationem semper esse peccatum.

2. ¶ Deniq; superstitio est indebitus cultus diuinitatis. Ad cultum autem dei aliquid spectat dupliciter. Primo, cum aliquid scilicet sacrificium vel oblatio deo offertur. Secũdo, cũ aliquid diuinum assumitur, vt in iuramento. Patiformiter ad superstitionem solùm pertinet, cum dæmonibus quicquam offertur, sed etiam cum aliquis assumit adiutorium dæmonis ad aliquid cognoscendum vel agẽdum. Omnis verò diuinatio ex dæmonibus prouenit, vel quia manifeste inuocantur, vel

vel quia vanæ inquisitioni occulte se ingerunt. Dicit enim Origenes in Periarchon: Est quædam operatio dæmonis in ministerio præscientiæ, quæ artibus quibusdam, ab his qui se dæmonibus mãcipauerunt, nunc per sortes, nunc per auguria, nunc ex contemplatione vmbratum comprehendi videtur. Hæc autem omnia operatione dæmonum fieri non dubito. Vnde patet, quod superstitionis species sit ipsa diuinatio.

3. ¶ Porro multæ sunt species diuinationis, quia (vt dictum est) omnis diuinatio, auxilio seu consilio dæmonum vtitur, vel manifeste inuocato, aut occulte se ingerente. Dæmones autem expresse inuocati, futura prænuntiant multipliciter, quandoq; præstigiosis apparitionibus se auditui atque cõspectui hominum ingerentes: & hæc species nominatur præsagium, quandoq; autem per somnia, & tunc dicitur diuinatio somniorum. Interdũ verò per mortuorum apparitionem seu allocutionem, & dicitur nigromantia, nam nigrũ Græcè, latine dicitur mortuus, mantia autẽ diuinatio nuncupatur: quibusdam enim præcantationibus, adhibito sanguine, videtur mortui suscitati ad interrogata respondere. Interdum autem futura prænuntiant per homines viuos, quemadmodũ in arreptitijs. Et hęc est diuinatio per Pythones. Sunt enim secundum Isidorum, Pythones à Pythone Apolline dicti, qui diuinandi extitisse author describitur. Quandoque autem futura prænuntiant per figuras seu signa in rebus inanimatis apparentia, vtpote in igne, ferro, lapide, aqua, aëre, vel in visceribus animalium in aris dæmonum oblatorũ, & secundũ hoc diuersa sunt nomina diuinationũ huiusmodi. Diuinatio demonum, quæ fit sine manifesta dęmonum inuocatione, duplex est. Prima cum ad præcognoscendum futura aliquid consideratur in dispositionibus aliarum rerũ vtpote in situ vel motu stellarũ, quod ad astrologos spectat, qui vocãtur genethliaci propter considerationẽ dierum naturalium, vel in motu seu vocibus auium seu aliorum animalium, aut per sternutationes hominum, vel saltus membrorum: quod totum generaliter pertinet ad augurium. Si verò consideratio talis fit circa verba hominum alia intẽtione prolata, quam quis retorquet ad futurum quod studet prænoscere, dicitur omen. Si autem considerentur lineamenta corporum, vt manus, dicitur chiromantia, vel in spatulis animalium, dicitur spatulimantia. Ad aliud autem genus diuinationis, in qua dęmõ manifeste

Universidad de Deusto
Biblioteca

non inuocatur, pertinet diuinatio quæ fit ex consideratione eorum quæ euenĩt ex quibusdam, quæ ab hominibus secundario fiunt ad aliquid occultũ inquirendũ, sicut ex proiectione taxillorum quis plura puncta proijciat, vel dum consideratur quid aperienti librum primo occurrat, quæ omnia nomen sortiũ habent. Itaq; triplex est diuinãdi genus. Primum cum dæmon aperte inuocatur, quod ad nigromantiam pertinet. Secundum est per solam considerationem dispositionis & motus alterius rei, quod ad augurium spectat. Tertiũ dum aliquid agimus quatenus aliquid occultum nobis manifestetur, quod ad sortes pertinere prædictum est.

4. ¶ Amplius, diuinatio, quæ fit per dæmones, omnino illicita est. Primo propter pactum cum dæmone initum. Secundo quia dæmon semper intendit finaliter, quod humanæ saluti contrarium est: quanuis interdum verum quid dicat. Præterdit nanq; hominẽ assueſcere ad hoc, quod ab ipso scisciteur & sibi credat, sicque suam nequitiam inferat homini. Posset tamẽ aliquid inquiri ab dæmone sponte occurrente propter commodum aliorum. Possimè, quando dæmon diuina virtute compelli potest ad verum dicendum. Sciendum verò, quod secundum Augustinum ad Simplicianum, non est absurdum putare, quod spiritus Samuẽlis diuina dispensatione, non arte magica Sauli apparuit. Vel non spiritus Samuẽlis à requie sua excitatus est, sed aliquod fantasma & illusio imaginatiua, diaboli operatione, ostensa est. Verumtamẽ propter nullum temporale bonum seu commodũ inquirendum est aliquid à dæmonibus per diuinationem.

¶ De diuinatione quæ fit per astra 2. De diuinatione quæ fit per somnia. 3. De ea quæ fit per auguria. 4. De diuinatione per sortes. Articulus 159.

NVne paulo antè innotuit, quomodo ex consideratione stellarum quædam præsciri certitudinaliter possint, videlicet quæ necessario ex illis prouenĩt. Quidam autem dixerunt, quod stellæ nõ causant, sed magis significant ea quæ ex earum consideratione noscuntur, sed hoc stare non potest. Præsertim cum secundum Dionysium quarto capitulo de diuinis nominibus, corpora cœlestia sint causæ eorũ quæ in hoc mundo fiunt, quod etiam Aristoteles asserit. Verumtamen duplices sunt effectus, qui à causalitate superiorum corporum excipiuntur, videlicet

licet effectus per accidens tam in naturabilibus quam in humanis. Nam vt sexto metaphysicæ dicitur, ens per accidens non habet causàm per se, nec est propriè vnum. Secundo excipiuntur actus intellectus & voluntatis. Hæ enim potentiæ immateriales sunt, & ideirco corpora cœlorum directe non agunt nec influunt eis. Sed indirecte, inquantum agunt in corpora hominum, & per consequens in vires sensitiuas, ex quibus intellectualis operatio oritur, sed talis influxus non inducit aliquam necessitatem in voluntatem & intellectum, sed inclinationem quæ ratione ordinari seruatiq; potest.

¶ Itaque quicunque cõsideratione syderum vtitur ad talium casualium seu voluntariorum ac humanorũ effectuũ præcognitionem certam, hoc ex vana & falsa opinione procedit, cui se dæmon immiscet, & est diuinatio superstitiosa.

2. ¶ Denique somnia quãdoque sunt futurorum euentuum causa, sicut cum mens hominis est solicita ex his quæ vidit in somnis, & per hoc inducitur ad aliquid faciendum aut vitandum. Interdum verò somnia sunt signa futurorũ, inquantum reducuntur in causam communem somnis atque futuris euentibus. Causa verò somniorum est duplex, interior & exterior. Interior est duplex. Vna animalis, inquantum fantasiæ dormientis illa occurrunt, circa quæ eius cogitatio & affectio tempore vigiliæ erant intentæ, & talis causa somniorum non est causa futurorum euentuum, sed habent se talia somnia per accidens ad affectus futuros, extque casuale si cum eis concurrat. Alia interior causa somniorum est corporalis, quia ex interiori dispositione formatur motus in fantasia tali dispositioni conueniens, sicut homini abundanti humoribus frigidis, videtur in somnis quod sit in aqua vel nine, & talibus somnijs (secundum medicos) est intendendum ad cognoscendum interiores dispositiones. Causa quoque somniorum exterior duplex est. Vna corporalis, inquantum fantasia dormientis immutatur ab aere continente, vel ab impressione corporum cœlestium, ex qua apparent dormienti aliquæ fantasiæ cœlesti dispositioni conformes. Alia causa exterior est spiritualis, quæ quandoque est à deo, qui per ministerium angelorum aliqua dormienti reuelat, quandoque autem est ex operatione diaboli, cuius machinatione aliquæ formæ dormiẽti occurrunt, per quas futura præcognoscun-

 tur,

rit, præsertim in his qui cum dæmone pacta habent. Igitur si quis vtatur somnijs ad præuidendum futura, secũdum quod somnia procedunt ex reuelatione diuina, vel ex causa naturali intrinseca siue etiam extrinseca, inquantum se potest extendere virtus huiusmodi, non est diuinatio illicita, sic enim Ioseph & Daniel interpretati sunt deo docẽte somnia regũ. Alias diuinatio somniorum prohibita est, quemadmodum in Deut. dicitur: Non inueniatur in te qui obseruet somnia.

3. ¶ Insuper garritus motusq; auium, ac similes rerum dispositiones, manifestum est non esse causas futurorũ euẽtuum. Vnde si ex eis futura aliqua prænoscuntur, hoc est secũdum quod sunt effectus aliquarum causarum, quæ sunt etiam causantes vel præcognoscentes euentus futuros. Causa verò operationum brutorum, est quidam instinctus quo mouẽtur per modũ naturæ, cum actus sui dominium nõ habeant. Hic autem instinctus est duplex, quorum vnus procedit ex causa corporali. Nam cum bruta non habeant nisi animam sensitiuã atq; organicas vires, subiacent dispositioni corporis continentis, videlicet aëris, & cœlestium influxui corporum: & sic quædã operationes eorum possunt esse signa futurorum effectuum, inquantum dispositioni prædictorum corporum conformantur. Sed ista consideratio extendi non debet ad actus intellectus & volũtatis. Sed solum ad ea, quæ ad huiusmodi aliqualiter pertinent. Cõsequuntur enim bruta ex corporibus cœlestibus naturalem cognitionem & instinctũ, ad ea quæ eorum naturæ necessaria sunt, vt sunt immutationes per ventos & pluuias. Vnde Ieremias dicit: Miluus in cœlo cognouit tempus suum. Et sic cõsiderare garritus auiũ ad talia præscieda, licet: velut si quis dicat pluuiam cito vẽturam, eo quod considerauit corniculam sæpius crocitantem. Alio modo prędictorum animalium instinctus est à spirituali causa, puta à deo, vt patet in columba, quæ descendit super Christum, de coruo quoq; qui pauit Heliam. Vel etiam à dæmonibus, qui deo permittente irrationabilia animalia mouent ad decipiendos animos hominũ. Itaq; huiusmodi diuinationes vti vltrà quàm se extendit secundum ordinem naturæ vel diuinæ prouidentiæ, superstitiosum cẽsendum est. Quod verò Ioseph dixit, non esse sibi similem in augurandi scientia, secundum Augustinum, loco asseruit.

4. ¶ Porro sortes dicuntur, cum aliqua fiunt ex quorum euentu aliquid occultum innotescat, vt si iudicio sortium quæritur, quid sit alicui exhibendum de re possessa, vel honore, dignitate, pœna, dicitur sors diuisoria. Si autem quæritur quid sit agendum, sors consultoria appellatur. Si vero inuestigetur quid sit futurum, diuinatoria sors vocatur. Actus autem hominum, qui requiruntur ad sortes, nõ subduntur dispositioni stellarum. Si ergo quis ideo sortibus vtatur, quasi actus humani ex stellarum dispositione effectum sortiantur, est vana & falso opinto, nec dæmonum carens suggestione, & talis diuinatio superstitiosa existit. Sed hac causa remota, oportet sortialium actuum expectare euẽtum à fortuna vel ex aliqua spirituali causa directiua. Et si ex fortuna, quod in sorte diuisoria solummodo habet locum, tunc est vitium vanitatis: vt dum aliqui nequeunt rem concorditer diuidere, sorte vtuntur, exponentes fortunæ quam quisq; partem sustineat. Sed si expectatur euentus à spirituali substantia mala, videlicet dæmone: sic sortes prohibentur secundum canones. Interdũ autem expectatur à deo, iuxta illud: Sortes mittũtur in sinu, sed à domino temperantur. Talis ergo sors de se non est mala, secũdum Augustinum. Sed potest in hoc quadruplex peccatum incidere. Primo si sine necessitate exigantur, quia hoc ad tentationem pertinet dei. Secundo, si etiam in necessitate sine dubia reuerentia homo sortibus perutatur, scilicet vt exemplo Apostolorum fiant oratione facta, & cœtu fratrum collecto, secundum Bedam. Tertio si diuina oracula ad terrena conuertuntur negotia. Quarto, si in ecclesiasticis electionibus, quæ ex spiritussancti inspiratione agẽdæ sunt, sortibus quis vtatur. Vnde Beda ait, Matthiam sorte electum Apostolum, quoniam spiritussancti gratia nondum erat plene effusa. Sed post Pentecosten septem diaconi, non vtique sorte, sed discipulorum electione sunt ordinati. In temporalibus autẽ dignitatibus, quæ ad terrena disponenda instituuntur, secus est, quia in illis frequenter sortibus vtitur homo. Itaq; si incumbit necessitas, licet cum debita reuerentia diuinum iudicium sortibus implorare, cuius exempla ponit Augustinus, vt si inter seruos dei esset disceptatio, qui eorũ tempore persecutionis fugere & qui manere deberent, vel si duo æquè egeni alicui obuiarẽt, qui aliquid dare deberet, quod nisi vni dari posset. Sciendum quoque quod iudicium ferri candẽtis, seu aquæ feruentis propter alicuius occulti perciplendã notitiam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

titiam, existit illicitum. Primo quia ordinatur ad manifestandum secreta, quæ diuino iudicio reseruantur. Secundo quia non est diuina authoritate sancitum, propter quod secunda quæstione quinta in decreto Stephani Papæ tale iudicium prohiberur ac superstitiosum vocatur. Nam incognita illi soli seruanda sunt, qui solus novit corda filiorum hominum, & est partim simile de duello, præsertim si pugiles sint virtute seu arte multũ difformes, alias minus illicitu esset, eo quod non expectetur ibi miraculosus effectus, sed pertinet magis ad communem rationem sortium.

¶ Vtrum obseruantia artis notoriæ, vel ad corporum immutationem ordinatæ, vel etiam ad præcognoscendum quædam fortunia seu infortunia, liceat: de suspensione quoque sacrorum verborum ad colla hominum an licita sint. Artic. 160.

ARs autem notoria primo illicita est, quoniam ad acquirendam scientiã aliquibus rebus vtitur, quæ non habẽt virtutem causandi scientiã, scilicet: inspectione figurarum, prolatione incognitorũ verborum, atque similibus, quibus non vtitur vt causis, neque vt signis diuinitus institutis, quemadmodum sunt sacramentalia signa. Pertinent ergo ad pacta cum dæmonibus fœderata. Est quoque ars ista inefficax, quia non intenditur in ea acquisitio scientiæ per modum homini connaturalem, videlicet inuemiendo vel addiscendo, nec expectatur scientia à Deo: qui licet quibusdam scientiam miraculose infundat, hoc tamen non facit cum obseruatione huiusmodi, sed secundum arbitrium spiritussancti. Ad dæmones quoq; non pertinet illuminare intellectum, quẽ in acquisitione scientiæ illuminari oportet. Ideoq; obseruantia artis notoriæ ad acquirendam scientiam, est omnino fugienda & superstitiosa, secundum Augustinum.

2. ¶ Denique sicut licitum est res naturales applicare corporibus ad inducẽdos effectus quos naturaliter efficere possunt: sic est illicitũ eas applicare ad causandos effectus, quos ex sua naturali virtute causare non possunt, quia secundum hoc non applicantur vt causæ, sed vt signa: & sic pertinẽt ad pacta significationem cum dæmonibus inita, sicut cum adiungũtur characteres, nomina, vel ligaturæ, seu remedia, aut aliæ obseruationes: quæ palàm est naturaliter non habere efficaciam ad id, ad quod applicantur, sed illiciuntur dæmones huiusmodi secundum Augustinum 21. de ciuitate dei, non sicut animalia cibis, sed sicut spiritus signis, quæ cuiusque dilectioni congruunt per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum. Res quoque artificiales inquantum huiusmodi, nullam sortiuntur virtutem agẽdi ex corporum influxione cœlestium, sed magicæ artes vtentes figuris, dæmonum calliditate adipiscuntur effectum quem habent.

3. ¶ Ex eadem autem causa cõsequitur, quod obseruationes, quas homines attendunt ad cognoscendum eufortunia vel diffortunia, sint illicitæ & superstitiosæ: non enim obseruantur vt causę, nec vt signa diuinitus institura, sed potius ab humana vanitate, diabolo se immiscente, confícta sunt. Inuo videntur esse reliquiæ idololatriæ per quam obseruabantur auguria, & dies quidam fausti vel infausti.

¶ Quod autem quidam experiuntur, frequenter ex talibus obseruationibus sibi quoddam futurorum præsagium immittere, ex dæmonum contingit industria, qui procurant huiusmodi, quatenus animos hominum talibus vanitatibus implicent.

4. ¶ Præterea, in scripturis & incantationibus circa colla suspẽsis sunt duo cauenda. Primo, ne pertineãt ad inuocationẽ dæmonũ, vel ignota verba contineãt, sub quibus forte vanũ aliquid latere potest, & ne aliquid falsitatis admixtum sit.

¶ Secundo cauendũ est, ne cũ verbis diuinis & sacris aliqua vana adiungantur, vt sunt quidam characteres, præter signũ crucis, & ne spes habeatur in modo scribendi vel ligãdi, seu simili vanitate, quæ ad reuerentiam dei non pertinent, quia hoc superstitiosum existeret. Dicit enim Chrysostomus super Matthæum: Quidam aliquam partem euãgelij scriptam circa collum portauit, sed nõne quotidie euãgelium in ecclesia legitur & auditur ab omnibus? Cui ergo in auribus posita euangelia nihil prosunt, quomodo eum possunt circa collum suspensa saluare? Deinde non est virtus euangelij in figuris litterarum, sed in intellectu sensuum: ergo melius in corde posita prosunt, quam circa collum suspensa. Itaque si prædicta caueantur, tunc licet sancta verba ad collum portare, sicut & sanctorum reliquias, vt in decretis dicitur vicesimasexta quæstione sexta, capitulo, Non liceat Christianis.

¶ Vnde etiam licita est incantatio serpentum, aut aliorum

anima-

Universidad de Deusto
Biblioteca

animalium, si respectus habeatur duntaxat ad sacra verba, & ad diuinam virtutem: sed frequenter tales incantationes habent illicitas obseruantias, atq; à dæmonibus sortiuntur effectum. Præsertim circa serpentes, quoniã primum instrumentum diaboli ad hominem decipiendum fuit serpens.

¶ In quo consistat tentatio dei. 2. An sit peccatum. 3. Cui virtuti opponatur. 4. De comparatione eius ad alia peccata. Artic. 161.

TEntare prætera, est experimenta de tanto sumere, quod dupliciter accidit, scilicet verbis & factis, quorum vtrunque adhuc dupliciter contingit, videlicet manifeste, vt cum aliquis se tentatorem fatetur, & occulte seu insidiose. Interdum etiam aliquis dicitur tentare interpretatiue, quando videlicet & si non intendat de alio experimentum sumere, illud tamẽ agit, quod ad nihil aliud ordinabile est quàm ad experimentum sumendum, vt si quis æquum currere cogat sine aliqua vtilitate, hoc ad nihil vtile esse videtur, quàm de equi velocitate experimentũ accipere. Itaque tentatur deus ab homine quandoq; verbis, vt si quis in sua oratione aliquid à deo postulet, quatenus dei scientiã, potestatem, vel voluntatem exploret. Is enim manifeste deũ verbis tentat. Factis quoque deum expresse tentat, qui per ea quæ facit intendit experimentum sumere diuinæ potestatis, vel sapientiæ, aut pietatis. Sed & interpretatiue deum tẽtat, qui & si hoc non intendat, aliquid tamen agit ad nihil aliud vtile nisi ad experiendam dei potestatem, bonitatem, aut cognitionem. Itaque dum se homo diuino committit auxilio propter necessitatem vel vtilitatem, hoc non est deum tentare: sed hoc sine necessitate vtilitateq; facere, est deum interpretatiue tentare: vt si quis habet vnde se possit iuuare, illud omittit & periculo se cõmittit. Ideoq; AVGVSTINVS contra Faustum testatur, quod in hoc tẽtatio dei consistit, quod homo prætermittit facere, quod in se est ad euadenda pericula.

2. ¶ Insuper, omnis tentatio ex ignorantia vel dubietate procedit, vel tentantis vel tẽtati, vel aliorum, quibus aliquis qui tentat, vult aliquid manifestare de eo quem tentat. Cùm ergo de diuina bonitate seu perfectione dubitare, vel ignorum esse sit peccatum, clarum est quod deum tentare ad hoc vt ipse qui tentat dei virtutem agnoscat, peccatum sit. Vnde quod

quod Dominus ait: Inferte omnem decimam in horreum meum, & probate me super hoc, non est intelligendum eau saliter, vt scilicet ideo soluerent quatenus deum tentarent, sed consecutiue, vtpote si decimas soluerent, experimento probaturi essent beneficia dei. Rursus sciendum, quod quædam est cognitio diuinæ bonitatis & voluntatis speculatiua, quædam verò experimentalis & affectiua, quarum primam probare nõ licet, sed secundam monemur per experientiam comprobare, quemadmodũ scriptum est: Gustate & videte, quoniam suauis est dominus.

¶ At verò aduertendum, quod Achab reprehẽditur, eo quod signũ non petijt, tum quia Deus illud peti præcepit, tũ quoniam signum deus dare volebat propter totius populi instructionem. Quod autem Abraham à Deo signum petiit, ex instinctu diuino processit. Gedeon verò ex fidei debilitate signum petijsse videtur, vnde nõ excusatur, sicut nec Zacharias pater Ioannis.

¶ Interdum tamen signum à domino petitur, quo homo instituatur quid sit deo placitum circa aliquod factum, & hoc ad dei tentationem non pertinet.

3. ¶ Denique tentare Deum irreligiositatis est species, & religioni, cuius finis est deo reuerentiam exhibere, opponitur. Nam deum tentare ad ipsius irreuerentiam spectat. Nullus enim eum tentare præsumit, de cuius excellentia certus est, & ergo quenquam tentare pertinet ad irreuerentiam eius.

4. ¶ Insuper aduertendum, quod superstitio est maius peccatum quam tentatio dei. Nam magis ad irreuerentiam pertinet dei, quam tentatio dei. Superstitiosus enim quasi per certitudinem facit aut sentit aliquid excellentiæ diuinæ contrarium vt in idololatria pater, sed tentans deum protestatur solum quandam dubitationem de excellentia dei, quod minus est quàm certitudine asserere aliquid diuinæ perfectioni repugnans.

¶ At verò agnoscendum, quod qui deum orat non dimittendo alijs, nec se alias ad deuotionem disponendo, interpretatiue Deum tentat. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo tentans Deum.

¶ An falsitas requiratur ad periurium. 2. De peccato periurij. 3. An peccet qui periurio iuramentum iniungit. Artic. 162.

Potto

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRro actus morales specificantur ex fine, finis autem iuramenti est confirmatio dicti, cui falsitas contrariatur, cum certificatio nil aliud fit quàm firma veritatis ostensio, falsitas itaque rationem iuramenti euacuat. Ideoque peruersitas iuramenti, quæ appellatur periurium, à falsitate præcipue specificatur. Verumtamen quoniam secundum Hieron. veritas, iudicium, atque iustitia sunt tres comites iuramenti. Ideirco quodcunq; horum iuramẽto defuerit, periurium erit, sed primo & principaliter est periurium quando veritas deest. Secũdario autem si abest iustitia. Qui enim illicitum aliquid iurat, ex hoc ipso falsitatem incurrit, cum sit obligatus contrarium facere. Tertio verò cũ deest iudicium: iam qui indiscrete iurat se committit periculo incurrendi falsitatem.

2. ¶ Rursus, actus morales à volũtate, cuius obiectum est bonum appræhensum, procedunt. Si igitur falsum appræhendatur vt verum, erit per comparationem ad voluntatem materialiter falsum, & formaliter verum. Si verò verum appræhendatur vt falsum, erit quoad voluntatem materialiter verum, & formaliter falsum: vnde in vtroque consistit aliquo modo periurium, propter quemadmodum falsitatis. Quia tamen in vnoquoque formale est potius materiali, ideo ille est magis periurus qui iurat verũ quod ęstimat falsum, quàm qui iurat falsum quod reputat verum, quia secundum Augustinum: Ream linguam non facit nisi mens rea. Deniq; periurium est peccatum religioni contrarium, nõ deum ad falsi testimonium adhibere testem, ad diuinam irreuerentiã pertinet, quia per hoc dat periurus intelligere quod Deus veritatem ignorat, vel quod falsitatem confirmare velit. Itaque qui illicitum aliquid iurat, iurando incurrit periurii, propter defectum iustitiæ, non autem incurrit periurium non adimplendo quod iurauit, quoniam ad id quod iurauit tale non fuit, quod sub iuramento cadere posit, & simile est si quis iurat religionem non ingredi, aut eleemosynã nõ largiri, nam iurando periurus efficitur propter defectum iudicij, non autem si non impleat.

3. ¶ Insuper, cum secundum præostensa periurium contemptum Dei includat, ac diuino præcepto contrarietur, constat ipsum esse mortale peccatum. Imo si quis coactus aliquid iurat quod potest esse iuramenti materia, scilicet quod facere licet,

licet, mortaliter peccat si illud non impleat, cum coactio nõ tollat obligationem iuramenti quo ad deum, potest tamen per authoritatem Papæ ab obligatione solui, præsertim si talis fuit coactio metus, qui in virum cõstantem cadere valet. Talis verò, quanuis non impleat, non punitur quasi pro mortali crimine propter coactionem.

¶ Qui autem falsum iurat assertorio iuramento, nõ ideo redditur ipso iure infamis, sed solùm per diffinitiuam sententiã in causa accusationis contra eum latam, sed qui frangit iuramentum promissorium solenniter factum, ipso iure infamis efficitur: Nam in eius potestate remanet postquam iurauit, vt det iuramento suo virtutem, quod iuramento assertorio minime conuenit. Rursus qui iocose periurat, mortaliter peccat, quoniam dei irreuerentiam non vitat, sed quo ad aliquid amplius auget, similiter qui ex lapsu linguæ periurat, si aduertat falsum esse quod iurat mortaliter peccat, si verò hoc non aduertat à crimine periurij excusatur.

4. ¶ Præterea aduertendum, quod aliquid ab alio iuramentum dupliciter exigit, scilicet sponte tãquam persona priuata: & pro alio, vtpote ex necessitate officij sibi commissi. Si primo modo, hoc dupliciter accidere potest, quia vel nescit alium falsum iuraturum: & tunc nõ est peccatum sed humana tentatio, quæ ex quadam infirmitate procedit, qua homo aliqui verum esse dicturum. Si autem scit alium falsum iuraturum, homicidia efficitur: quoniam ipse alium ad suipsius interitum inducit. Si autem quis iuramentum requirit tanquam persona communis secundum ordinem iuris, ad petitionem alterius, nõ videtur esse in culpa: quanuis aliũ agnoscat periuraturum: quia non ipse videtur iuramẽtum exigere sed ille ad cuius instantiam petit.

¶ *Quid est sacrilegium 2. An sit speciale peccatum. 3. De speciebus eius 4. De pœna ipsius.* Articulus 163.

SAcrilegium verò (vt ait Isidorus) dicitur quia sacra legit, id est furatur, vnde sacrilegium est violatio rei sacræ: & sumitur violatio large pro quacunque irreuerentia seu inhonoratione, & sicut honor non est in honorato sed in honorante, sic violatio ista est in ipso qui se ad rem sacram irreuerenter habet, quia quantum in se est illam violat, quanuis ei nil noceat nec violare prævaleat. Dicitur quippe aliquid sacrum, quia ad diuinum cultum ordinatur, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, & sicut aliquid dicitur bonum quia ordinatur ad bonū, sic & diuinum dici potest quia ad cultum deputatur diuinū, propter quod reuerentia quædam sibi debetur, quæ refertur ad deum, & idcirco quicquid ad sacrarum rerum irreuerentiam spectat, ad Dei iniuriā pertinet ac sacrilegij rationem constituit. Sciendum quoq; quod antiquitus rectores reipublicæ appellabantur diuini tanquam prouidentiæ diuinæ ministri, eo quod bonum commune sit quoddam diuinum, & ergo extenso nomine sacrilegij, illud quod ad principis irreuerentiam attinet, sacrilegiū dicitur. Dicitur enim 17. quæ. 4. Committunt sacrilegium qui de principis iudicio disputant.

2. ¶ Denique quia in sacrilegij actu inuenitur specialis deformitas, scilicet quod violatur res sacra: constat ipsum esse speciale peccatum, estque religioni oppositum. Vnde qui diuinæ legis verba peruertit sacrilegus redditur, patiformiter qui mulierem in loco sacro cognoscit.

3. ¶ Et quia ratio sacrilegij in hoc consistit, quod quis irreuerentiam exhibet sacris, quibus ratione sanctitatis honor debetur, ideo secundum diuersam rationem sanctitatis rerū sacrarum species sacrilegij distinguuntur. Estque sacrilegiū tanto maius, quanto res in quam peccatur est sanctior.

¶ Attribuitur itaque sanctitas personis sacris, locis sacris, & alijs quibusdam rebus ad dei cultum relatis. Sanctitas verò loci ad hominis sanctitatem ordinatur, qui in sacro loco cultum deo impendit. Ideoque grauius est peccatum peccare in personā cultui diuino dedicatam, quàm in locum sacrum, quanuis vtrobique sint varij gradus secundum differentiam personarum atque locorum.

¶ Tertia insuper sacrilegij species, quæ circa alias res sacras committitur, multos habet gradus secundum sacrarum differentiam rerum, in quibus sacramenta primum obtinent locum, quorum primum est eucharistiæ sacramentum. Sacrilegium ergo, quod contra sacramenta committitur, omnium extat grauissimum. Post sacramenta verò secundum locum sortiuntur vasa sancta, sanctorum reliquiæ, atq; imagines, in quibus quodammodo ipsæ personæ honorantur vel dehonorātur. Deinde quæ ad ornatum ecclesiæ, ministrorumq; pertinent. Post quæ sunt, quæ ad sustentationem ministrorū ecclesiæ spectant siue mobilia siue immobilia. Itaque quicunque contra aliquod prædictorum peccat, sacrilegij crimen incurrit,

incurrit, vt si quis sanctimonialem cognoscat, vel cum muliere quacunque in templo concumbat, aut in ecclesia furtum committat. Considerandum quoque, quod omne peccatū à persona sacra commissum materialiter & quasi per accidens sacrilegium est, nam quolibet peccato persona violatur peccantis. Propterea ait Hieron. Nugæ in ore sacerdotis, sacrilegium sunt aut blasphemia.

4. ¶ Porro in afflictione pœnarum duo pensantur. Primo æqualitas ad hoc quod pœna sit iusta, quatenus in quibus aliquis peccat, per eadem torqueatur, & sic sacrilegio correspōdet pro pœna excommunicatio, eo quod sacrilegus iniuriā inferat sacris & ebibi iuste ab illis arcetur. Secūdo considerātur vtilitas, pœnæ nāq; præsentes sunt medicinæ quādā quibus homines terreantur atq; à malis desistant. Sacrilegus verò, quoniam sacra non reuetetur nec curat, nō satis punitur per hoc quod ei sacramenta interdicuntur. Propter quod secundū leges ciuiles adhibetur capitalis sententia. Sed secundum ecclesiæ sententiam, quæ mortem corporalem non infert, imponitur pecuniaria pœna, dicitur enim. 17. quæstio. 4. si quis contumax seruum fugitiuum de atrio ecclesiæ per vim abstraxerit, nongentos solidos cōponat. Et postea: Quisquis inuentus fuerit sacrilegij reus triginta libras argenti examinati purissimi componat. At verò si personæ sactæ violentia inferatur, vel si quis incendat aut frangat ecclesiam, infligitur excommunicatio maior, in alijs verò sacrilegijs minor.

¶ *Quid sit Simonia. 2. An liceat pro sacramentis pecuniam sumere. 3. An pro spiritualibus aliquid.* *Articulus 164.*

AT verò Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendēdi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Hoc autem illicitum est, nam actus redditur malus, quoniam super indebitam materiam cadit. Sed res spiritualis non est debita emptionis seu venditionis materia triplici ratione. Primo, quia res spiritualis nullo terreno precio potest compensari. Secundo, quia illud quis vendere potest, cuius est dominus: Sed prælatus est spiritualium rerum dispensator, non dominus. Tertio, quia venditio repugnat spiritualium rerum origini, quæ ex gratuita Dei voluntate proueniūt. Simonia ergo irreligiositatis est species. Dicitur autem Simonia esse hæresis, non quod sit essentialiter hæresis, vel in intellectu vt in subiecto, sed secundum

Universidad de Deusto
Biblioteca

exteriorem protestationem. Nã eo ipso quo quis spiritualia vendit, fatetur se dominum horũ, quod est hæreticorum. Rursus Simoniaci appellantur hæretici, non tantum ob rationẽ prædictã: sed etiã, quia Simõ magus asseruit mundũ nõ esse à deo creatũ, sed à quadã virtute superna, vt refert Isidorus.

2. ¶ Amplius Simon magus ad hoc emere voluit spiritualem potestatem, vt eam postea vẽderet. Ideoque qui spiritualia vendunt, assimilantur intẽtioni ipsius: qui verò emere volunt conformes sunt actui eius. Sed qui actualiter vendunt, Giezi conformantur discipulo Helisei, qui à leproso mundato pecuniam sumpsit. Vnde spiritualium venditores nuncupari possunt Giezitæ: sicut & Simoniaci. In diffinitione autẽ Simoniæ, nomine emptionis & venditionis accipitur omnis contractus non gratuitus: & id circo permutatio prædatum, seu ecclesiasticorum beneficiorũ, fieri nequit authoritate patriũ absque Simoniæ periculo, sicut neq; transactio, vt iura determinant. Prælatus verò ex suo officio pro necessaria vel vtili causa permutationes huiusmodi facere valet. Falsa demum est opinio eorum, qui dicunt papam non posse Simoniam committere. Imò potest sicut & alius quilibet. Nã tanto est eius culpa grauior, quanto persona sublimior. Nã quanuis res ecclesiæ sint eius, non tamen vt proprij domini, sed vt dispensatoris præcipui. Vnde si pro aliqua re spirituali reciperet pecuniam de redditibus ecclesiæ, non careret vitio Simoniæ. Similiter potest Simoniam incurrere recipiendo ab aliquo laico, non de bonis ecclesiæ.

¶ Præterea, cum nouæ legis sacramenta maxime spiritualia sint, vtpote gratiæ causatiua, non nisi gratuito dãda sunt. Verumtamen, quoniã per ministros ecclesiæ dispensantur, qui à populo sustentari debent: ideo ministri possunt accipere aliquid ad substentationem necessitatis secundum ordinationẽ ecclesiæ, & cõsuetudines approbatas. Hoc nãque accipitur, non vt mercedis præcium, sed tanquã necessitatis stipendium, mercedem verò dispensationis expectẽt à domino. Ex his innotescit, quod magis deberet adultꝰ siue baptismo decedere quàm sacerdoti pro baptismo pecuniã dare, aut aliquid quod pecunia potest æstimari, suppleret enim in eo baptismus ex minimis carentiã sacramenti. Infans quoque à laicis magis esset baptizandus in articulo necessitatis, quàm aliquid dãdũ esset presbytero. Præsertim cum quilibet in necessitatis articulo

culo baptizare queat. Aquam tamen, cum sit purum corporale elementum, à sacerdote quis emere posset. Cõsiderandum autem, quod matrimonium est & sacramentum, & naturę officium. Itaque licet pro matrimonio dare pecuniam, prout est naturæ officium, non autem inquantum est sacramentum. Vnde iura prohibent pro venditione nuptiarum aliquid exigi. Rursus Simoniacum esset per pecuniam redimere obstacula aduersantium alicui pro episcopatu, vel præbenda, aut aliqua dignitate, antequã ius talium acquiratur per electionẽ, prouisionem, aut collationem: nam hoc esset sibi viã parare cum pecunia ad obtinendum rem spiritualem. Istud tamen licet post iuris adeptionẽ in remotionem iniustorum impedimentorum.

3. ¶ Insuper spirituales actus vocantur qui ex gratia spirituali procedunt, atq; ad eam disponunt, videlicet prædicatio, oratio, laus diuina, celebratio, processio: pro quibus non licet pecuniam sumere inquantum spiritualia bona sunt, quia hoc Simoniacũ esset. Dicitur enim 1 questione. 1. Quicquid inuisibilis gratiæ consolatione tribuitur, nunquam quæstibus vel quibuslibet præmijs venundari debet. Nihilominus licet pro illis aliquid sumere tanquam stipendium vitæ, ad necessitatem ministrorum, secundum institutionem ecclesiæ consuetudinesque probatas: sic tamen, vt desit emptionis ac venditionis intentio, nec ab inuitis exigantur per subtractionem spiritualium debitorum. Sed illis exhibitis, exigi possunt oblationes ac similes ecclesiarum consueti prouentus, & volentes authoritate superiorum possunt compelli. Per modum quoque prædictum recipi possunt aliqua pro processione funerum. Si verò talis processio fieret cum pacto Simoniacum esset, nec licet ordinare certam pecuniam pro funere alicuius processionaliter deferendi. Hoc namque esset pauperibus viam præcludere, quia pietatis officium gratis est impendẽdũ.

¶ Licet quoque locare operas suas quanuis sint spiritualia bona, quæ impenduntur: quemadmodũ de aduocatis & medicis dictum est. Secus tamen esset, si alicui spiritualis potestas sit commissa: tunc enim ex debito obligatur ad vsum potestatis, habetq; ex redditibus ecclesiæ statuta stipendia. Vnde si aliquid acciperet pro vsu spiritualis potestatis, non operas suas locaret, sed spiritualis gratiæ vsum venundaret. Et ergo non licet pro quacunque dispensatione aliquid sumere, ne-

Universidad de Deusto
Biblioteca

que pro hoc quod vices suas committant, vel subditos cotti gant, aut à corigendo desistant.

¶ Adhuc si opes monasterij non sufficiant, licet ingredienti aliquid dare pro victu personæ, vel ab hoc exigere. Conformiter licitum est propter deuouonem, quã aliquis ad mona sterium ostendit, largas eleemosynas faciendo, vt facilius re cipiatur. Sicut etiam licet aliquem ad monasterij ingressum prouocare corporalibus beneficijs.

¶ Vtrum vendere liceat annexa spiritualibus. 2. An solum munus à manu Simonia cum facit. 3. De pœnæ quoque Simoniacorum. Articulus. 165.

DVpliciter insuper est aliquid spiritualibus annexũ. Primo sicut ex spiritualibus depẽdẽs, vt habere ec clesiastica beneficia, quod solum competit efficia clericale habẽtibus. Talia igitur nullo modo vẽdi possunt. Secundo aliquid est spiritualibus annexum, inquantum ad spiritualia ordinatur, quemadmodum ius patronatus quod ordinatur ad repræsentandum clericos ad ecclesiastica beneficia & vasa sacra, & talia nõ præsupponũt spiritualia, sed tempore ea præcedunt, propter quod aliquo modo vendi possunt, nõ secũdũ quod spiritualib' sunt annexa, sed pro ne cessitate ecclesiæ & pauperũ, sic tamen, vt oratione præmissa confringantur, & si ex eorum materia aliqua fierent sacra vasa, indigerent denuo consecrari. Sciendum quoque, quod ius sepulturæ & primogenituræ ac patronatus propter se vendi non possunt, & ergo Esau peccauit primogenita vẽdens, non tamẽ Iacob ea emens, quia ex diuina electione ei debebantur, & sic suam vexationem redemit. Abrahã etiam emit speluncam ab Ephron duplicẽ vt in ea sepulchrum cõstitueret, sed non legitur quod terra illa erat consecrata ad sepeliendum, & igitur potuit emi, sicut & modo liceret agrũ eme re pro ædificanda ecclesia, aut constituẽdo cimeterio. vel intelligitur Abraham suam vexationẽ redemisse. Ius autem patronatus per se vendi non potest nec dari in feudum, sed transit cum villa quæ venditur vel conceditur. Ius quoque spirituale recipiendi decimas nõ datur laicis, sed res temporalis.

2 ¶ Porro nomine pecuniæ, omne illud accipitur cui' præcium æstimari potest pecunia, tale est autem munus ab obsequio, quia ministri pecunia cõducũtur & munus à lingua, quod ordinatur ad temporalẽ gratiã, seu humanũ fauorẽ cõ sequendum. Itaq; sicut contrahitur simonia per munus à manu, puta pecuniã: sic per munus à lingua, & munus ab obsequio, & hoc Vrbanus papa dicit. Veruntamen, vt ex verbis Gregorij trahitur, si clericus prælato impendat honestum obsequium ad spiritualia ordinatum, videlicet ad vtilitatem ecclesiæ, aut ministrorum ipsius, ex ipsa deuotione sui obsequij ecclesiastico beneficio dignus efficitur, nec est ibi mun' ab obsequio, sed si esset in honestum, vel ad carnalia ordinatum obsequium, esset munus obsequij. Rursus si prælatus dat alicui beneficium propter consanguinitatem aut carnalem affectum, peccat sed non est simoniam incurrans, cũ non sit ibi contractus neq; vẽditio, in qua simonia fundatur. Item si preces pro aliquo digno fundãtur ad fauorẽ rogãtis, potius quã ad dignitatem personę. Quod verò per seipsum rogat vt curam animarum obtineat, ex propria præsumptione indignus efficitur. Veruntamen licet indigenti ecclesiasticum beneficium petere sine cura animarum.

3 ¶ Præterea, nullus licite teneat, quod domino inuito adeptus est, simoniaci autem spiritualia contra diuinæ voluntatis ordinationem acquirunt.

Christus enim dixit, gratis accepistis, gratis date. Vnde cõuenies pœna est simoniaci, vt eo priuetur quod simoniace assecutus est. Sed & aliæ sunt pœnæ simoniacorũ, videlicet infamia, & depositio quo ad clericos, & excommunicatio quo ad laicos. Itaque qui simoniace accepit ordinem, recipit characterem propter sacramẽti efficaciam, nõ tamẽ gratiam nec ordinis executionem. Imò ipso iure suspensus est, quo ad se, nec ordinẽ exequatur, & quo ad alios ne sibi in ordinis executione communicent, siue peccatum eius sit manifestum si nec occultum, si autem est simoniacus, quia simoniace dedit ordinem, vel quia dedit vel recepit beneficiũ simoniace, vel quia mediator fuit simoniæ, si est publicum, ipso iure suspensus est, quo ad se, & quo ad alios: quod si occultum fuerit, est tantum suspensus quo ad se ipso iure.

¶ Rursus, ab episcopo, quem aliquis scit simoniace esse promotum, nõ debet accipere ordinem, nec propter præceptũ nec propter excommunicationem, non enim debet ei communicare in re illicita, & si ordinem recepit, non tamen executionem sortitur. Si verò ignorauit episcopum esse simoniacum dispensatione eget post ordinationem. Si autem episco

Universidad de Deusto
Biblioteca

pus est simoniacus alio modo, quam per promotionē suam simoniace factam, potest ab ipso recipi ordo si sit occultum cum non sit suspensus nisi quo ad seipsum. At verò qui sciens per beneficium simoniace est adeptus, tenetur non solùm beneficium reddere, sed etiam omnes fructus perceptos: nec solùm perceptos, sed & eos qui à diligenti possessore percipi potuerunt exceptis his quæ in utilitatem ecclesiæ deuenerunt. Qui autem per alios simoniace promouetur ignorans & nolens ordinis executione priuatur, beneficiumque resignare tenetur, nisi forte inimicus eius fraudulēter pecunjam debit. vel nisi ipse manifeste contradixit. Restitutio denique præfacta facienda est ipsi ecclesiæ, in cuius iniuriam beneficia donata sunt. & si ipsa est in culpa simoniæ debet alteri ecclesiæ vel pauperibus dare quod redditur. Amplius qui in monasterio simoniace sunt recepti debent abrenuntiare, & si simonia ipsis scientibus exitit commissa, post generale consilium sine restitutione repelluntur: atque ad perpetuā pœnitentiā faciendam sunt in arctioti regula reponendi: vel in alio eiusdem ordinis loco. si strictior regula non haberur. Si verò hoc fuerit ante consilium, locandi sunt in alijs eiusdem ordinis locis, & si hoc fieri nequit: tunc dispensatiue debent in eisdē monasterijs recipi, ne vagētur in seculo mutatis prioribus locis, & inferioribus assignatis. Si autem ipsis ignorātibus, siue ante consilium siue post, sint simoniace recepti, postquam renuntiauerunt possunt de nouo recipi locis mutatis. Denique cum eo, qui sciēter simoniace beneficiatus est, solus Papa potest dispensare, sic tamen, vt prius abrenuncier, nec prælationem accipit.

¶ Ad quos extendat se pietas, 2. Quid ipsa exhibeat. 3. An sit specialis virtus. 4. Verum religionis obtentu sit prætermittendū pietatis officium. Articulus. 166

HOmo autem diuersus diuersimode debitor sit, secūdum diuersam illorum excellentiam, atque susceptā beneficia. Deus autē omniū & summus est & maximus benefactor. Secundario quoque principia nostri esse & gubernationis sunt parētes & patria, de quibus & in qua nati nutritique sumus, vnde post deū maxime est homo debitor parentibus & patriæ. Ideo sicut ad religionē pertinet Deo cultum impendere, sic secundo loco spectat ad pietatem parētibus & patriæ cultum exhibere. Dicit enim Tullius: Pietas est per quam sanguine iunctis patriæque benevolis officiū & diligens attributus cultus. Nomine verò patrum omnes consanguinei intelliguntur, & nomine patriæ omnes conciues patriæ amici. Veruntamē vt primo de ciuitate Dei Augustinus testatur: More vulgi nomen pietatis in misericordiæ actus frequentatur, quia hos præcipue mandat Deus propter quod & deus pius vocatur.

2. ¶ Præterea, parentibus aliquid debetur dupliciter, scilicet per se, & hoc est quod eis debetur inquantum parentes sunt: hoc autem est honor, cum sint principium prolis, & excellentiam quandam habentes. Secūdo debetur eis aliquid per accidens, vtpote obsequium, quatenus si indigent sustētentur, si infirmi sint, visitentur. Sic ergo pietas duo impendit, vnum, scilicet honorem, per se, & aliud, scilicet sustentationē per accidens, & hoc diffinitione Tullij patet. Secūdario quoque secundū certum gradum debetur cōsanguineis, & patriæ benevolis, cultus & subuentio, secundum propriam facultatem ac personarum decentiam.

3. ¶ Euicescit insuper, quod pietas sit virtus specialis, respicit nanq; suum obiectū secundū specialem rationē. Nam ad iustitiam spectat, alteri debitum reddere, vnde vbi specialis ratio debiti inuenitur respectu alterius, illic specialis est virtus. Debetur autem parentibus & conciuibus aliquid secundum specialis debiti rationem, videlicet quoniam sunt cōnaturale principium in esse producens aut gubernans, hoc autem pietas respicit.

4. ¶ Præterea, bonū non cōtrariatur bono secūdum Philosophum, cum ergo religio & pietas sint duę virtutes, vna nō impedit aliam, nec actum eius excludit, sed actus virtutū debitis sunt circūstantijs vestiendi, vt debito modo fiant, aliās non esset actus virtutū. Est autem indebitus modus, plus intendere circa cultum parentum quàm dei, & ideireo si cultus eorum à deo nos abstrahit, non est verus cultus pietatis nec actus virtuosus. In hoc ergo casu omittēda sunt opera pietatis in parentes, propter cultum religionis. Si vero exhibendo parentibus obsequia debita, non impediamur à deo, non oportebit religionis obtentu exercitia pietatis differre.

¶ Aduertendum demum quod qui in seculo est, si parentes absque eius subsidio contentari non possunt, non debet eis relictis religionem intrare, transgrederetur enim præceptum

Universidad de Deusto
Biblioteca

de honoratione parentum, quanuis aliqui dicãt oppositũ, asserentes quod etiam in hoc casu clausttum ingredi liceat, parentúmque curam deo committere: sed bene consideranti innotescit, quod hoc ad dei tentationẽ pertinet, vtpote quia habens ex humano consilio vnde illis succurrere possit, eos diuino auxilio committeret. Is verò qui iam processus est, licet sit mortuus mundo, tenetur tamẽ salua prælati obedientia & suæ religionis statu, pium studium adhibere, qualiter parentibus scilicet subueniatur.

¶ Quod obseruantia sit virtus specialis. 2. Quid alteri exhibeat. 3. De comparatione ipsius ad pietatem. Articulus 167.

QVemadmodum verò sub religione, quæ deo cultũ impendit, ponitur pietas, quæ circa parentes versatur: sic sub pietate obseruantia collocatur, per quã cultus & honor adhibetur personis in dignitate constitutis. Sicut enim pater est generationis & educationis ac disciplinæ principium: sic personæ in dignitate existentes principium sunt gubernatiõis subditorum. Vnde Tullius in sua Rhetorica asserit: Obseruantia est, per quam homines aliqua dignitate antecedentes, quodã cultu & honore digne tur. Itaque per virtutem obseruantiæ redditur honor & cultus dignitate pollentibus, honor quippe eis debetur propter excellentiam, timor propter eis datam potestatem, obedientia quoque ratione officij gubernationis & quidem propriæ prælatis ista debẽtur ex debito legali. Omnibus autem in dignitate localis, quanuis nobis nõ prosint, debemus honorẽ & cultum tribuere ex debito morali, quod ex quadam honestate causatur.

2 ¶ Denique personis principantibus impenditur aliquid dupliciter. Primo in ordine ad bonum commune, vt eis seruitur eis in administratione reipublicæ. Et hoc non ad obseruantiam spectat, sed ad pietatẽ, quæ non solùm parentibus, sed etiam patriæ exhibet cultum. Secundò impenditur eis aliquid tanquam ad personalem eorum pertinens vtilitatem vel gloriam, & hoc ad obseruantiam attinet.

3 Sic igitur pietas maior & dignior virtus est quàm obseruantia, quoniam reddit debitũ his quibus homo amplius obligatur, & qui sibi propinquiores sunt ac substantialius coniunguntur. Ideoque statim post præcepta religionis, quæ ad primam tabulam pertinent, mox ponitur de honoratione parentum

rentum præceptum, quod pietatem concernit.

¶ Vtrum honor sit aliquid spirituale vel corporale. 2. An debeatur solis superioribus. 3. An dulia sit virtus specialis. 4. An à latria distinguatur per species. Articulus 168.

ADuertendum præterea, quod honor testificationẽ importat de alicuius excellẽtia, est etiam exhibitio reuerentię in testimonium virtutis, testimoniũ verò redditur & coram deo & corã hominibus, sed coram deo qui scrutator est cordium, sufficit conscientiæ testimonium, & idcirco honor quo ad deum consistere potest in solo intetioti animi motu, quemadmodũ cum quis dei excellẽtiã intra se cogitat, vel alterius hominis boni corã deo.

¶ Coram hominibus verò dari non potest testimonium tale nisi per exteriora signa, vt sunt verba laudantis, & facta inclinantis aut geniculantis, vel munera dantis, secũdum hoc ergo honor in exterioribus signis consistit.

¶ Reuerentia autem non est idem quod honor, sed ex vna parte est principium motiuũ ad honorandum, prout aliquis ex reuerentia quam ad alium habet, eum honorat, ex alia verò parte est finis honoris, inquantum aliquis ad hoc honoratur, quatenus ab alijs in reuerentia habeatur. Dicit quoque Philosophus, q. honor est præmium virtutis, sed insufficiens, in corporalibus verò rebus nil potius est honore. Rursus distinguitur honor à laude, quoniam laus in solis signis verbo rum cõsistit, honor autem in quibusdam aliis signis, & sic honor laudem includit. Iterum per exhibitionem honoris datur testimonium de alterius excellentia absolute. Sed per laudem testificamur de alicuius bonitate in ordine ad finem, vt cum laudamus operantẽ propter finem, honor quoque proprie est optimorum, qui iam vniti sunt fini.

¶ Gloria verò est effectus honoris & laudis. Nã ex testimonio bonitatis alicuius, clarescit bonitas eius in plurimorum notitia. & hoc nomen gloriæ signat, quia secundum Ambrosium: Gloria est clara cum laude notitia.

2 ¶ Porro excellentia considerati potest non solùm in ordine ad honorantem, vt sit eo excellentior is qui honoratur, sed etiam secundum se vel in comparatione ad alios. Itaque honor semper debetur alicui propter excellentiam vel superioritatem, non quod ille qui honoratur semper sit dignior honorante, sed forte quibusdã alijs, aut ipso honorante quo-

ad aliquid, quamuis non simpliciter. Mali quoq; prælati honorantur, non ob propriæ virtutis eminentiam, sed propter excellentiam dignitatis, qua ministri dei constituuntur, & in ipsis honoratur tota communitas cui præsunt.

3. ¶ Insuper, dulia est virtus specialis. Nam in eius obiecto est specialis ratio debiti. Alia enim ratione debetur seruitus deo, & alia homini, sicut etiam aliter cõpetit deo esse dominum quàm homini. Deus namque est omniũ vniuersalis & altissimus dominus, cuius potestati vniuersa totaliter subijcuntur, homo autem aliquid de dominio diuino participat, & in aliquibus rebus dominationem particularem sortitur. Vnde dulia, quæ debitam seruitutem exhibet homini dominãti est distincta à latria, quę deo seruitutem impendit. Et autem dulia obseruantiæ species.

4. ¶ At verò dulia vno modo communiter sumitur, prout exhibet reuerentiam cuicunque homini, ratione cuiuscunque excellentiæ. Nam in quolibet homine aliquid reperitur, propter quod alius potest eum se superiorẽ reputare, & ideo ait Apostolus, In humilitate superiores inuicẽ arbitrãtes, & secundũ hoc omnes debent se inuicem honore præuenire, Petro dicente: Omnes honorate. Sic autem duliam accipiẽdo continet sub se distinctas species, scilicet pietatem, obseruantiam, &c. Alio modo sumitur strictè, sicut iam dictũ est, prout secundum eam seruus domino reuerentiã exhibet, sic autem non habet sub se species, sed est vna specierum obseruãtiæ, eo q; alia ratione seruus reuerenter dominum, & miles ducem, discipulusq́ue magistrũ. Sciendũ quoque quod hyperdulia est potissima species duliæ communiter sumptę: quia est quasi media inter duliam & latriã, exhibet enim reuerentiam creatutis, specialem affinitatem ad deũ habentibus, vt virgini Matiæ inquantũ est mater dei. Sed & Christi cux honoratur eodem honore quo Christus, quemadmodũ purpura regis eodem honoratur honore quo rex secundum Damascenum tertio libro, præsertim cum sit idem motus in ipsam imaginem & rem ipsam.

¶ An homo debeat obedire homini. 2. An obedientia sit virtus specialis. 3. De comparatione eius ad alias virtutes. 4. An inobedientia sit maximũ vitiorum. Articu. 169.

Deni-

DEnique sicut rerum naturalium operationes ex naturalibus potentijs oriũtur: sic actiones humanę procedunt à volũtate humana. Ideoq; sicut in naturalibus superiora mouent inferiora ad proprias actiones, propter excellentiam naturalis virtutis diuinitus datæ: sic ex ordine iuris naturalis atque diuini, reuerentur in rebus humanis inferiores & subditi à voluntate superiorũ moueri ad agendum, ex vi authoritatis diuinitus ordinatæ: sic autem alium mouere, est præcipere, & sic moueri, est obedire. Vnde de iure naturali & diuino, inferiores parere tenentur.

2. ¶ Insoper obedientia specialis est virtus, quoniam actus eius, videlicet superiori obedire, sortitur specialem rationem laudis, obiectum quoquæ obedientiæ est præceptum superioris, tacitum vel expressum. Nam superioris volũtas est quodam tacitum præceptum quocunque modo innotescat: & tanto est obedientia promptior atque perfectior, quanto præceptum expressum amplius præuenit, cognita voluntate prælati. Veruntamen actus obedientiæ concurrit materialiter cum aliarũ actu virtutum, quæ præcepta adimplent, sed prout obedientia secundum formalem intentionem, rationem præcepti concernit, sic est specialis virtus, & inobedientia speciale peccatum. Interdũ tamen communiter sumitur pro executione cuiuscunque, quod sub mandato cadere potest, quacunque intentione fiat, & sic est generalis virtus. Est quoque obedientia virtus moralis cum sit pars iustitię & est medium inter superfluum & diminutum quæ in ipsa attẽduntur, non secundum quantum, sed secundum alias circunstantias, prout quis obedit cui nõ debet, vel in quibus nõ debet, quemadmodum de religione præhabitum est.

3. ¶ At verò virtutes Theologicæ dignissimæ sunt, quia eis secundũ se Deo inhæretur: virtutes verò morales disponũt ad actus illarum, inquantũ per eas terrena & commutabilia bona propter deum contemnuntur. Vnde inter virtutes morales tanto virtus est potior, quanto animum ad Dei inhęsionem præparat amplius. Tria verò sunt genera humanorum bonorum quæ propter Deum contemni possunt. Infimum enim est exteriorum rerum, medium autem bonorum corporis, supremum quoque bonorum est animæ, inter quæ volũtas quodammodo eminet, & principium est, inquantum per eam homo omnibus bonis alijs vtitur. Ideoque obedientia,

quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ propter Deum propria voluntas contemnitur, dignior est (per se loquendo) aliis virtutibus moralibus, quibus propter Deum alia bona paruipenduntur. Propter quod dicit Gregorius: Obedientia merito victimis præfertur, quia per victimas mactatur caro aliena, per obedientiam verò voluntas propria. Sed & aliarum actus virtutũ non sunt meritorij, nisi ea intentione fiant, quatenus diuinæ voluntati obediatur, quam intentionem obedientia directè concernit: habet quoque obediẽtia laudem secundum quod ex charitate procedit, quia secundũ Gregorium: Obedientia non seruili metu, sed charitatis affectu seruanda est, neq; timore pœnæ, sed amore iustitiæ. Vera namq; obedientia promptam efficit voluntatem, & dicitur obedientia omnes virtutes meuti inserere, & insertas custodire, non quod sit simpliciter omnibus dignior & prior, sed quia præcipue ad virtutum, prout sub præcepto cadunt, generationem conseruationemque agit.

¶Vtrum sit Deo in omnibus obediendum 2. An subditi teneantur suis superioribus obedire in omnibus 3. An Christiani teneantur obedire secularibus potestatibus.

Articulus 170.

PORro Deus benedictus, omnium primus est motor, & quemadmodum eius motioni omnia naturalia naturali necessitate subduntur, sic omnes voluntates creatæ, diuinæ voluntati quadam necessitate iustitiæ obligantur parere. Veruntamen sicut Deus operatur in rebus quædam supra cursum consuetum naturæ, nil tamen contra naturam, quia hoc est vnicuique naturale quod Deus agit in ipso, sic Deus nihil potest præcipere contra virtutẽ, cum virtus & rectitudo voluntatis humanæ in hoc consistat, quod diuinæ voluntati conformetur, eiusque imperium sequatur. Præcipit tamen Deus interdũ nonnulla supra solitum modũ voluntatis, quemadmodum Abrahæ iussit innocentem occidere filium, & Iudæis res Aegyptiorum accipere. Osee quoque prophetæ accipere mulierem adulteram. Nec ista erant contra iustitiam, quia Deus habet imperiũ vitæ & mortis, & eius sunt omnia, & cui vult tribuit ea. Sed & Deus est humanę generationis ordinator. Ideoque ille est debitus modus vtẽdi mulieribus, quẽ ipse præfigit. Et sciendũ, quod licet nõ tenemur semper velle, quod Deus, tenemur tamẽ velle quod Deus vult nos velle, & ita conformamur voluntati diuinæ.

Denique

1 ¶Denique, ex duobus cõtingit, quod subditus superiori suo non tenetur obedire in omnibus. Vno modo propter præceptum potestatis maioris in contrarium. Secundo si superior iubeat aliquid in quo subditus ei non est subiectus. Vnde Seneca dicit: Errat qui putat seruiturem in totum descendere hominẽ, pars eius melior est excepta. Corpora seruituti obnoxia sunt atq; asscripta, mens sui iuris est, & ideirco in his quæ ad interiorem motum voluntatis pertinent, tenetur homo soli Deo parere: homini autem in his quæ exterius per corpus agenda sunt: in quibus sunt aliqua quæ ad corporis spectant naturam, in quibus homo non homini, sed solum Deo obedire tenetur, quoniam omnes homines natura sunt pares. Puta in his quæ corporis sustentationem generationemque prolis concernunt, vnde nec serui nec filij tenentur dominis vel parentibus obedire de cõtrahendo matrimonio seu virginitate seruanda, aut aliquo alio tali. In his autẽ quæ ad dispositionem rerum & actuum humanorum attinent, tenentur subditi superioribus obedire, vt miles duci exercitus in pertinentibus ad bellum, seruus domino in seruilibus operibus exequendis: filij parentibus in his quæ ad disciplinam vitæ & curam domesticam pertinent. Similiter religiosi obedientiam profitentur in his quæ regularem conuersationem respiciunt secundum quam prælatis suis subduntur. Et ergo in his solis obedire tenentur, quæ ad regularem conuersationem pertinent, & ista est obedientia ad salutem sufficiens. Quod si in aliis quoque obediant, hoc ad cumulum pertinet perfectionis, dummodo nõ sint cõtra Deum vel regulã: hoc enim illicitũ esset. Itaq; triplex est obedientia, vna sufficiens, quæ in necessariis patet. Alia perfecta, quæ in omnibus licitis. Tertia indiscreta, quæ etiam in rebus indiscretis obedit.

3 ¶Porro fides Christi est origo iustitiæ. Ideoq; fideles non absoluuntur à debito obediendi secularibus dominis: nam ordo iustitiæ istud requirit: quem ordinẽ fides & gratia non tollunt, sed perficiunt. Dicuntur autem filij Ecclesiæ liberi, libertate à spirituali seruitute peccati, & non à seruitute corporali, quia per gratiam Christi liberamur in vita præsenti à defectibus animæ, non autem à defectibus corporis. Si verò rectores nõ iustum, sed vsurpatum dominium habeant, non oportet eis parere, cum ordo iustitiæ illud non exigat, nisi forte propter vitandum scandalum siue periculum.

¶Insuper

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Insuper inobedientia mortale peccatum est, quia charitati, per quã est animæ vita, repugnat. Charitas enim Dei exigit, vt eius obediatur præceptis, & quoniam in præceptis Dei ius continetur, vt & superioribus obediatur. Ideoq; qui superiori inobediens est, mortaliter peccat. Nam secundũ Apostolum, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Oritur autem inobediẽtia, secundũ Gregoriũ, ex inani gloria. Debent verò superiores abstinere à multiplicatione præceptorum propter pericula.

¶ At verò vna obedientia est grauior alia dupliciter. Primo ex parte præcipientis, quia quo præcipiens dignior est, eo ei non obedire peius est: vnde grauius est non obedire Deo quam homini. Secundo ex parte præcepti: nam quo præceptum est amplius de intentione iubentis, seu de mente, eo non obedire est magis culpabile.

4. ¶ Iterum magis vitiosum est præcipientem contemnere, quàm præceptum. Vnde blasphemia secundũ se grauior est inobedientia. Quod autem Samuel dicit: Quasi peccatum ariolãdi est repugnare: & quasi scel' idololatriæ, nolle acquiescere, intelligendum est secundum comparationem firmitudinis non æqualitatis. Illa verò inobedientia, cui obstinatio iungitur, est peccatum in spiritumsanctum.

¶ *An gratitudo sit virtus specialis. 2. Vter magis regratiari teneatur peccator vel innocens. 3. An semper teneatur homo regratiari omni benefactori. 4. Virum gratiarum retributio sit differenda. 5. Secundum quid sit mensuranda. 6. An aliquid maius oporteat rependere. Artic.* 171.

Diuersificatur autem ratio debitum aliquod reddidi aheui, secundum diuersas causas ex quibus aliquid debetur alicui. Causa verò debiti maximè est in Deo, à quo omne bonum diffunditur. Secundario in parentibus. Tertio in prælatis. Quarto in aliquo speciali benefactore, à quo particulare beneficium communicatur, Ideo post religionẽ, quæ Deo debitũ cultũ impẽdit, & pietatem qua coluntur parentes, obsequantiam quoque quę est circa personas dignitate pollẽtes, ponitur virtus quæ gratia seu gratitudo vocatur, quæ benefactoribus gratiam recompensat: & distinguitur à prædictis, sicut & vna illarum ab alia est etiam inferior ipsis. Dicit autem philosophus 8. & 9. Ethicorum, quod amicitia per recompensationem beneficiorum cõseruatur, vera enim amicitia fundatur supra virtutem, vnde quicquid in amico contrariatur virtuti, est amicitiæ impeditiuũ, & quicquid est virtuosum, amicitiæ existit prouocatiuum.

2. ¶ Denique vbi est maior gratia ex parte dantis, requiritur maior gratiarum actio ex parte recipiẽtis, gratia verò ex parte dantis dicitur maior dupliciter.

¶ Vno modo secundum quantitatem dati, & sic innocẽs magis regratiari Deo tenetur, quia donum innocẽtiæ est maius dono gratiæ redditæ: cæteris paribus, & est magis continuatum.

¶ Alio modo dicitur gratia maior, quia magis tribuitur gratis, & sic pœnitens tenetur ad amplius regratiandum.

3. ¶ Porro omne causatum conuertitur naturaliter ad suam causam: effectus enim ordinantur ad finem agentis, benefactor autem inquantum huiusmodi, habet se per modũ causæ atque principij respectu beneficiati: & ergo beneficiatus ad ipsum conuertu debet per gratiarum actionem, & quoniã benefactor habet rationem principij, ideo secũdum se deberur ei honor & reuerentia, per accidens verò in necessitate sustentio, & sustentatio si indiget. Dicit autem Seneca. 2. de beneficijs, Qui grate beneficium accipit, primã eius pensionem soluit, quoniam beneficium, & recompensatio eius in interiori affectu maximè consistit.

4. Insuper, sicut in dato beneficio duo pensantur, videlicet donum, & dantis affectus: sic in recompensatione beneficij duo hæc cõsideranda consistunt. Itaque recompensatio non est differenda, sed protinus impartiẽda quantum ad effectũ: sed quantum ad effectum seu donum reddendum præstolandum est tempus, quo recompensatio benefactoti est opportuna. Si autem quis velit mox munus pro munere reddere, non est recompensatio virtuosa, dicit namque Seneca. 3 de beneficijs: Qui munus cito cupit soluere, inuitus debet: & qui inuitus debet, ingratus censetur, debitum enim reddendi beneficij est magis morale quàm legale.

5. Veruntamen recompensatio beneficij ad tres potest pertinere virtutes, videlicet ad iustitiam, quãdo recompensatio est debiti legalis, vt in mutuo. Et in talibus recompẽsatio est attendenda secundum quantitatem dati.

¶ Item ad amicitiam, puta quando habetur respectus ad amicitiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

amicitiæ causam: & tunc recõpensatio fieri debet secundum vtilitatem, quam beneficiatus ex beneficio consecutus est.

¶ Tertio pertinet ista recompensatio ad gratitudinem, vtpote dum habetur respectus ad electionem affectumque dantis, quod propriè ad gratitudinem spectat, propter quod gratiæ recompẽsatio magis attenditur secundum affectum dantis, quàm magnitudinem doni, nam gratia respicit beneficium inquantum est gratis impensum, quod concernit affectum: & ad has duas virtutes pertinet recompensatio beneficij secundum quod rationem debiti moralis sortitur.

6. ¶ Amplius, quoniam recompensatio ista respicit beneficium secundum benefactoris affectum, in quo summe laudabile existit, quod beneficium gratis impendit, ideo qui beneficium suscipit ex debito morali seu honestatis, obligatur vt similiter gratis aliquid reddat, si possit. Sed hoc non fit nisi quantitatem beneficij accepti ipse excedat, nam quando æquale vel minus recompensat, nil videtur gratis efficere, sed quod acceperat reddere, vnde gratiæ recompensatio ad hoc semper tendit vt pro posse aliquid maius retribuat.

¶ vtrum ingratitudo sit peccatum speciale. 2. An mortale. 3. An ingrato fiat beneficienda substrahenda. Art. 172.

QVemadmodum patuit, debitum gratitudinis, nil debitum honestatis quam exigit virtus: cum ergo ex hoc aliquid dicatur peccatum, quia repugnat virtuti, palàm est quod ingratitudo peccatum sit. Nam ad gratitudinem sola voluntas sufficit, si facultates non assint. Obliuio quoque beneficij ad ingratitudinem pertinet, non illa quæ ex naturali defectu, sed quæ ex negligentia accidit. Quia vt Sene. ait: Apparet raro de reddendo cogitasse, cui obrepsit obliuio.

¶ Denique ingratitudo propriè dicitur propter defectum virtutis oppositæ, scilicet gratitudinis. Defectus autem atque priuatio secundum habitum sibi contrarium speciem accipit. Nam cæcitas ac surditas secundum differentiam visus & auditus differunt, vnde sicut gratitudo seu gratia est vna specialis virtus, sic ingratitudo est vnum speciale peccatum, habens diuersos gradus secundum ordinẽ horum quę ad gratitudinem requiruntur, quorum primum est, vt homo accepti beneficium recognoscat. Secundum vt illud laudet & gratias agat. Tertium vt pro loco & tempore pro sua facultate

tate rependat. Primus ergo ingratitudinis gradus est beneficium non retribuere, ad quod reducitur mala pro bonis reddere. Secundus gradus est beneficium dissimulare, non dæmonstrãdo se illud recepisse, ad quod reducitur beneficium vituperare. Tertius atque grauissimus gradus est, beneficium non recognoscere, ad quod reducitur, beneficium quasi maleficium æstimare. Vnde Sene. asserit: Ingratus est qui non reddit, ingratus est qui obliuiscitur, ingratus est qui dissimulat. Sciendum quoque quod ingratitudo materialiter quo ad Deum in omni peccato inuenitur, inquantum peccans aliquid agit, quod pertinere ad ingratitudinem potest. Sed ingratitudo formaliter, quæ est speciale peccatum, consistit in hoc quod beneficium actualiter spernitur, nil enim prohibet formalem rationem specialis peccati in pluribus vitiorum generibus esse, sicut de inobedientia dictum est.

2. ¶ Denique ingratus dupliciter dicitur. Primo per solam negationem, vt nunc de dissimulante vel non reddente & obliuiscente ostensum est, & talis ingratitudo nõ est semper mortale peccatum, cum ad gratitudinem spectet etiã aliquid liberaliter dare vltra debitum, vnde illud prætermittens non peccat mortaliter sed venialiter, quia hoc ex negligentia accidit, vel indispositione ad virtutem, tamen ingratitudo ista mortalis efficitur propter interiorem contemptum, vel propter subtractionem debiti, siue simpliciter siue in aliquo casu necessitatis, vt si quis reddat mala pro bonis, quod tamen secundum conditionem eius quod agitur, interdum est mortale, quãdoque veniale. Perfecta autem ingratitudinis ratio est quæ ex peccato mortali descendit. Nam propter veniale peccatum nõ fit homo Deo perfectè ingratus, sed quoddam modo inquantum talis ingratitudo aliquid de Dei famulatu diminuit.

3. ¶ Insuper circa ingratum duo pensantur. Primo ingratitudinis suæ culpa seu meritum, & quo ad hoc dignus est vt ei beneficia subtrahantur. Secundo considerandum quid oporteat beneficium agere ad quam primo pertinet non cito iudicare alium esse ingratum. Nã (Seneca teste) interdum qui non reddit gratus est, quia forsitan non occurrit ei opportunitas aut facultas recompensandi. Secundo debet beneficus laborare, vt de ingrato faciat gratum, non mox culpam vlciscendo sed se pium medicum exhibendo, quod si primo bene

Universidad de Deusto
Biblioteca

ficio non facit: fortè secundo hoc faciet. Si autem ex multiplicitate beneficiorum ingratitudo augetur, & alius peior efficitur, tunc à beneficiorum exhibitione debet cessare.

¶ An vindicatio sit licita. 2. An sit virtus specialis. 3. De modo vindicandi. 4. In quo sit exercenda vindicta. Articulus 173.

FIt autem vindicatio per aliquod malum pœnale peccanti inflictum. Ideoq; animus vindicantis pensandus est. Nã si eius intentio fertur principaliter ad malum seu pœnam alterius, illic, id est, in pœna, quiescens, sic vindicatio esset illicita: quia in malo gaudere alterius, ad crudelium pertinet, nec debet homo peccare in aliũ, quia ille peccauit in ipsum, nam hoc esset vinci à malo. Si verò animus vindicantis tendit in bonum finaliter, vtpote in emendationem peccantis, & aliorum quietem, cõseruationem iustitiæ, seu dei honorem, tunc est vindicatio licita, obseruatis debitis circunstantijs. Itaque mali tolerandi sunt à bonis, quia proprias iniurias homo æquanimiter ferre debet, non autem iniurias dei. Ait nanq; Chrysost. super Matth. In proprijs iniurijs esse quempiam patiẽtem, laudabile est. Iniurias autem Dei dissimulare, nimis est impiũ. Et rursus. Discimus (inquit) exẽplo Christi nostras iniurias magnanimiter sustinere, Dei autem iniurias nec vsque ad auditum sufferre.

¶ Vnde si iniuria, quæ alicui infertur personæ, redundet in deum, vel in ecclesiam, seu bonum cõmune: tunc vleiscenda est, quemadmodum de Helia patet, qui ignem procurauit de cœlo ad combustionem eorum qui eum capere voluerũt: & de Helizeo qui pueros deuorari obtinuit, & Syluester papa excommunicauit eos qui se in exilium miserant, vt habetur 23. quæst. 4. Si verò iniuria nõ nisi in propriam redundet personam, tolerari debet, si expedit: huiusmodi enim præceptæ patientiæ intelliguntur secundum præparationem animi, iuxta Augustinum.

2. ¶ Porro, vt 2. Ethic. dicitur, aptitudo ad virtutem ineſt homini à natura, sed complemẽtum per assuefactionem acquiritur. Et ergo virtutes perficiunt ad exequendum debito modo naturales inclinationes, quæ pertinent ad ius naturale, propter quam ad quamlibet determinatam naturalem inclinationem ordinatur aliqua specialis virtus. Habet autem naturalem inclinationem natura ad remouendum nocumẽta, quemadmodũ animalibus data est vis irascibilis ad resistendum

dũ nocuis. Repellit verò homo nocumẽta se defendẽdo cõtra ea quæ inferuntur, vel inflicta vleiscendo, non animo nocendi, sed nociua pellendi. Hoc autem ad vindicationẽ pertinet, non inquantum vindicta fit per iustitiam publicam, sed per immutationẽ alicuius singularis personæ. Vnde Tullius ait: Vindicatio est, per quam vis aut iniuria & quicquid obsturum est, defendendo aut vleiscendo propulsatur. Huic autem virtuti secundum excessum opponitur crudelitas, secundum defectum autem nimia remissio. Ipsa verò virtus vindicandi in hoc cõsistit, quod homo secundum omnes circunstantias virtutum debitam mensurã in vindicãdo conseruet.

3. ¶ Præterea vindicatio per pœnas fieri habet, homines enim mali, qui affectum virtutis non habent, per hoc cohibentur à malo, quod aliqua amittere metuunt, quæ plus amant quã ea quæ peccãdo acquirunt, aliãs timor nõ coërceret peccatũ. Ideoq; per subtractionem eorum, quæ homo maximè diligit, vindicatio fit maxime verò amat homo vitam, incolumitatẽ, libertatẽ, bona exteriora, patriã & gloriam. Vnde septẽ sunt genera pœnarũ in legibus secundũ Tullium, scilicet mors, verbera, talio, exilium, damnum, seruitus, ignominia.

4. ¶ Amplius autem pœna considerator dupliciter. Vno modo secundum rationem pœnæ, & sic non debetur nisi peccato, quia per pœnam reparatur æqualitas iustitiæ, inquantum peccans, qui peccando propriam voluntatem nimis secutus est, aliquid patitur cõtrà suam voluntatem. Et quoniã omne peccatum est aliquo modo voluntarium: ideo hoc modo nullus punitur nisi pro eo quod voluntatiè factum est. Alio modo considerator pœna secundum quod est medicina, non solum præteriti mali sanativa, sed etiam à futuro peccato præseruativa, atque boni promotiua: & sic aliqui puniuntur sine culpa, sed non absque causa. Medicina autem non subtrahit maius bonũ, vt minus bonum promoueat, sed econtra. Cum ergo temporalia bona sint minima, spiritualia autem maxima, circo quidam puniuntur à deo in temporalibus bonis vt humilientur aut probentur sine culpa. Nunquam tamen aliquis punitur per subtractionem spiritualium bonorum sine propria culpa, nec in præsenti neq; in futuro. Et sic quandoque filij vel serui puniuntur in corporalibus propter peccata parentum vel dominorum: inquantum filius est aliquid quasi quædam res patrũ: & seruus est aliquid domini sui,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnde & filius amittit hæreditatē propter peccatum læsæ ma
iestatis commissum à patre.

¶ *Verum veritas sit virtus specialis. 2. An sit pars iustitiæ. 3. An magis declinet ad minus.* Artic. 174.

VEritas deniq; dupliciter dicitur. Vno modo prout aliquid à veritate verum vocatur, & sic nō est virtus nec habitus, sed obiectum vel finis virtutis, videlicet æqualitas ipsius intellectus ad rem intellectam, vel signi ad rem significatam, vel rei ad suam rationē. Alio modo sumitur veritas, qua aliquis verō dicit secundum quod per eā aliquis verax nominatur. Et talis veritas virtus est, quoniam actus eius, qui est dicere verum, est laudabilis. Ad veritatem nempe, secundum Philosophum spectat, vt homo de se nec maiora nec minora testetur, sed licuti est. Et Tullius ait: Veritas est, per quam ea quæ fuerunt, sunt, vel erunt immutata dicuntur. Hoc autem laudabile est, si debitis virtutum circumstantijs vestiatur, aliter vitiosum foret ipsum laudare.

¶ Est verò veritas virtus moralis non Theologica nec intellectualis, & obiectum eius sunt aliqua signa exteriora sine verba sine facta, aut alia exteriora conformia rebus quæ ipsis significant, circa huiusmodi enim res, sunt solę virtutes morales.

2. ¶ Insuper constat quod veritas sit virtus specialis, quia quādo in aliquo actu reperitur specialis ratio bonitatis, tunc actus ille procedit à speciali virtute, nam virtus est quæ perficit habētem, & opus eius bonum reddit, sed in hoc quod exteriora nostra verba vel facta debite ordinantur ad aliquid tanquam signa ad rem significatam, consistit specialis ratio bonitatis: hoc verō ad veritatem pertinet, ideoque specialis est virtus, nec est idem quod veritas vitæ, quia veritas vitæ est veritas secundum quam aliquid est verum, nō secundum quod dicit verum, dicitur quoq; vita vera, sicut & alia quæ in quantum videlicet propriam mensuram regulamque attingit, puta legem diuinam, per cuius conformitatem sortitur rectitudinem, talisque rectitudo seu veritas cūctis virtutibus communis est.

¶ Et sciendum, quod simplicitas pertinet ad veritatem, quæ virtus est. Simplicitas nanque duplicitati opponitur, qua homo aliud getit in corde, & aliud ostendit in opere.

5. ¶ Præterea, veritas est pars iustitiæ, quia annectitur ei sicut secundaria virtus principalium, eo quod partim cum ea conueniat, partimque ab eius perfecta ratione deficiat. Conuenit ergo veritas cum iustitia in duobus. Primo quia est ad alterum. Secundo quia adæquat signa rebus, quæ significantur per ea, deficit autem à iustitia quantum ad rationem debiti, quia magis attendit debitum morale quàm legale, quia enim homo est animal sociale, naturaliter debet vnus homo alteri illud, sine quo humana societas conseruari non valet, non autem possent cōuiuere homines nisi mutuo veritatem pandendo atque credendo, & sic ex quadam honestate morali tenetur vnus alteri manifestare quod verum est. Est autē triplex veritas, secundum Hietony. vtpote veritas vitæ, veritas iustitiæ, & veritas doctrinæ. Veritas verò iustitiæ duplici ter dicitur. Primo, prout ipsa iustitia est quædam rectitudo, secundum diuinæ legis regulam mensurata. Secundo prout aliquis ex iustitia veritatem fatetur, quem admodum in iudicio. Sed veritas doctrinæ cōsistit in significatione verborum, de quibus est scientia. Veritas autem de qua nunc sermo est, virtus dicitur per quam se homo sermone & vita talem demonstrat, qualis est.

4. ¶ Amplius 9. Ethic. ait Philosophus, quod veritas ista magis declinat ad minus quàm ad magis. Hoc enim honestius est vt aliquis nō totum quod habet manifestet, siue in scientijs aut in virtutibus: quàm vt homo se maiorem ostendat quam est. Nam qui se magis exaltant quàm par est, fiūt alijs onerosi tanquam eos volentes excellere, sed qui minora dicunt de se, alijs fiunt gratiosi, quia per quandam moderationem ipsis cōdescendunt. Ista verò declinatio veritatis ad minus non est intelligenda per negationem, quoniam negare non debet homo quod sibi inest, nam hoc veritati repugnaret, sed per moderatam affirmationem.

¶ *Quod mendacium veritati opponitur. 2. De speciebus mendacij. 3. Virum sit semper peccatum. 4. An sit peccatum mortale.* Articulus 175.

ACtus autem moralis ex duobus speciem suscipit. Ex obiecto & fine. Nam speciē ex fine sortitur inquantum ad voluntatem pertinet, quæ alias potentias ad actus morales mouet: ex obiecto autem, prout est propriæ potentiæ actus quæ habet suum immediatum obiectum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctum, quod se habet ad finē sicut materiale ad formale. Virtus autem veritatis, & opposita vitia eius, in quadam manifestatione seu enuntiatione consistunt, quæ est actus rationis, signum ad signatū conferentis. Vnde si bruta aliquid mutuo sibi significent, non tamen manifestationem intendunt, sed naturali instinctu hoc agunt.

¶ Itaq; secundum quod prædicta manifestatio est actus moralis, est vtiq; ex voluntate dependens seu voluntarius actus, sed proprium obiectū manifestationis est verum vel falsum. Voluntas autem ad duo ferri potest, quorum vnum est, vt falsum proferatur: aliud est, vt alter fallatur, quod est effectus prioris scilicet falsitatis. Itaque dum hæc tria concurrunt, vt delicet vt falsum sit quod dicitur, & voluntas intendat dicere falsum, alter quoque fallatur, tunc est falsum seu mēdacium materialiter, formaliter, & effectiue. Sed ratio mendacij formaliter accipitur, prout videlicet aliquis intendit falsum proferre: quia si dicat falsum putans illud esse verum, est solum materialiter falsum, cum falsitas sit præter intentionem. Si autem intendit dicere falsum, formale & verum mendacium est, quauis sit verum quod dicit: quod enim præter intentionem contingit in actibus moralibus, est per accidens, & non imprimit speciem. Ideoque mendacium directe itemq; formaliter veritati opponitur. Est autē mēdacium, falsa vocis significatio, cum intentione fallendi. Et in hac descriptione mēdacij, nomine vocis intelligitur omne signum, quia voces inter signa præcipuum obtinent locum. Vnde qui nutibus aliquod falsum insinuat, non est à mendacio expers.

2. ¶ Præterea, mendacium tripliciter diuiditur. Primo secundum propriam rationem. Et sic philos. 4. Ethic. diuidit ipsum in iactātiam, quę excedit verum in diuidendo: & ironiā, quæ deficit à veritatis explicatione in minus. Secundo diuiditur mendacium inquātum habet rationem culpæ, secundum eas quę ipsum aggrauant aut diminuunt, & sic triplex mendacium ponitur, scilicet iocosum, quod fit propter bonum delectabile, vtpote causa ludi: & officiosum quod fit propter bonū vtile seu vtilitatis intuitu: & permitiosum, quod fit causa nocumenti. Tertio diuiditur mendacium secundum comparationem ad finem. Et sic Aug. in lib. contra mendacium, partitur mendacium in 8. partes seu membra. Primum est in doctrina religionis, & hoc est directē cōtra deum. Secundum est, quod

quod alicui obest & nulli prodest. Tertium, quod sic vni prodest vt alteri obsit. Et hæc tria spectant ad mendacium pernitiosum. Quartum est, quod fit sola mentiendi ac fallendi libidine, & hoc proprie oritur ex habitu vitioso. Quintum est, quod fit cupiditate placendi. Sextum est, quod alicui prodest ad obtinēdum pecuniam, nulli; obest. Septimum, quod nulli obest & prodest alicui ad mortem vitandā. Octauum, quod nulli obest, & alicui prodest ad vitandam corporis pollutionem. Quanto autem in his bonum intentum est melius, tāto culpa mendacij minor est.

3. ¶ Potro illud quod ex proprio genere malū est, nunquam potest esse bonum. Nā secundū Dionys. bonū est ex integra causa, quatenus omnia rectè cōcurrant: sed falsum dicere est malum ex genere, quia super indebitā materiam cadit, voces nanq; sunt naturaliter intellectuum signa. Ideo aliquid dicere contra id quod in mente existit, indebitum est. Vnde omne mendacium est peccatum, vt Aug. in libro contra mendacium asserit. Et Arist. 4 Ethico. testatur, quod mendacium est per se prauum & fugiendum. Verum autem est bonū atque laudabile. Quod autem in sacra scriptura quorundā sanctorum antiquorum quædam verba tectantur, quæ secundum superficiem non vera videntur, intelligendum est huiusmodi facta vel verba figuraliter & mysticè seu prophetice esse dicta. Vnde August. dicit, Credendum est illos homines, qui prophetici temporibus digni authoritate commemorātur, omnia quæ scripta sunt de illis prophetice dixisse atq; gessisse. Et ideo quod Iacob patri suo retulit. Ego sum filius tuus primogenitus, mystice intellexit.

¶ Aliqui quoque in scriptura laudantur, non propter perfectā virtutem, sed propter bonam indolem, prout in eis apparuit laudabilis ac virtuosus affectus, ex quo moti sunt ad quædā indebita facienda. Sic nanque Iudith laudatur, nō quia mentita est Holoferni, sed propter zelum sui populi. Quāuis dici posset, quod verba eius secundum mysticum aliquem intellectum vera consistant.

¶ Quauis autem mentiri non liceat vt quis alium à quocunque periculo liberet: licet tamen veritatem prudenter, & caute sub aliqua circumlocutione occultare. Rursus, ex duobus excusatur homo à solutione promissi. Primo si promisit illicita, tunc enim peccauit promittēdo, sed non peccat

Universidad de Deusto
Biblioteca

frangendo. Secundo, si personarum ac negotiorum conditio nes mutatæ sint.

¶ Porro peccatum quod charitati repugnat, mortale est, potest autem mendacium charitati contrariari triplicitèr. Vno modo secundum se, scilicet ex ipsa falsa significatione. quę si sit circa res diuinas opponitur charitati dei, & est mortale atque grauissimum peccatum. Si verò sit circa aliquid, cuius cognitio spectat ad hominis salutem in scientia vel virtute, sic opponitur charitati fraternæ & est mortale peccatò inquantum proximo imprimit falsam opinionem. Secundo mendacium charitati opponitur propter finem intentum, vt si dicatur ad iniuriam dei, vel damnum ac diffamiam proximi, & hoc rursus mortale est. Si verò finis intentus nò est charitati contrarius, vt in mendacio officioso atque ioco so, tunc mendacium est veniale. Tertio contrariatur mẽdacium charitati per accidens, scilicet propter consequens damnum vel scandalum, & tunc mendacium est mortale, quando non vereretur homo mentiri causâ scandali euitandi.

¶ Aduertendum autem, quod in mendacio obstetricum populi Hebræorum duo considerantur, videlicet benevolentia in Iudæos, & reuerentia diuini timoris, ex quibus ad mentiendum inductæ sunt, & sic debetur eis reuerentia æterna, laudaturque in ipsis indoles virtutis. Propter quod Hieronymus exponit, quod deus ædificauit eis domos spirituales. Secundo considerabatur ipse exterior actus mendacij, & per illũ non poterant mereri remunerationem æternam, sed forte temporalem, quia temporali mercedi nõ obuiat deformitas venialis peccati: Sic ergo quod ait Gregorius, quod deus mutauit eis bonum spirituale in temporalem mercedẽ propter mendacij culpã, nõ potest intelligi quod per illud mendacium meruerunt æternam remunerationem amittere, quã præcedenti affectu promeruerunt.

¶ Vtrum omnis simulatio sit peccatum. 2. Vtrum hypocrisis sit simulatio 3. An opponatur veritati. 4. An sit mortale peccatum. Articulus 176.

QVemadmodum mendacium veritati opponitur, secundum quod veritas in signis verborum consistit: sic simulatio veritati opposita est, propter signa factorum vel rerum. Ad virtutem enim veritatis attinet, vt se homo talem sermone & vita ostendat, qualis est.

est. Cum ergo simulatio sit per hoc, quod aliquis per signa factorum vel rerum, aliquid de se significat contrarium eius, quod in ipso est, constat quod simulatio veritati opponitur, sicque est mendacium quoddam in exterioribus signis consistens. Et quoniam omne mẽdacium est peccatum, certum est quod simulatio quoque peccatum existat. Legitur tamen Christum se finxisse longius ire. Et Abraham dixit se cum Isaac reuersurum quem proposuit immolare. Et tamẽ neuter eorum simulauit, quia secundũ Augustinum, nõ omne quod fingimus mendaciũ est, sed quod fingitur & nihil significat. Christus autem aliquid sua fictione significauit.

2. ¶ Denique (vt ait Isidorus) hypocrita græcè, latinè simulator interpretatur, hypocrisis est ergo simulatio, non tamen omnis simulatio existit hypocrisis, sed illa quâ quis personã alterius simulat, vt dũ peccator personam iusti falsè assumit.

3. ¶ Ex quibus elicitur, quod hypocrisis directe atque formaliter veritati opponitur, quanuis per accidens alijs contrarietur.

4. ¶ Insuper in hypocrita duo sunt puta sanctitatis defectus, & simulatio eius. Si ergo dicatur hypocrita, quia intentio eius fertur ad vtrumque, scilicet quod sanctitatem non curet habere, sed solũ sanctus apparere: sic hypocrisis est mortale peccatum. Sic quoque in scripturis accipi solet. Vnde Hieronymus super Esaiam dicit: In comparatione duorum malorum, leuius est aperte peccare, quàm sanctitatem simulare. Glossa in Iob dicit, quod simulata æquitas est duplex iniquitas. & super illud Iere in Threnis: Maior est effecta iniquitas populi mei peccato Sodomorum, ait Glosa: Scelera animæ plangũtur, quæ in hypocrisim labitur, cuius est maior iniquitas peccato Sodomorum. Si verò dicatur hypocrita qui simulare sanctitatem intendit, qua caret propter mortale peccatum, tunc quanuis simulatio sit cum mortali peccato, ipsa tamen quandoque est venialis, interdum mortalis, secũdum quod finis intentus charitati contrariatur vel non. Si enim sanctitatem confingat vt falsam doctrinam inducat & alios fallat, mortale peccatum est. Si autem finis non opponitur charitati, vt cum quis in ipsa simulatione delectatur, tunc venialis est. Et de tali ait Philosophus quarto Ethicorum, quod potius videtur vanus quàm malus. Aliquãdo autem simulat aliquid sanctitatem seu perfectionem, quæ non est de necessi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sitate salutis: & ista simulatio nec semper mortalis est, nec semper cum mortali peccato consistit.

¶ Cui virtuti contrarietur iactantia. 2. An sit peccatum mortale. 3. An etiam ironia sit peccatum. 4. De comparatione eius ad iactantiam. Articulus 177.

EST autem iactantia, dū se homo verbis extollit. Quod dupliciter accidit. Primò, cum homo aliquid dicit de se supra id quod est in reputatione aliorum: non autem supra id quod est in seipso. Quod Apostolus vitans: Parco (inquit) ne quis me existimet supra id quod videt me, aut audit aliquid ex me. Secundo, se verbis aliquis extollit, dicens aliquid de se supra se secundum rei veritatem. Et istud est peius quàm primum, & magis propriè iactantia dicitur. Vnde patet, quod iactantia veritati opponitur secundum excessum, & hoc secūdum speciē actus: nihilominus aliquo modo contrariatur humilitati ratione originis, quia frequentius ex superbia nascitur: interdum verò ex quadam vanitate procedit, & secundum rationem finis ex inani gloria oritur: hanc enim iactator intendit atque desiderat.

2. ¶ Denique considerando iactantiam prout est quoddam mendacium, quādoque est mortale peccatum, vt cum homo iactāter aliquid profert contra honorem vel gloriā Dei, aut charitatem proximi, vtpote sic se magnificans, quod in cōtumeliam aliorum prorumpit: quemadmodum pharisæus, qui dixit: Nō sum sicut cæteri hominum, raptores, &c. Quādoque autem est veniale peccatum, quoniam videlicet non contrariatur charitati, quod fit quando homo talia de se iactat quæ non sunt contra deum vel proximum.

¶ Potest quoque cōsiderari iactantia secundum suā causam, quæ est superbia, vel appetitus lucri aut gloriæ. Si ergo origo eius seu causa mortale peccatum sit, tunc & ipsa mortalis erit: alioquin est veniale peccatum.

3. ¶ Porro sicut iactantia est, cum se homo verbis supra se extollit: sic ironia est, cum quis à veritate declinans, minora de se dicit, vel aliquid vile sibi attribuens, quod in seipso non recognoscit: vel aliquod magnum de se negans, quod sibi inesse cognoscit, & hoc est peccatum & veritati cōtrarium. Interdum tamen aliquis minora dicit de se, nō secundum praedictum modum, sed maiora de se, salua veritate reticens, minoraque detergens, & hoc ex suo genere, nec est peccatum. Ideoque

Ideoq; quod ait Gregorius: Bonarum mentium est, ibi suas culpas agnoscere, vbi culpa non est, non debet intelligi vt ali quis se culpabilem dicat vbi culpam non recognoscit: sed vt defectum suum, quo à perfectione iustitiæ deficit, culpā esse cognoscat, quanuis non semper sibi pro culpa imputandum sit. Vnde Augustinus in libro de verbis Apostoli ait: Dū causa humilitatis mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficietis.

4. ¶ Insuper secundum Philosophum, ironia est minus peccatum quàm iactātia, quia iactantia ex turpiori motiuo procedere solet, videlicet, ex superbia vel auaritia, & iterum per iactātiam est vnus magis alteri onerosus, quàm per ironiam, quia per ironiam se alijs magis conformat, non se præferendo. Nihilominus posset aliquis de se minora proferre ob talem finem, quod ironia esset peior iactantia.

¶ An amicitia seu affabilitas sit virtus specialis. 2. An sit pars iustitiæ. 3. Vtrum adulatio sit peccatum mortale. 4. De litigio. Articulus 178.

LOcutus est autem Philosophus in libro Ethicorum de duplici amicitia: quarum vna in affectu principaliter consistit, per quā vnus aliū diligit, & hæc quālibet virtutem consequi potest, Dicitur enim 8. Ethicorum: Amicitia perfecta est, quæ est propter virtutem.

¶ Aliam quoque amicitiam ponit, quæ in exterioribus rebus vel factis solùm consistit, quæ & affabilitas dicitur, & est specialis virtus: nam vbi occurrit specialis ratio boni, necesse est specialē esse virtutem: bonū verò consistit in ordine, oportet autem hominem conuenienter ordinari ad alios in conuersatione communi, in factis & verbis. Virtus autem per quam hoc fit, amicitia seu affabilitas nominatur, per quā se habet homo ad vnumquenque vt decet. Sed amicitia ista non attingit perfectam amicitiæ rationem, sed quandam eius similitudinem, secūdum quod homo decenter se habet ad illos cum quibus conuersatur. Vnde his qui ad peccandum sunt proni, non debemus hilarem vultum ostendere, ne peccato eorum videamur consentire, aut peccandi audaciam quodammodo ministrare: propter quod in Ecclesiastico scribitur: Filiæ sunt tibi, serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.

2. ¶ De-

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. ¶Denique amicitia ista est pars iustitiæ, quia adiungitur ei vt principali virtuti, conuenit namque cum ea in quantum ad alium est. Deficit verò quia non habet perfectã debiti rationem, nec legalis ad quod lex obligat, nec debiti ex iusto pro beneficio prouenientis, sed attendit debitum honestatis, quod magis est ex parte virtuosi quàm alterius. Omnis enim homo naturaliter est alteri amicus propter communionem naturæ, quod beneficia naturæ contestantur tanquam signa amicitiæ, quæ vnusquisque ostendit forinsecus verbis & factis hominibus extraneis atq; ignotis, & secundum Philosophũ ad virtutem hanc attinet alijs delectabiliter conuiuere, hoc enim ad socialem vitam necessarium est, quia nemo diu manere potest cum tristitia, & sine delectabili esse, propter quod ex quodã naturali debito honestatis tenetur homo alijs delectabiliter conuiuere, quamuis quandoque ex causa expectandi alios contristare, propter bonum exequendum vel malum vitandum.

3. ¶At verò qui in omnibus alium laudare & ad delectationem perducere curat, prædictæ amicitiæ seu affabilitati contrariatur, hoc autẽ adulator agit, qui immoderate & insistere placere alijs studet, ideoq; adulatio affabilitati opponitur secũdum modum excessus. Laudare autem alium & ei velle placere propter charitatem fouendum, & ob spiritualem mutuum profectũ, omnino laudabile est, sed ob temporale gratiam velle placere aut quẽquam laudare, reprobatur cum dicitur: Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent.

¶ Porro peccatum mortale censetur quod charitati directe opponitur, contrariatur autem adulatio charitati tripliciter. Primo ratione materiæ, vt cum homo peccatum alterius laudat, & hoc mortale est, quemadmodum scriptum est: Væ qui dicunt bonum malum, & malum bonum. Secundo propter finem intentum, vt si quis alium fraudulenter decipere quærat, quod etiam mortale peccatũ est, & de istis adulationibus dicit Hieronymus: Nihil tam facile mentem corrumpit vt adulatio. Et abbi dicituri Plus nocet lingua adulatoris, quàm gladius persecutoris. Tertio propter occasionem vt dum laus a dulantis est alteri peccandi occasio, & circa hoc considerare oportet, quomodo occasio datur, & qualis ruina sequitur, sicut de scandalo dictũ est: si autẽ aliquis alteri adu letur ex sola auiditate delectãdi, vel ad vitãdum aliquod malum,

lum, seu causa consequendi aliquod bonum necessarium, tũc adulatio veniale peccatum erit.

4. ¶At verò litigium proprie in verbis cõsistit, vt cum vnus verbis alterius contradicit, quæ contradictio quandoque oritur ex defectu amoris ad personam dicentis, nam amor animos vnit, & hoc ad discordiam charitati cõtrariam pertinet: quandoque verò procedit contradictio talis ex defectu reuerentiæ vel timoris ad personam dicentis, quam contradictor contristari nõ vult, & sic litigium affabilitati opponitur, ad quam spectat, delectabiliter cõuiuere alijs. Aduertendum quoque, quòd de litigio & adulatione loqui dupliciter possumus. Primo secũdum speciem actus, & sic litigium est maius peccatum quam adulatio, quia magis repugnat virtuti oppositæ, scilicet amicitiæ, amicitia enim principalius tendit ad delectandum quam ad contristandum, cum ergo finis litigij sit alium contristare, finis autem adulationis alium delectare, patet quod litigium magis amicitiæ opponitur quam adulatio. Secundo hæc duo vitia considerari possunt secundum exteriora motiua, & sic vnum quandoque est grauius altero, & econuerso, secundum quod finis interius est melior siue deterior. Considerandum verò, quod in actibus humanis nõ semper illud est grauius quod est turpius. Nam decor hominis est, vt ratio sensualitati dominetur, & ideo illa vitia sunt turpiora in quibus caro rationi dominatur, vt gula, luxuria. Sed spiritualia peccata sunt graviora, quoniam ex contemptu maiori committuntur. Verecundia autẽ est timor de re turpi, secundum Philosophum 4. Ethicorum. Homines verò magis verecundantur dici adulatores quàm litigiosi, quia licet litigium sit grauius, adulatio tamen est turpior, quoniam ex dolo videtur procedere, & sic ad infirmitatem quandam ac fallaciam est pertinens. Litigium autem ex maiori procedit contemptu, & ex quadam audacia, quæ ad potentiam pertinere videtur, de qua homines naturaliter gloriantur.

¶ An liberalitas sit virtus. 2. De eius materia 3. De actu ipsius. 4. Quid magis ad eam pertineat. 5. Vtrum sit pars iustitiæ. 6. De comparatione eius ad alias virtutes. Art. 179.

PRæterea Augustinus testatur in lib. de libero arbitrio, illis bene vti quibus malè vti possumus, ad virtutem pertinet, sed rebus exterioribus atque diuitijs bene & male vti valemus, cum ergo ad liberalitatem spectet,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctet, talibus rebus bene vti, patet quod ipsa sit virtus. Dicit enim Philosophus. Ad liberalē attinet, non respicere seipsum, sed alijs communicare, non tamen in tantum vt sibi non retineat quod ad vitæ congruentiam pertinet, quia secundum Ambrosium, diuitiæ non sunt simul effundendæ sed dispēdæ, nisi quis euangelicam perfectionem apprætēdere velit. & ergo secundum Philosophum, qui multa intemperanter effundunt, nō sunt liberales, sed prodigi. Possunt autem & pauperes liberalitatem habere, quanuis actum eius exercere nō queant, quia secundum Ambrosium secundo de officijs, affectus diuitem collationem aut pauperem facit & præuium rebus imponit.

2. ¶ Deniq; materia liberalitatis seu obiectum est pecunia, nomine pecuniæ intelligēdo exteriora bona possessa, quorū ad liberalem pertinet esse emissiuum & non tenacem.

¶ Veruntamen cum omnis virtus moralis sit circa passiones vel operationes, ideo immediata materia liberalitatis sunt passiones interiores, pecunia autem exterior est ipsarum passionum obiectum. Nam liberalitas non consistit in quantitate dati, sed in dantis affectu, qui secundum passiones amoris & concupiscentiæ disponitur, & per liberalitatem moderatus.

3. ¶ Proprius autem actus liberalitatis est vti pecunia, id est his quæ nummismate mensurari possunt, quoniam quælibet virtus cōuenienter se habet ad suum obiectum: qui actus ad iustitiam pertinet secundum rationem debiti, & ad magnificentiam, prout pecunia sumitur ad alicuius magni operis explectionem, ad liberalitatem absolute spectat.

4. ¶ Præterea, ad liberalem potissimè attinet dare: est enim emissiuus, & actus eius est vti pecunia. Vsus verò pecuniæ est eius emissio. Nam acquisitio pecuniæ magis assimilatur generationi quàm vsui, custodia quoque ipsius habitui cōformatur. Itaq; liberalis maximè ex datione laudatur, non enim ad liberalem spectat esse promptum ad recipiendum, & multo minus ad quærendum, de quo sunt versus: Si quis in mundo vult multis gratus haberi. Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

¶ Est autem liberalitas pars iustitiæ, non subiectiua seu species, quia nō exhibet alteri quod suum est, quod ad rationem iustitiæ pertinet, sed annectitur ei tanquam principali virtuti, conuenit

conuenit namque cum ea, quia est ad alterum, & qui est circa res exteriores sicut iustitia.

6. ¶ Denique quanto virtus tendit in melius bonum, tanto est digni or: liberalitas autem tendit in bonum dupliciter, scilicet primo & per se, & sic est circa amorem pecuniarum seu cōcupiscentiam diuitiarum moderandam, & hoc modo temperantia, quæ moderatur concupiscentias ac delectationes propij corporis, fortitudo quoq; & iustitia, quæ ordinantur ad bonum commune, præferuntur liberalitati.

¶ Secundò tendit liberalitas ad aliquod bonum ex cōsequenti, & sic circa omnia bona prædicta, nam ex hoc quod homo non est immoderate retentiuus pecuniæ, sequitur quod eam expendit in bonum proprium, & in bonum commune, atque in honorē diuinum, & quo ad hoc liberalitas quādam excellentiam habet, eo quod ad multa sit vtilis. Dicit Boēthius, quod liberalitas facit potissimè homines claros, & secūdum Philosophum, inter virtuosos maximè laudantur liberales: Sed & per liberalitatem assimilatur homo deo, de quo habetur: Quia dat omnibus abundanter & non improperat: quia tamen vnumquodque potius iudicatur ex eo quod sibi per se conuenit, quàm ex consequenti, propterea liberalitas non est simpliciter maxima virtus. Vnde Ambrosius primo de officijs ait: Iustitia est liberalitate excellior, liberalitas autē est gratior. Et Aristoteles primo Rethoricæ dicit, quod fortes & iusti maximè honorantur: post eos autem liberale.

¶ Vtrum auaritia sit peccatum. 2. An sit peccatum speciale. 3. Cui virtuti opponatur. 4. An sit mortale peccatum. 5. An sit peccatum grauissimum. 6. An sit peccatum carnale vel spirituale. 7. An sit vitium capitale, ac de filijs eius. Artic. 1 & 6.

AVaritia denique est immoderatus amor habendi exteriora, hoc autem peccatum est. Ea enim quæ ordinantur ad finem, non sunt bona nisi ordinentur secundum exigentiam finis, sicut medicina non est bona, nisi proportionata sit sanitati. Cùm ergo temporalia exteriora que bona ad spiritualia ordinentur, eorum appetitus nō est bonus, nisi secundum quod ad spiritualia bona vtilia aut necessaria sunt. Vnde auaritia secundum excessum appetendi peccatum est. Dicit autē philosophus quod senes auari sunt, & hoc est quia propter senectutem plurimis egēt, debent

Universidad de Deusto
Biblioteca

bent tamen cupiditatem suam moderari.

2. ¶ Est autem auaritia speciale peccatum, quia est circa possessiones quæ habent rationem boni vtilis. Est tamē nomen auaritiæ ampliatum ad omnem immoderatum affectum habendi quācunque rem, vnde Gregorius ait, quod auaritia est non solum pecuniæ, sed & scientiæ & altitudinis. Et Augustinus in 3. de lib. arbitrio asserit, quod auaritia, quæ Græce philargyria appellatur, non in solo argento & nummis, sed in omnibus quæ inordinate appetuntur, cōsistit. sed hoc modo non est speciale peccatum, quia in omni peccato est quædam cupiditas immoderata alicuius rei, cum peccatum sit spretor summo ac incommutabili bono, inhærere caducis.

3. ¶ Denique immoderantia quam auaritia importat, vno modo attenditur quo ad ipsas res possessas, videlicet circa ipsam acceptionem vel conseruationem diuitiarū, quas homo vltra debitum adipiscitur vel cōservat, & sic auaritia contrariatur iustitiæ, & est peccatum in proximum. Secundo consideratur immoderantia ista circa interiorem affectum, scilicet amorem vel concupiscentiam diuitiarum, quā aliquis nimis in eis delectatur aut ipsas habere conatur, & ita liberalitati opponitur, quæ huiusmodi affectiones moderatur. Vitium quoque oppositum auaritiæ, est prodigalitas.

4. ¶ Præterea, auaritia secundum quod cōtrariatur iustitiæ est peccatum mortale, sic enim ad eam pertinet res alienas retinere aut sumere, quia exteriora secundum vsum communia sunt, prout ante ostensum est, & sic auaritia comparatur rapinæ & furto, quæ sunt peccata mortalia, sed sicut furtum in aliquo casu propter imperfectionem actus veniale existit, sic & auaritia.

¶ Accipiendo vero auaritiam secundum quod liberalitati opponitur, est mortale peccatum, si amor diuitiarum aut earū delectatio charitati diuinæ præfertur, si autē infra hanc fuerit veniale peccatum.

5. ¶ Aduertendum quoque, quod peccatum inquantum est quoddam malum, consistit in corruptione præuaricationeq; boni. Sed inquantum est voluntarium, consistit in appetitu alicuius boni. Itaque peccatum dupliciter dicitur grauius altero. Primo ratione boni quod per ipsum corrumpitur, nam quo illud est melius tanto peccatum est grauius, & sic peccata quæ sunt directe contra deum, grauissima sunt, & hoc modo auaritia non est peccatum grauissimum. Et quoniam formale peccati est auersio à summo bono, ideo ab illo formali præcipuè sumitur gravitas culpæ.

¶ Alio modo pensantur grauitas culpæ ex parte boni cui se appetitus subdit inordinate, & quo illud est vilius eo peccatum est grauius. Cùm ergo diuitiæ sunt infima bona, vtpote infra bona corporis, ideo auaritia, quæ est circa illas, hoc modo quodammodo grauissimum est peccatum. Vnde Ecclesiasticus dicit, Auaro nihil est sceleſtius. Et rursus: Nihil est iniquius quàm amare pecuniam, hic enim animam suam habet venalem. Sed & Tullius primo de officijs dicit: Nihil est tā angusti tamque parui animi, quàm amare pecuniam. Et Apostolus dicit, quod auaritia est idolorum seruitus, quia sicut idololatra se creaturæ subijcit quo ad cultum, sic & auarus quantum ad vsum.

6. ¶ Porro peccata potissime in affectu consistunt. Omnes autem affectiones seu passiones terminantur ad delectationes vel tristitias. Delectationes quoque aliquę sunt carnales quæ in sensu carnis compleditur, vt gula, luxuria: quædā spirituales, quæ complētur in sola animi apprehensione. Illa ergo peccata dicūtur carnalia quæ carnalibus delectationibus perficiuntur, & illa spiritualia quæ spirituali delectatione cōsummantur. Talis autem est auaritia, delectatur namq; auarus in hoc quod se diuitiarum possessorem considerat, vnde auaritia est spirituale peccatum. Verumtamē ratione obiecti, quod est pecunia, est medium inter vitia pure spiritualia, vt est superbia, & vitia pure carnalia, sicut gula.

7. ¶ Porro illa vitia capitalia sunt, quæ principales fines habent ad quos aliorum vitiorum fines ordinantur, hoc autem auaritiæ conuenit, habet enim finis auaritiæ quandam præcipuam similitudinem cum beatitudine, ratione sui obiecti, quod est pecunia, quia pecuniæ maximè sufficiētiam promittunt secundum Boēthium: Nam secundum Philosophum 5. Ethicorum, denario tanquam fide iussore vtimur ad vniuersa habenda, & sic auaritiæ finis, qui est habere pecuniam, est plurimum quamuis fallaciter appetibilis, & ob id est auaritia vitiū capitale. In duobus namq; excedit, videlicet in retinendo, & sic ex ea obduratio, quæ contrariatur misericordiæ, oritur. Secundo excedit in acquirendo tam in effectu, & sic ex auaritia oritur inquietudo, quam in affectu, & ista aliena adi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pisci conatur. Interdum cum vi, & sic filia eius est violentia, quandoque cum dolo vel simpliciter asserendo, & sic nascitur fallacia, vel confirmando, & sic periurium ponitur auaritiæ filia. Si verò fiat dolus in opere, sic quantum ad rem est fraus, quantum autem ad personas proditio, vt patet in Iuda qui ex auaritia prodidit Christum: Has ergo prædictas septem auaritiæ filias assignat Gregorius, quibus Isidorus addidit mendacium, & falsum testimonium, quæ ad fallaciam reducuntur.

¶ De prodigalitate. 2. An sit peior quàm auaritia. 3. De epikeia quoque. 4. An sit pars iustitiæ. Art. 181.

PRodigalitas denique auaritiæ contrariatur, quia auarus excedit pecunias diligendo, & eas tenaciter conseruando. Sed prodigus nimis modicam earum sollicitudinem habet, ipsásque immoderatè effundit. Cum ergo virtus in mediate consistat, patet quod prodigalitas sit peccatum.

2. ¶ Minus est tamẽ quàm auaritia. Primo, quia auaritia magis cõtrariatur liberalitati quàm prodigalitas. Secundo quoniam prodigus multis est vtilis quibus communicat, auarus vero nemini nec sibimetipsi. Tertio vitiũ prodigalitatis est magis sanabile quàm auaritia, vtpote per accessum ad frugalitatem & egestatem, & propter vicinitatem ad liberalitatem.

3. ¶ Præterea, ex præostensis constat, quod leges ab hominibus institutæ quandoq; patiuntur instantiam, nec potuit dari lex quæ in omnibus simpliciter obseruanda sit, propter diuersitatem circa actus humanos contingentem. Ideoque necessaria est virtus, per quam iudicetur, in quo casu à communi lege recedendum est, sic quod intentio legislatoris attendatur potius quam verba legis positæ. Ad hoc autem epikeia ordinatur, quæ apud nos æquitas appellatur, vnde patet quod epikeia sit virtus.

4. ¶ Est autem pars iustitiæ subiectiua & species eius, ipsa enim dirigit legalem iustitiã & est potior pars iustitiæ. Nam epikeia dicitur ab epi, quod est supra, & dikauni, quod est iustitia, quasi supra iustitiã, ipsa enim moderatur obseruantiam verborum legis.

¶ Vtrum pietas sit donum sancti spiritus. 2. Quid sibi in hac materia dicibus & fructibus correspondeat. Art. 182.

Dona

DOna insuper spiritussancti (sicut præhabitum est) sunt quædam habituales animæ dispositiones, quibus à spiritusancto prompte ac bene mobilis redditur. Inter multa autẽ ad hoc mouet nos spiritussanctus vt ad deum filialẽ habeamus affectum, hoc autẽ nobis præstatur per donum quod pietas dicitur, & correspondet iustitiæ: quandoque tamen pietas est virtus (vt dictum est) per quam parentibus honor & cultus impenditur, vnde religio est digutor pietate prout est virtus, sed pietas secundũ quod est donum, est religione præstantior. Tum quia dona excellunt virtutes omnes præter Theologicas. Tum quia religio exhibet cultum Deo tanquam creatori. Pietas verò vt patri, secundum illud: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba pater. Nihilominus pietas ista ex consequenti se extendit ad homines, secundum quod ad Deũ pertinent scilicet sanctos honorando, miseris compatiendo & subueniendo, principalisque actus eius remanebit in patria scilicet Deum reuereri filiali affectu.

2. ¶ Porro in coaptatione beatitudinum ad dona duplex potest conuenientia considerari. Vna secũdum rationẽ ordinis, quàm Augustinus secutus est in libro de sermone domini in monte: Nam primam beatitudinem attribuit timori, qui est vltimum donum: Secundam autem, videlicet beati mites, pie tan, quæ ponitur penultimum donum. Ait enim: Pietas congruit mitibus. Alia conuenientia attenditur secundum propriã rationem donorum & beatitudinum, vtpote secundum obiecta & actus, sicq; pietati potius correspondet beatitudo quarta, quę est, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Et quinta: Beati misericordes. Ex hoc ideo, quia donum pietatis correspõdet iustitiæ, & opera misericordiæ pietati appropriantur. Secunda tamen beatitudo conuenientiam aliqualem habet cum pietate, inquantum per mãsuetudinem impedimenta actuum pietatis tolluntur.

¶ Vtrum præcepta decalogi sint præcepta iustitiæ. 2. De primo præcepto. 3. De secundo. 4. De tertio. 5. De quarto. 6. De alijs sex. Articulus 183.

COgnoscendũ præterea, quod præcepta decalogi sunt prima legis præcepta, quibus velut manifestissimis naturalis ratio mox assentit. Ratio autem debiti, quæ ad præceptũ requiritur, manifestissime apparet in iustitia,

ſtitia, quæ eſt ad alterum: Nam in his quæ ſunt ad ſeipſum, primo videtur quod homo ſit dñs ſuiipſius, poſsitque facere de ſe quodlibet. Sed in his quæ ad alium ſunt, clarè apparet, quod homo eſt alteri obligatus ad reddẽdum ei quod debet. Ideoque præcepta decalogi ad iuſtitiam pertinere oportuit. Vnde prima tria præcepta ſunt de actibus religionis, quæ eſt potiſſima pars iuſtitiæ. Quartum præceptum eſt de actu ſcilicet de honoratione, ratione parentum) pietatis, quæ eſt ſecundaria pars iuſtitiæ, alia quoq; ſex dãtur de actibus iuſtitiæ cõmuniter dictæ. Et ſciendum quod ſicut præcepta ceremonialia ſunt quædã determinationes præceptorum moralium ſeu decalogi, prout ordinãtur ad Deum, ſic præcepta iudicialia ſunt eorundem determinationes quantum ad proximum. Itaq; præcepta decalogi pertinẽt ad iuſtitiã, quoniã ſunt immediate de actibus iuſtitiæ, ad charitatem quoq; ſpectãt tamquam ad finem, nam finis præcepti eſt charitas.

2. ¶ Deniq; intentio legis eſt, homines facere virtuoſos, virtus autem ſeu bonitas maximè pertinet ad voluntatem, per quam homo omnibus alijs bonis bene vtitur, bonitas autem voluntatis attenditur in ordine ad ſuum obiectum, quod eſt vltimus finis, & ergo primum præceptum tanquam vere religionis fundamentum, eſt de vltimo fine, videlicet de cultu veri Dei, ad quem omnia cætera bona referre oportet. Verumtamen quoniam ante introductionem virtutum, neceſſe eſt cõtraria vitia ſeu impedimenta extirpare, ideo cultus Dei primo per præcepta negatiua iubetur, per hoc quod falſitatis deorum cultus vetatur. Vbi aduertẽdum, quod antiqui deos dupliciter coluerunt. Quidam enim quaſdam creaturas pro dijs colebãt abſq; imagine. Vnde Varro narrat, quod antiqui Romani diu deos colebant abſque ſimulachris ſeu inſtitutione imaginum: Alij autem colebant deos ſub quibuſdam idolis, & horum vtrumque in lege prohiberur, cum dicitur, Non facies tibi ſculptile, nec coles.

3. ¶ Denique ſicut in primo præcepto prohibetur ſuperſtitio, quæ veræ religioni ſecundum quendam exceſſum opponitur, ſic in ſecundo præcepto cum dicitur, Non aſſumes nomen dei in vanum, vitium irreligioſitatis prohibetur, nam vtrumque excludi oportet ab homine, antequam in vita religioſa fundetur, hoc ergo præcepto vetatur vana, & falſa aſſumptio, & ex cõſequenti omnis mala, & infidelis diuini nominis aſſum-

aſſumptio. Vnde quædam gloſa exponit iſtud præceptũ. Nequis filium dei dicat puram creaturam. Et alibi dicit gloſa ſic intelligendum, Ne nomen Dei adſcribatur ligno aut lapidi.

4. ¶ Inſuper tertio præcepto iubetur cultus dei exterior dũ ſanctificatio ſabbati præcipitur. Nã duo prima præcepta diuini cultus impedimenta prohibuerunt. Nunc ergo tertio præcepto mandãtur id per quod homo in vera religione fundatur, cuius eſt deo cultum ceremoniamque offerre, & ſicut ſacra ſcriptura tradit nobis ſpiritualia ſub imaginibus ſenſibilium rerum, ſic in iſto præcepto mandatur cultus dei per aliquod ſenſibile ſignum, quod eſt ſanctificatio ſabbati, quæ cõmune beneficium ſcilicet mundi creationem, deſignat, à qua deus die ſeptimo requieuiſſe refertur. Illud quoq; præceptũ eſt partim morale, quoniã naturalis ratio dictat quatenus homo aliquod vitæ ſuæ tempus deputet ad vacandum deo. Partim ceremoniale, videlicet quo ad determinationẽ certę diei, & etiam ad deſignandam quietem Chriſti in ſepulchro, & hoc ſecundum allegoricam ſignificationem. Similiter ſecundum ſignificationem moralẽ, prout deſignat ceſſationem ab omni operatione peccati. Sed & ſecundum anagogicum ſenſum, inquantum præfigurat quietem fruitionis diuinæ in patria. Sed iſtud præceptum locatur inter decem mãdata decalogi inquantum morale exiſtit, vtpote naturalis rationis dictamen concernens, ad omnesque pertinens.

¶ At verò in obſeruantia ſabbati duo pẽſantur, quorum vnũ eſt finis ſcilicet deo vacare, quod inſinuatur cũ dicitur, Memento vt diem ſabbati ſanctifices. Nam quæ diuino cultui applicantur, ſanctificari dicuntur. Aliud eſt ceſſatio operum, nõ quorũcunq;, ſed ſeruilium, quia hoc quaſi exponitur cum dicitur, Omne opus ſeruile nõ facietis in eo. Triplex autem eſt ſeruitus. Vna qua homo malè viuendo ſeruit peccato. Secunda qua homo ſeruit homini, quæ non eſt ſecundum mentem, ſed corpus, & ideo hoc modo opera ſeruilia ſunt corporalia opera. Tertia eſt ſeruitus latriæ, qua deo ſeruitur, quæ vtique eſt finis ſanctificationis ſabbati, & in ſabbato maximè frequentanda, & ſic in ſabbato circũciſio licuit, & miniſtratio dei in templo, circumductio quoq; arcæ per circuitũ Hiericho. Conformiter ſpirituales actus, videlicet docẽdi verbo vel ſcripto, non contrariantur ſabbato, ſed opera ſeruilia ſecundum primũ & ſecundum modum contrariantur ei. Nã

Universidad de Deusto
Biblioteca

illa mentem à diuina vacatione impediunt maximè prima, pura actiones peccati, & igitur secundū Augustinum, melius esset die sabbati agrum colere quàm saltare, vanare quā chorizare, seu seditiosi insistere. Opera verò, quæ cōmunia sunt seruis & liberis, vtpote de necessarijs sibi prouidere, & consequenter damna vitare licent in sabbatis. Ideoque licuit in sabbato manducare, bouem & asinum adaquare & soluere, nec Machabæi peccabant sabbato præliantes ob corporis sui salutem. Helias quoque quatuor diebus ambulans atque à facie Iesabel fugiens non peccauit, & ob hoc Christus excusauit suos discipulos, qui spicas sabbato colligebāt. Et similiter opus corporale quod ordinatur ad corporalem salutem, sabbato licet, vt est mūrmum sanare. Et quia pharisæi, & scribæ sabbati sanctificationem male intelligebant, ideo Christum sæpè de violatione sabbati arguerunt. Sed & ipse eis conuenienter respondit, quemadmodum euangelia contestantur. Aduertendum autem quod sabbato Iudæorum, succedit in noua lege dies dominica, non ex præcepto, sed institutione ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani, & idcirco operatio in sabbato non est tā stricte prohibita in noua lege sicut in veteri. Sed quædam nunc conceduntur, quæ tunc erant illicita, sicut decoctio cibi, aliaque huiusmodi: facilius etiā modo dispensatur cum obseruātia sabbati quàm tunc, quoniam obseruantia sabbati non est iam figuralis vt tunc.

5. ¶ Porro post præcepta primæ tabulæ ad deum spectantia statim subiungitur mādatum de honoratione parentū. Nam præcepta ordinantur ad charitatē Dei, & proximi. Inter proximos autē maximè obligamur amare parentes, qui sunt particulare principium nostri esse, sicut Deus est vniuersale principium. In hoc autem præcepto mandatur secundario quicquid pertinet ad reddendum debitum cuicumque personæ, huic quoque præcepto, videlicet parentes honorātibus promittitur diuturnitas vitæ, & hoc propter congruentiam, qui enim beneficijs gratus est, meretur beneficij cōseruationem cum ergo à parentibus esse habeamus, dum eos veneramur & grati sumus, longæuam ipsius esse conseruationem meremur. Quoniam tamen præsentia bona vel mala nō cadunt sub merito vel de merito, nisi inquātum ordinantur ad remunerationem futuram. Idcirco quandoque secundum occulta Dei iudicia quæ venturam rētributionem concernunt, fugiens

tim aliqui parentibus pij cito vita priuantur, quidam autem parentibus impij diuturnius viuunt.

6. ¶ Amplius autem post prædictum præceptum, in quo iubetur reddi parentibus debitum, quod ad partem iustitiæ pertinet, scilicet ad pietatem, in quo omne debitum includitur, quod aliquibus ex speciali ratione debetur consequentet, & conueniēter ponuntur alia sex præcepta pertinētia ad ipsam iustitiā propriè dictā, quæ indifferenter omnibus debitū reddit. Et dantur ista præcepta negatiue, ne videlicet proximi nocumenta inferantur, vtpote homicidium, in quo intelligūtur omnia nocumenta quæ inferuntur in personam proximi: adulterium in quo intelliguntur nocumenta quæ inferuntur in personam coniunctā per modum libidinis: furtum, in quo intelliguntur nocumenta quæ ad damna rerum pertinent. Et falsum testimoniū, in quo includūtur damna locutionum, vt delicet detractiones, blasphemiæ. Prohibetur etiam concupi scētia rei alienæ, id est cōsensus voluntatis in delectationem vel opus, non autem primi motus sensualitatis. Concupiscentia namque est duplex. Vna quæ est actus voluntatis, de qua sapiens ait: Cōcupiscentia sapientię deducit ad regnum perpetuum. Alia est concupiscentia sensualitatis, de qua scriptura sæpius loquitur.

¶ Vtrum fortitudo sit virtus. 2. An sit virtus specialis. 3. De materia eius. 4. An sit solum circa timorem mortis. 5. An rebus bellicis. 6. Vtrum sustinere sit actus eius præcipuus. Articulus 184.

EXpeditis his quæ ad iustitiæ contemplationem pertinere videntur, nunc de secunda virtute cardinali scilicet fortitudine, fari oportet. Est enim fortitudo virtus, quia habentem perficit, & eius bonum cōstituit, bonum namque hominis (secundum Dionysium) est esse secundum rationem. Ratio verò tripliciter perfici potest, videlicet secundū seipsam, & hoc est per virtutes intellectuales. Secundo per hoc quod rectitudo rationis in rebus humanis instituitur, quod per iustitiā agitur. Tertio secundū quod huius rectitudinis impedimēta tollūtur, voluntas autem dupliciter impeditur ne rationis rectitudinem assequatur. Primo per hoc, quod aliquid delectabile attrahit, & illicit eā, quod temperantia tollit, quæ delectationes sensuales coērcet. Secundo inquantū aliquod difficile eā detertet, & hoc impedimētum

Universidad de Deusto
Biblioteca

auferre ad fortitudinem spectat. Ideoque est virtus.

2. Deniq; fortitudo dupliciter sumitur. Primò pro quadam firmitate animæ, & sic virtus generalis, vel potius cuiuslibet virtutis cõditio. Nam ad virtutem pertinet firmiter & immobiliter operari. Secundò accipitur pro firmitate animi in sustinendis, & repellendis his, in quibus firmitatem seruare difficilimum est, & sic est virtus specialis. Vnde Tullius in sua Rhetorica dicit. Fortitudo est considerata periculorum susceptio ac laborum perpessio. Sæpè quoque nomen virtutis pro nomine fortitudinis sumitur.

3. ¶ At verò materia circa quam est fortitudo, est passio timoris, quam fortitudo cohibet, ne voluntas à censura rationis recedat, & audacia, quam fortitudo moderatur ne se homo periculis inconsideratè exponat. Fortitudo namq; impedimenta rationis, secundum quod prædictũ est, aufert, & sic est circa timorem qui retrahit, & etiam fortitudo actum aggredi viriliter debet, & quo ad hoc moderatur audaciam. Quod autem Gregorius ait Fortitudo iustorum est, carnem vincere, delectationibus cõtraire, delectationes vitæ præsentis extinguere, dictum est de fortitudine quæ est virtus generalis.

4. ¶ Et quoniam timor mortis & periculorum, quæ sunt circa mortẽ, maximus est, & hominem à sequela rationis summe impediẽs, ideo fortitudo est circa timores mortis ne homo propter eos à virtuosis actibus abstraharur, sed propter bonum virtutis semper impertertitus stet, & qui talis est fortis vocatur, non autẽ qui circa minora pericula constans est. Alij enim timores malorum moderantur per illas virtutes, quæ ordinant amorem contrariorum bonorum, quoniam timor ex amore causatur, quemadmodum liberalitas, quæ moderatur amorem pecuniæ, ex consequenti moderatur timorem amittendi eandem.

5. ¶ Præterea, quoniam fortitudo est circa pericula mortis ob iustam causam non mutenda, ideo propriè est circa pericula mortis in bellicis rebus. Nam pericula talia imminent homini propter aliquod bonũ, videlicet quia defendit bonũ cõmune. Pericula autem mortis exægritudine vel fluctibus maris, seu occursu latronum, non videntur directè incumbere ex hoc quod aliquis bonum prosequitur. Bellum demum iustum est duplex. Vnum generale, vt est pugna certantiũ in acie. Aliud particulare, sicut cum iudex aut persona priuata non desistit à recto iudicio timore gladij vel cuiuscunque periculi, quamuis mortifer. Fortitudo igitur contra vtraq; pericula animum roborat, & sic fortis bene se habet, non solum circa pericula mortis in bello, sed etiam cuiuscunq; alterius mortis, secundum quod homo propter virtutem illam nõ refugit. Puta cum aliquis non cessat infirmãti amico seruire ob infectionem pestilentialem, vel cum non desistit ab aliquo opere pio prosequendo propter mortis periculum.

6. ¶ Porro fortitudinis est timores reprimere, & audaciam moderari, sed timorem reprimere difficilius est. Cùm ergo sustinere sequatur ad repressionem timoris, aggredi verò ad moderamen audaciæ, constat quod principalis actus fortitudinis est sustinere, & ipsa fortitudo præcipuè versatur circa reprimendum timorem. Vnde philosophus dicit, quod tristia sustinẽdo maximè fortes dicuntur. Itaque sustinere est difficilius quàm aggredi. Dicit enim philos. 3. Ethicorum. Quidam sunt præuolãtes ante pericula, sed in ipsis deficiunt, fortes autem contrario modo se habent.

¶ Vtrum fortitudo agat propter proprium bonum. 2. An habeat delectationem in suo actu. 3. An confistat maxime in repentinis. 4. An vsque ira. 5. An sit virtus cardinalis. 6. De comparatione eius ad alias virtutes. Articulus 185.

FInis insuper agẽtis est duplex, videlicet proximus, qui est proptiam similitudinẽ in alterum (scilicet passum) inducere, vt finis ignis calefacientis est calorem patiẽti imprimere. Alius est finis agentis vltimus, vtpote bonum intentum consequens ex proximo fine. Sic ergo proximus finis fortitudinis est, vt sui habitus similitudinem exprimat in actu, quia intendit agere secundum conuenientiam sui habitus, finis verò remotus seu vltimus est beatitudo seu Deus.

2. ¶ Deniq; delectatio duplex est, scilicet corporalis & animalis, quæ animæ apprehensionem consequitur. Fortis ergo in suo actu, ex vna parte habet vnde delectetur, vtpote in ipsa operatione virtuosa, & in cõsideratione finis sui actus. Sed ex alia parte habet vnde cõtristetur, quoniam actus eius præcipuus est sustinere aduersa & tristia atq; pœnalia, & inquantum considerat suæ vitæ terminum, quam naturaliter diligit, sibi insultare, & sic dolet corporaliter & animaliter. Dolor au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem sensibilis facit delectationem animalem non sentiri, gratia dei abundãs animam ad diuina eleuet in quibus delectetur, & ergo Philosophus ait, quod à forti nõ requiritur vt delectetur, quasi delectationem sentiens, sed sufficit vt non tristetur. Opera quippe virtutũ quandoq; ex sua natura sunt tristia, sed delectabilia semper sunt, præcipuè propter finem quemadmodum. 7. Ethicorum habetur.

5. ¶Sciendum quoq; quod fortitudo præsertim consistit in repentinis periculis occurrẽtibus, quantum ad manifestatum nẽ habitus. Nam viriliter resistere aduersis improuise occurrẽtibus, signũ est virtuosi habitus in anima radicati, sed quãtum ad electionem, quæ est in operatione fortis, sic fortitudo non est potissimè circa repẽtina, eligit namque fortis præmeditati pericula, quatenus eis consultius obuiet, quia secundum Gregorium iacula quæ præmdentur, minus feriunt.

4. ¶Præterea aduertẽdum, quod de passionibus animę Stoici, & Peripatetici diuersimode sunt locuti. Stoici enim dicebant eos ab animo sapientis omnino esse excludendas. Peripatetici autem, quorum Aristoteles princeps est, passiones dicebant à virtuosis esse assumendas, sed ratione moderatas, & forte quãtum ad rem non differebant, sed solum in modo loquẽdi. Peripatetici namq; omnes motus appetitus sensitiui qualitercunque se habentes, passiones animæ appellabãt, & ergo asserebãt eas debere assumi ad actus virtutũ, prout per imperium rationis moderantur: sicque iram assumit fortis in actu suo, qui est aggredi dura, quia instrumentaliter adiuuatur per eam. Nam ira insilit in aduersa. Stoici verò vocabant passiones quosdam immoderatos motus seu affectus appetitus sensitiui. Ideoque nominabant eas morbos seu ægritudines animæ, & ob hoc dixerũt eas pœnitus virtuoso vitãdas. Vnde Seneca Stoicorum sectator in libro de ira, contra Aristotelẽ: Quid (inquiens) stultius est quàm ab iracundia petere præsidium? Nam ad omnia, non solum prouidenda, sed etiam facienda per se sufficit ratio. Nec debet à re incerta, & infideli ac ægra, videlicet ira, opem requirere.

5. ¶Præterea virtutes illæ cardinales seu principales dicuntur quæ sibi præcipue vendicant quod communiter pertinet ad omnes virtutes: sed firmiter agere est omnium virtutum quædam communis conditio: & hoc ad fortitudinem maximè pertinet: quia durissimis inconcusse resistit, & ideireo vir-

virtus cardinalis.

6. ¶ Considerandum etiam, quod tanto virtus moralis est dignior, quanto ad bonitatem hominis amplius confert ac pertinet. Bonum verò hominis est esse secundum rationem. Ideoq; prudẽtia est præstantissima virtutum moralium, quia ipsa hoc bonum rationale essentialiter continet, cum sit ratio nis perfectio. Iustitia autẽ est huius boni operatiua, quia ordinem rationis secundum dictamen prudentiæ in rebus constituit. Aliæ autem virtutes conseruant hoc bonum moderando passiones ne rationem impediant, & inter has fortitudo est màxima, cum sit circa timores mortis, qui rationem à rectitudine vehementissime abducere solent. Nam cum ratio nem impediant, bonum delectans, & malum affligens, gratius, impellit dolor corporis quàm voluptas, quia secundum Augustinum. Nemo est qui nõ magis fugiat dolorem quàm appetat voluptatem, vnde post fortitudinem temperãta cæteris digniot est, quoniam voluptates gustus & tactus, animam vehementer impellunt à virtute recedere.

¶De martyrio 2. Cuius virtutis sit actus. 3. De perfectione martyrij. 4. De pœna eius. 5. De causa quoque ipsius. Articulus 26.

MArtyrium deniq; est actus virtutis, nã virtutis est vt per eam homo in bono rationis cõseruetur, bonum verò rationis in virtute consistit tanquam in obiecto, & in iustitia sicut in effectu. Cùm ergo ad martyrij rationem pertinear, tempore persecutionis in veritate atque iustitia insuperabiliter perseuerare, patet quod martyrium sit actus virtutis. De innocẽtibus autem pro Christo occisis quidam dixerunt, quod in ipsis vsus rationis miraculose acceleratus est. Sed quoniam hoc authoritate scripturarum confirmari non potest, melius dicitur quod martyrij gloriam quàm alij volũtate propria assecuti sunt, isti per Dei gratiam sunt adepti. Nam effusio sanguinis propter Christum vicem gerit baptismi, vnde quemadmodum pueris baptizatis meritum Christi operatur ad gloriam per gratiam baptismalem, sic in occisis propter Christũ meritum martyrij Christi operatur ad palmam martyrij obtinendam.

¶Actus autem martyrij, sicut & alij quidam actus virtutum, esse præbet in homine secundũ præparationẽ animi, sed non debet aliquis alteri occasionem præbere malè agendi.

2. ¶Porro

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. ¶ Porro mysterium actus est fortitudinis, quæ hominem circa pericula mortis impauidum efficit, quod in martyribus excellētissimè prorsus emicuit, qui pro Christo, pro fide, pro iustitia, vsq; ad mortem pugnauerūt quodam particulari bello, quoniam aduersarijs fortissimè spiritualiter restiterunt, & fortes facti sunt in bello per fortitudinem gratuitam, non autem naturalem siue ciuilem.

3. ¶ Denique de actu virtutis dupliciter loqui contingit. Primò secundum speciem actus, prout comparatur ad virtutem actum immediate elicientem, & sic martyrium non est perfectissimum inter actus virtutum, quoniam mortem sustinere nō est laudabile secundum se, sed inquantum ad aliquod bonum ordinatur, videlicet ad dilectionem aut fidem, cuius virtutis seu boni, actus est melior, quia est finis. Secundò cōsideratur actus in ordine ad principium motiuum, scilicet charitatem, quæ imperat actum, & ita martyrium est omnium virtuosorum actuum perfectissimum, quia charitatem maximè demonstrat, & perfectionem charitatis summe ostendit, per hoc quod homo ex diuino amore propriam vitam contemnit, & mortem spontaneè eligit. Cadit autem martyrium sub præcepto non simpliciter, sed in aliquo casu, vt dictū est. Nullus est enim actus perfectionis sub consilio cadens, qui in aliquo casu cadat sub præcepto secūdum Augustinum, quem admodum maritus ad continētiam obligatur propter absentiam, infirmitatemq; coniugis. Aliqui tamen sanctissimi martyres ex fidei zelo & supernæ charitatis feruore seipsos spontè ad martyrium obtulerunt. Itaque martyrium secundum se perfectius est quàm obedientia absolute accepta, quia per martyrium est homo vsque ad mortem obediens.

4. ¶ Porro ad perfectam rationem martyrij requiritur mortis perpessio propter Christum. Martyr enim græcè, latinè testis vocatur, vnde ad martyrem attinet fidei Christianæ perfectum testimonium exhibere, est autem fides quod proposita inuisibilia sint cuncta præsentia & visibilia contemnēda, sed quamdiu homini propria vita corporalis permanet, nō dum opere manifestat se omnia visibilia spernere.

¶ Interdum tamen martyrium improprie, & similitudinarie sumitur pro quacunque magna afflictione, in anima vel in corpore patienter suscepta.

5. ¶ Causa autem martyrij est veritas fidei, ad quam non so-

lum

lum exigitur mentis credulitas, sed exterior contestatio, siue per verba, siue per opera sancta, quæ fidei existunt iudicia, & secundum hoc omnia virtutū opera in deū relata, sunt quædam protestationes fidei, possuntque esse causa martyrij. Vnde multorum celebrantur martyria, qui nō immediate propter fidei cōfessionem, sed propter iustitiā, quæ ex fide procedit, mortem perpessi sunt. Et quoniam omne mēdacium est peccatum: ideo vitatio mendacij, contra quancunq; sit veritatem, potest esse martyrij causa, inquātum videlicet mendacium est peccatum damnæ legi contrarium, bonum quoq; humanum, secundum quod refertur ad deū, martyrij causa consistere potest.

¶ An timor sit peccatum. 2. An contrarietur fortitudini. 3. An sit peccatum mortale. 4. An sit peccati diminutiuum. Artic. 187.

BOnum autem hominis est, vt secundum rationis regimen in omnibus gubernetur, ab hoc autem deficit timor, non inquantum est passio, sed inquantum est inordinata fuga alicuius prosequendi vel fugiendi, videlicet contra rationis dictamen. de timore autem & de speciebus eius, & de his quæ ad ipsum pertinent, in præcedentibus satis prædictum est.

2. ¶ Elucescit quoq; quod timor, prout est inordinatio appetitus sensitiui aliquid formidāris, sit vitium fortitudini oppositum, & hoc verum est de timore præcipue qui est circa pericula mortis. Sed timor inordinatus communiter sumptus, in omni peccato includitur, sicut amor inordinatus ex quo ipse procedit. Nā quilibet virtuosus amat bonū suæ virtutis: & pariformiter vitiosus timet contrarium eius quod diligit, vt intemperatus amissionem voluptatis, auarus perditionē pecuniæ. Quemadmodū autē spes est principiū audaciæ, sic timor est desperationis origo. Amor verò timoris est causa atque principiū. Nam nullus timet nisi cōtrarium eius quod amat.

3. ¶ Denique inordinatio ista timoris, qua homo fugit quod secundum rationem fugiendum non est, quādoq; est solum in appetitu sensitiuo, & sic est veniale peccatum, si verò rationis consensus adueniat, tunc est quandoque mortale, & interdum veniale peccatum. Mortale quidem, quādo voluntas propter timoris impulsum aliquid omittit, vel agit præcepto seu charitati contrarium. Si autem id non sit ad salutem

neces-

Universidad de Deusto
Biblioteca

necessarium, tunc timor esset veniale peccatum.

4. ¶ Porro ratio dictat quædam quibusdam amplius esse fugienda, videlicet mala animæ plus quàm damna rerum, & malũ corporis scilicet percussionem, mortem & vulnera plus quàm amissionem diuitiarum. Si ergo aliquis causa vitandi peius malũ, incidit minus malum, nõ peccat, sed timor eum excusat: vt si quis à latronibus captus, promittat dare pecuniam quatenus mortem euadat. Si vero ex timore minoris mali incidat maius malum, nõ penitus excusatur à culpa: sed tamen aliqualiter excusatur, quia timor minuit rationem voluntarij. sic ergo timor excusat, non inquantum est inordinatus, sed prout est quædam imperfecta coactio.

¶ De intimiditate, quod sit peccatum. 2. Quod fortitudini contrarietur. 3. De audacia, quod sit vitium. 4. Quod fortitudini opponatur. Articulus 188.

TImor itaque ex amore causatur, & ergo de vtroq; est idem iudicium. Nunc autem est sermo de timore quo temporalia mala timentur. Sicut autem homo vitam & ea quæ ad vitæ sustentationem necessaria sunt naturaliter diligit, sic opposita horũ naturaliter metuit. Ideoq; de temporalis vitæ & temporalium rerum amissione penitus esse impauidum, est contra naturalem inclinationem atque peccatum, siue hoc veniat ex defectu amoris, siue ex elatione cordis, siue ex stoliditate mentis, quæ tamen stoliditas à peccato excusat quando inuincibilis est.

¶ Veruntamen quoniam naturalis inclinatio omnino extingui non potest, ideo à prædicto amore vitæ ac temporalium rerum nullus totaliter cadit. Vnde Apostolus ait: Nemo vnquam carnem suam odio habuit. Imo & qui seipsos occidũt ex quodam suæ carnis amore hoc faciunt, quo se à præsentis angustia liberari desiderant, aliqui verò ex animi sui elatione impauidi sunt. Nam ex præsumptione sui cordis æstimant nihil contrarium ipsis posse contingere.

2. ¶ Vt verò quoniã ad fortitudinem spectat timorem atque audaciã moderari, ideo timiditas directe cõtrariatur virtuti fortitudinis secundũ defectum timoris, quemadmodũ temeritas propter excessum timoris. Nam ad fortitudinem, pertinet timor moderatus, videlicet vt homo timeat, quę oportet, quãdo oportet, & quare oportet, &c. quia non qualitercunq; fortis aggreditur vel sustinet, sed iuxta rationis censuram.

3. ¶ Insuper passiones ordinantur quandoque ratione, interdum autem carent rationis iudicio, & sic sunt vitiosæ. Nomina quoque passionum quãdoque sumuntur à superabundantia, sicut ira dicitur superabundans commotio & ita audacia ab excessu spei accipitur estq; peccatum. Quandoq; tamen sumitur pro motu rationi subiecto, & sic sonat in bonũ. Sciendum quoque, quod ex quo quædam virtutes & vitia propriis carent nominibus: ideo loco earum nominibus vtimur passionum, & præsertim passiones quarum obiectum est malũ, accipi solent pro vitijs, sicut de ira, inuidia, timore atque audacia patet. Passiones autem quarum obiectum est aliquod bonum, ad designandum virtutes accipi consueuerũt quemadmodum de amore & spe constat.

4. ¶ Opponitur autem audacia fortitudini, quoniam immoderationem quandam importat circa materiam fortitudinis, videlicet circa audaciam, quę secundum quod est passio, per fortitudinem ordinatur.

¶ De partibus fortitudinis. 2. Vtrum magnanimitas sit circa honores. 4. An sit solum circa magnos honores. 4. An sit virtus specialis.

Articulus 189.

FRequenter declaratum iam est, quemadmodum triplices partes assignari possint quibusdam virtutibus, vt-pote subiectiuæ integrales, & potentiales. Fortitudo autem partes subiectiuas, id est, virtutes specie differentes non habet, propter specialitatem sui obiecti, sed habet integrales, secundum ea quæ ad actum fortitudinis requiruntur, & potentiales, quæ conuenientiam cum fortitudine sortiuntur. Est autem duplex fortitudinis actus, videlicet aggredi & sustinere, ad aggressionem verò duo concurrunt, scilicet præparatio animi prompta, & quo ad hoc Tullius ponit fiduciam esse fortitudinis partem, & efficax ac indeficiens executio, & quantum ad hoc magnificentia est pars fortitudinis secundum Tullium. Itaque fiducia, & magnificentia coarcentur ad obiectum fortitudinis, scilicet ad pericula mortis, erunt partes integrales fortitudinis: sed referendo ad alias materias minus difficiles, sic sunt virtutes ab ea distinctæ, annectuntur q; ei tanquam principalori virtuti. Rursus, ad alium fortitudinis actum, qui est sustinere, duo cõcurrunt. Primo ne animus frangatur, aut per tristitiam à sua magni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

magnitudine decidat propter imminentium magnitudinem periculorum, & sic ponitur patientia. Secundo ne ex diuturna aduersorum perpessione animus fatigetur aut cesset, & quo ad hoc ponit Tullius perseuerantiam. Itaque si hæc duo cedant ad materiam fortitudinis, sunt partes ipsius integrales; si verò referantur ad quodcumque difficile, sic sunt virtutes ab ea distinctæ specifice, & adiunguntur ei sicut principali. Sic ergo (secundum Tullium) quatuor ista, Magnificentia, patientia, fiducia, & perseuerantia, sunt fortitudinis partes seu membra. Macrobius autem ponit septem, nam addit magnanimitatem & securitatem, quas Tullius sub fiducia comprehendit, & constantiam, quam Tullius sub magnificentia innuit, securitas verò timorem excludit. Andronicus quoque peripateticus ponit septem species fortitudinis, quas aliis nominibus partim appellat.

2. ¶ Denique magnanimitas, vt ex nomine eius apparet, importat animi extensionem ad magna, virtus autem comparatur ad duo, videlicet ad obiectum & actum, tamen principaliter refertur ad actum, quoniam habitus præcipue determinantur per proprios actus, vnde proprie magnanimus dicitur quia animum habet ad magnum actum. Actus verò dicitur magnus dupliciter, videlicet secundum proportionem, & sic dicitur actus magnus quamuis consistat in vsu rei mediocris aut paruæ, si homo re illa virtuose vtatur. Alio modo dicitur actus magnus absolute, vtpote consistens in optimo vsu maximæ rerum: res autem quæ in vsum hominis veniunt, sunt res exteriores, in quibus honor est maximus, quia Deo & optimis exhibetur, & sic magnanimus dicitur qui est circa magna absolute atque simpliciter, vnde magnanimitas est circa honores, honor autem habet rationem magni & ardui, & hæc est magnanimitatis materia, quæ in vt irascibili ponitur. Nihilominus cum magnanimitas sit virtus moralis nec pars iustitiæ, ideo proximum eius obiectum est passio, scilicet spes, quæ tendit in arduum bonum: mediatum verò obiectum est honor, qui est spei obiectum. Magnanimitas demum est circa honorem, nō quod homo virtuosus humanum honorem multum optet aut reputet, imo cum contemnere potest, sed tamen vt propter contemptum eius nil inconueniens agat, sed magnanimus studet ea quæ honore sunt digna, efficere.

4. ¶ At verò sicut circa appetitum pecuniæ sunt duæ virtutes, videlicet liberalitas, quæ est circa mediocres & moderatas pecunias, & magnificentia, quæ est circa magnas pecunias. Sic circa appetitum honoris sunt duæ virtutes, quarum vna est circa mediocres honores, & ista proprio nomine caret. Alia autē est circa magnos honores, & ista magna nimitas dicitur, vnde proprie magnanimitatis materia est magnus honor, & ad hoc magnanimus tendit quatenus ea faciat, quę sunt magno digna honore. Res enim exteriores quamuis sint paruæ, tamen sunt multū appetibiles tanquam ad vitæ sustentationem necessariæ, & ideirco circa illas sunt duæ virtutes, non autē circa ipsas passiones, quia in eis nō est difficultatis magnitudo, nisi propter impetuosam earū impulsum. Vnde quarto capitulo de diuin. no. Dionysius asserit, quod passiones aduersus rationē compugnant. Attendit vero magnanimus magnos honores sicut quibus est dignus, sed quoniam virtus ab homine sufficienter honorari non potest, quippe cui à Deo honor debetur, ideo nō extollitur ex magnis honoribus nec reputat eos supra se, sed eos tanquam infra se spernit, nec honorationibus frangitur, & ergo. 4. Ethicorū habetur, quod magnanimus maximus seipsum dignificat.

4. ¶ Porro ad rationem virtus humanæ spectat, vt in rebus humanis bonū rationis seruetur, hoc autem magnanimitas facit, & ergo est virtus: Nam magnanimus tendit ad maxima sicut oportet secundum rationis mensuram. Quod autem virtutes dicuntur connexæ, non est intelligendum secundum actus virtutū, sed secūdū earū principia, quæ sunt gratia atq; prudentia. Sunt enim connexæ secundū habitus simul in anima existentes in actu, vel certe in dispositione propinqua.

¶ Aduertendum quoque, quod corporalis motus variantur secundum variā apprehensionem affectionemq; animæ. Vnde philo. 4. Ethicorum ait, quod magnanimorum est motus lentus, vox grauis, & locutio stabilis. Velocitas namq; motus contingit ex eo quod homo ad multa intendit, & illa explere festinat. cū ergo magnanim⁹ ad maxima tēdat, quę pauca, & attenditione præcipua indigent: ideo tardum motum habet. Sed & acuitas velocitásque sermonis his conuenit qui de omnibus cito contendunt. Magnanimus autem non nisi de magnis se intromittit. Istę quoque conditiones seu proprietates conueniunt his, qui naturaliter ad magnanimitatem dispositi sunt. Sciēdum denique quod magnanimitas nequaquā hu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

militati opponitur, inuenitur enim in homine aliquid magnum ex dono diuino, & secundum hoc magnanimus se magnis dignificat. Nam si magnam animi virtutem à deo sortitur ad perfecta opera virtutis procedit: est enim in homine quidam defectus ex infirmitate naturæ prouenies, & secundum hanc consideratiouem magnanimus humilis est. Dicit autem Philo. quod magnanimus alios spernit, quod intelligendum est secundum imperfectionem, qua à virtute deficiunt. Non enim alios tantũ appreciatur, vt pro eis indecẽs aliquid operari dignetur, vnde de viro iusto scriptura testatur. Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, sed magnanimus alios veneratur inquantum dona dei in ipsis inuenit, propter quod scriptura subiungit, Timẽtes autem dominum glorificat. Rursus ait philoso. quod proprietates magnanimi sunt, non esse memorem beneficij præstiti, esse otiosum & tardum, vti ironia ad multos, alijs non posse conuiuere, & quòd magis possidet infructuosa quàm fructuosa. Hæ autem proprietates secundum quod magnanimo competunt non sunt vituperabiles, sed superexcedenter laudabiles. Nam quod magnanimus dicitur beneficij immemor, intelligendum est quod vult maiora recompensare, quia in omni actu virtutum vult superexcellere. Similiter otiosus & tardus vocatur, quoniam de paruis & ab se non pertinentibus neque decentibus non se intromittit, sed solum de magnis. Similiter ironia vtitur non aliquid falsè proferendo, sed totam suam magnitudinem non demonstrando, præsertim inferioribus turbis: quod etiam alijs perhibetur: non posse conuiuere, optimum signum est, si bene intelligatur, nam familiariter viuere nequit nisi ad amicos, quia adulationem & simulationem penitus spernit & vitat, quoniã cor nobile habet. Nihilominus omnibus conuiuit congruenter vt oportet & digni sunt, quod autẽ dicitur quærere infructuosa, ideo dicitur, quoniam non quærit nisi bona honesta, quæ per se bona sunt, quauuis vtilitatem nullam inducant.

5. ¶ Insuper magnanimitas est virtus specialis. Habet enim speciale obiectum sicut ostensum est, scilicet honorem: sed quoniam honor est omnium virtutum præmium, ideo ex consequenti magnanimitas omnes virtutes concernit, quoniam magnanimus in quacunque virtute magna operari destinat: quia vt. ò magnanimus ad excellentiam respicit, ideo

secundum philosop. conuenit ei quod est benefactiuus & cõmunicatiuus, plurimumque retributiuus, nec declinans à veritate atque iustitia propter timorẽm, nec est planctiuus neque commonentem se fugiens.

¶ Vtrum magnanimitas sit pars fortitudinis. 2. De Comparatione ipsius ad fiduciam. 3. De comparatione eius ad securitatem. 4. De comparatione magnanimitatis ad alia bona fortunæ. Articulus. 190.

EST autem magnanimitas (secundum Macrobium & Andronicum) pars fortitudinis, quia adiungitur ei sicut principali virtuti, conuenit enim cum ea inquantum animum roborat circa aliquid arduum, sed deficit ab ea, quoniam facilius est seruare medium in obiecto suo quàm in obiecto fortitudinis, quæ est circa pericula mortis, quandoque tamen accipiuntur pro eodem hæc duo. Vnde Seneca dicit: Si magnanimitas, quæ est fortitudo, insit animo tuo, cum magna fiducia viues.

2. ¶ Deniq; nomen fiduciæ à fide imponitur, ad fidem verò pertinet aliquid alicui credere, vnde fiducia importat robur spei, prouenies ex aliqua consideratione circa alium vel seipsum, quæ vehementem opinionem inducit de aliquo bono consequendo. Cum ergo magnanimitas sit circa spem ardui boni, eluceſcit, quia fiducia ad magnanimitatem pertineat. Nam fiducia motum spei designat, est enim spes roborata ex quadam firma opinione, & sic fiducia propriè non nominat habitum virtutis, sed conditionem ipsius, & est pars fortitudinis integralis, quia ad actum eius requiritur, non autẽ est virtus adiuncta, nisi pro magnanimitate sumatur quemadmodũ Tullius accipit eam.

3. ¶ Præterea, timor facit homines consiliatiuos, inquantũ, videlicet, curam habent quomodo ea quæ timent, euadere queant. Securitas verò dicitur per remotionem curæ, quam iugerit timor: timor autem est materia propria fortitudinis. Ideoque securitas ad fortitudinem pertinet, quemadmodum autem spes est causa audaciæ, sic timor disperationis est causa, sicut ergo fiducia inquantum audacia vtitur, consequenter ad fortitudinem spectat, quauuis immediate ad magnanimitatem pertineat: sic securitas secundum quod desperationem repellit, ex consequenti magnanimitatem concernit, securitas itaque est quædam conditio fortitudinis, estq; quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

dam præmium imperfectum virtutis.

¶ At verò bona fortunæ ad actum fortitudinis organice (id est instrumentaliter) conferunt ac deseruiunt. Nam per diuitias, potentiam, & amicos, præstatur nobis facultas agendi. Magnanimus tamen bona fortunæ parum appreciatur, & id circo de eorum amissione non multũ tristatur, propter quod Tullius primo de officijs ait: Ad magnũ animum attinet, ea quæ videntur acerba ita ferre, vt nihil à statu naturæ dilabatur, nihil à dignitate sapientia.

¶ De præsumptione. 2. Cui virtuti opponatur. 3. De ambitione. 4. Cui virtuti contrarietur. Articulus 191.

Duiq; quæ secundũ naturam fiunt, diuina ratione ordinata consistunt. Debet autem ratio humana imitari diuinam. Ideoq; quicquid in ratione humana contingit contrarium naturali ordini rerũ, peccatum est. Videmus autẽ in naturalibus quod nihil ad ea cadit quæ propriæ virtutis proportionem excedunt. cum ergo præsumptio sit, quod aliquis ea sibi assumit quæ suam virtutem excedũt. Patet quod ipsa peccatum sit. Vnde si homo, qui adhuc imperfectum virtutem habet, ea assequi statim conetur, quæ ad perfectæ virtutis statũ pertinent, præsumptuosus efficitur, quãuis verò nil boni sine Dei subsidio valeam, tamen non omnia bona nostram potestatem transcendunt, quia quod per amicos seu alios possumus, aliqualiter per nos possumus, vt dicitur 3. Ethicorum.

2. Præterea, virtus magnanimitatis consistit in medio non ex parte obiecti, cum tendat in maximum, sed secundum proportionem subiecti, qui in aliquid tendit secundum propriæ facultatis mensuram, cum ergo præsumptuosus hanc comitis suratione sue potestatis supergrediatur, claret, quod præsumptio contrariatur magnanimitati secundum excessum huius proportionis, non autem obiecti, quia frequenter tendit in minora quàm magnanimitas. Præsumpto quoq, charitati, sicdono timoris opponitur, inquãtum est peccatum in spiritum sanctum. Dicit autẽ Sene. li. de quatuor virtutibus, quod dum magnanimitas suum modum excedit efficit hominem immodicum, inflatum, turbidum, inquietum, & in quascunque vanitatum factorumq; excellentias, neglecta honestate, festinum.

3. ¶ Porro honor importat reuerentiam alicui impensam in testimo-

testimonium excellentiæ eius. Circa excellentiam verò hominis duo pensanda sunt. Primo, quod non est ab homine sed à deo, & ergo non homini excellenti sed Deo principaliter honor debetur. Secundo pensandum, quod donum excellens, homini ad hoc à Deo præstatur, quatenus homo per illud alijs prosit. Ideoq; in tantum placere debet homini testimonium excellentiæ suæ, seu honor impensus inquantũ sibi per hoc paratur via ad aliorum profectum, vnde honoris appetitus tripliciter fit inordinatus. Primo dum homo cupit testimonium de excellentia quam non habet. Secundo cum honorem exhibitum vel optatum non refert ad Deum. Tertio si non ordinet ipsum ad proximorum vtilitatem. Cum ergo ambitio importet inordinatum honoris affectum, clarum est quod sit peccatum.

4. ¶ Et quẽadmodum præsumptio magnanimitati opponitur secundum excessum proportionis humanæ virtutis: sic ambitio eidem opponitur secundum excessum rationis materiæ seu obiecti, quod est honor, quem magnanimus ordinate intendit, ambitiosus immoderate. Sciendum verò quod honor dicitur præmium virtutis, non quod virtuosus pro præmio optet honorem, sed beatitudinem. pro tanto autem dicitur præmium virtutis, quoniam alij nil dignius habent quod virtuoso exhibeant quàm honorem, & sic non est sufficiens præmium. Dicit autem Tullius primo de officijs, quod sicut quisque magnitudine animi excellit, sic vult solus omnium maxime princeps esse. Vnde cũ dignitati prælationis honor debeatur, qui dignitatem huiusmodi cupit propter honorẽ, est ambitiosus, qui verò eam desiderat non propter honorẽ, sed propter vsum dignitatis idoneum, suam facultatem excedendum, est præsumptuosus.

¶ An appetitus gloriæ sit peccatum. 2. An sit peccatum mortale. 3. An capitale. 4. De filiabus inanis gloriæ. Articulus 192.

Gloriæ autẽ nomen, clatitatẽ quandam designat, ait enim Tullius in sua Rhetorica, gloria est frequens de aliquo fama cũ laude. Cui Ambrosius consonat: Gloria (inquies) est clara cũ laude notitia. Et Aug. dicit, quod glorificari est clarificari. Claritas autem decorum habet & manifestationem, vnde gloria manifestationem importat alicuius, quod hominibus decorũ videtur, siue corporale sit illud, siue spirituale, quoniã verò quod simpliciter cla-

 rum

Universidad de Deusto
Biblioteca

nũ est, à remotis atque à multis cõspici valet, ideo gloria proprie est manifestatio decoris in plurimorũ notitia & approbatione, cõmunis tamẽ sumitur gloria prout cõsistit in agnitione paucorum vel vnius vel sui ipsius, dum quis proprium bonum considerat tanquam laude dignũ, proprũ vero bonũ cognoscere & approbare non est peccatum, cũ dicat Apostolus: Nos autẽ non spiritũ huius mundi accepimus, sed spiritũ qui ex deo est, vt sciamus quæ à deo donata sunt nobis. Sed neq; peccatũ est quod quis velit bona sua ab alijs approbari, cum Christus dicat: Luceat lux vestra corã hominibus. Vnde eluceſcit, quod appetitus gloriæ secundum se non nominat aliquid vitiosum, sed vanæ gloriæ appetitus dicit aliquid vitiosum. Est autem gloria vana tripliciter. Primo, ex parte rei de qua quis gloriatur vel gloriam quærit, vtpote cum res talis est caduca & fragilis nec gloria digna. Secundo ex parte eius à quo aliquis gloriam quærit, scilicet hominis cuius iudicium est incertum. Tertio ex parte eius qui gloriam quærit, videlicet qui eam non ordinat ad Dei honorem proximique salutem: Boni etenim viri, per gloriam sibi allatam, stabilient in bonis perseuerare, & propter testimonij laudis alienæ magis curant proficere, debet namque homo curam habere de bono nomine, ne alios scandalizet, sed vt eius occasione Deus honoretur, & frater proficiat.

¶ Porro gloria est effectus honoris & laudis. Nam ex hoc quod aliquid honoratur vel laudatur, elatus in aliorum opinione efficitur. Magnanimitas verõ, cum sit circa honorem, ex consequenti est circa gloriam, moderate vtendo vtrisque. Cum igitur vana gloria sit immoderatus gloriæ appetitus, patet quod magnanimitati directe opponitur. Magnanimi autem animo derogat, vt res modicas tantum appretietur quod de eis glorietur. Vnde. 4. Ethicorum habetur quod magnanimo honor parum videtur: Repugnant quoque magnitudini animi, in testimonio laudis humanæ gloriari, cum hoc non sit magnum, & ergo ait Philo. 4. Ethicorum, quod magnanimo cura nõ est vt laudetur. Rursus magnanimi animo obuiat contentioni intendere. Non enim homo contendit nisi pro re quam magnam æstimat. Patet itaq; quod licet vanæ gloriæ cupidus, à magnanimo secundum veritatem deficiat, quia in minoribus falsisque gloriatur, tamen opponitur magnanimitati gloria vana secundum æstimationẽ eius qui eam

eam desiderat secundum excessum, quoniã gloriã quã cupit magnipendit, atq; ad eam supra suam dignitatẽ tendit: Vnde Tullius primo de officijs astruit. Cauenda est vanæ gloriæ cupiditas. Eripit enim animi libertatem, pro qua vitis magnanimis omnis debet esse inuentio. Cui Chrysostomus consonat, dicens: Inanis gloria occulte ingreditur, & omnia quæ intus sunt, insensibiliter aufert.

2 ¶ Denique inanis gloria non contrariatur charitati proximi, & ex hac parte non est peccatum mortale. Sed charitati dei dupliciter contrariari potest ex parte obiecti, seu rei de qua aliquis gloriatur, vt si glorietur de eo quod non est, aut bonum temporale in quo gloriatur, deo præponat, vel testimonium hominũ, dei testimonio præferat. Secundo ex parte gloriantis, qui intentionem suam finalem figit super gloriam vanam, in ea quiescens & ob ipsam opera virtutũ exercens. His ergo modis est inanis gloria peccatum mortale. Si verò gloria sit inanis non tamen charitati, quæ est animæ vita, directe contraria, non est mortalis. Vnde Chrysostomus asserit: Cætera vitia locum habent in seruis diaboli, sed vana gloria locum habet etiam in famulis Christi. Et Augustinus ait: Quas vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor, non sentit nisi qui ei bellum indixit: quia & cuiquã est facile laudem non capere dum negatur, difficile tamen est ea non delectari cũ offertur. Est autem inanis gloria valde periculosa, fit enim homo per eam præsumptuosus, & de se nimis confidens, atque ad maxima mala prochuis.

3 ¶ Amplius aliqui non vanam gloriam sed superbiam asserunt vitium capitale. Sed Gregorius superbiam omnium ponit vitiorum reginam, & inanem gloriam, quæ ab ea causatur immediate, vitium capitale fatetur, & rationabiliter. Superbia namque est inordinatus excellentiæ appetitus, ex omni autem bono optato aliqua perfectio seu excellentia sequitur. Ideoq; omnium vitiorum fines, in finem superbiæ ordinantur, propter quod generalem causalitatẽ habet super omnia vitia, nec cõputanda est inter specialia vitiorum principia, vtpote capitalia. Sed vana gloria vitium est capitale. Nã excellentiam homines maxime appetunt, ad quam potissime gloria conferre videtur, cum gloria sit manifestatio bonitatis alicuius, ob bonitatem autem vnumquodque honorabile est atque amabile, vnde propter adeptionem vanæ gloriæ multa

Universidad de Deusto
Biblioteca

fiunt peccata, quæ ex ea procedunt secundum rationē cuiusæ finalis. Gloria quoque est finis honoris & laudis. Nam idcirco appetunt homines honorati atque laudari quatenus in aliorum notitia fiant præclari.

4. ¶ Itaque illa vitia sunt filiæ vanæ gloriæ, quæ ordinantur ad eius finem, qui est propriæ excellentiæ manifestatio, quam aliquis dupliciter intendere potest, videlicet directe & indirecte. Directe, vel per verba, & sic est iactantia, vel per facta siue vera & mitãda, & sic est nouitatum præsumptio, siue per ficta, & sic est hypocrisis. Indirecte verò intēdit quis sibi excellentiam, ostendendo se alijs non esse minorē, quadrupliciter. Primo quantū ad intellectū, & sic est pertinacia qua homo suæ sententiæ nimis innitens, alij credere spernit. Secundo quantū ad volūtatem, & sic est discordia. Tertio quātum ad locutionem, & sic est contentio. Quarto quantū ad factū vt cū homo superioris præceptū exequi despicit, & sic est inobediētia. Hæc ergo prædicta, sunt vanæ gloriæ filiæ secundum Gregorium. Iactantiā tamen quantū ad suam causam, quæ est arrogantia, poni solet superbiæ species, sed quo ad finem suum est species vanæ gloriæ.

¶ *De pusillanimitate. 2. Cui virtuti opponatur, Articu. 193.*

Sicut autem præsumptio est peccatum, quoniā tendit in aliquid supra proprias vires, sic pusillanimitas est peccatum inquantum homo per eam deficit à proportione suæ potentiæ, recusans in id tendere, quod suæ virtuti commensuratum atque possibile est, & hoc ipsum est contra naturalem rerum inclinationem. Nam vnicuique naturalis inclinatio est ad propriam actionem, suæ potestati proportionatam. Dicit autem Philosophus, quod pusillanimus non est malus, videlicet quoniam proximo nocumentum non infert, nisi per accidens, maximè si alijs præsit.

2. ¶ At verò pusillanimitas consideratur tripliciter. Primo secundum se, & sic magnanimitati opponitur, sicut magnū opponitur paruo. Secundo consideratur ex parte originis, quæ est ignorantia propriæ conditionis quantum ad intellectum, vel timor deficiendi in his, quæ erroneè suam facultatem transcendere putat, & quo ad hoc opponitur prudentiæ & fortitudini. Tertio consideratur quantum ad suum effectum, qui est se à magnis retrahere, quibus est dignus. Et aduertendum, quod pusillanimitatis secundum propriā speciē est

est grauius peccatum quàm præsumptio. Nam per eam recedit homo à bonis, quod est pessimum. Præsumptio autē dicitur esse nequissima, ratione superbiæ.

¶ *Vtrum magnificentia sit virtus. 2. An sit virtus specialis. 3. De obiecto ipsius, & an sit pars fortitudinis. 4. De vitijs sibi oppositis. Articulus 194.*

Virtus insuper dicitur per comparationē ad vltimū in quod potentia potest, cum ergo ad magnificentiam spectet aliquid magni operari, vt nomē eius insinuat, cōstat quia est virtus. Dicit ergo Philosophus, quod oportet artis esse quādam virtutem, puta mortalē, per quam inclinetur appetitus ad vtendum ratione artis, hoc autem ad magnificentiam pertinet.

2. ¶ Deniq; magnificentia, ad quā pertinet aliquid magnū facere, specialis est virtus, si facere proprie accipiatur, videlicet pro actione transeunte in exteriorē materiā: opus enim factibile procedit ab arte, in cui' vsu pensari potest specialis ratio bonitatis per quam ipsum opus est magnū, vel in quātitate, vel in preciositate seu dignitate, & quātum ad hoc magnificentia specialis virtus existit. Si verò facere sumatur cōmuniter pro quacunq; actione, siue in ipso agente manere, vt sunt cogitare & velle, vel in exteriorem materiam procedere, vt vri, secari, sic magnificentia n ōest virtus specialis. Nam ad quamlibet virtutem pertinet aliquid magnū efficere in suo genere. Quoniam autem ad magnū aliquid faciendum requirūtur magni sumptus, ideo (secundū philosophū) magnificentia est circa magnos sumptus, vel circa pecuniā, quibus aliquis vtitur pro sumptu faciendo.

3. ¶ Adiungitur quoque magnificentia fortitudini tanquā principali virtuti, nam cōuenit secum, quia tendit in aliquid arduum atq; difficile, propter quod est in vi irascibili, sicut & fortitudo. Deficit autem à fortitudine, quia obiectum eius est minus arduum quàm fortitudinis obiectum, in quo sunt pericula mortis. In obiectio verò magnificētiæ est tantum dispendium rerum, liberalitas autē differt à magnificētia, quia est circa mediocres sumptus vt dictum est. Vnde subiectum eius est vis concupiscibilis.

4. ¶ Porro parui ficentia magnificentiæ opponitur, sicut enim magnificus primo & principaliter intendit magnū facere opus, secundario verò magnos sumptus secundū quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

illi ad opus suum necessarij sunt. sicut è conuerso parui facit principaliter sumptum patuitatem intendit in comparatione ad genus operis quod facit, sed ex consequenti intendit paruitatem operis. Quemadmodū autem contingit sumptū deficere à debita proportione quo ad genus operis intenti, sic contingit sumptum esse in nimium per comparationē ad opus intentum. Vnde paruificentiæ opponitur vitium secundum excessum, quod Latine dici potest consumptio.

¶ Virum patientia sit virtus. 2. An sit maxima virtutum. 3. An sine gratia possit haberi. 4. An sit pars fortitudinis. 5. An sit finis quod longanimitas. Articu. 195

VIrtutes porro morales ordinantur cōtra passiones impulsus ac impetus, quarū vna est tristitia actū rationis multum impedies, de qua scriptura testatur: Seculi tristitia mortem operatur. Et denuo: Multos occidit tristitia, & non est vtilitas in ea. Est ergo aliqua virtus contra hanc passionē pœnalē necessaria, & hæc patientia dicitur. Quandoque tamen patientia ponitur pro actus, sed tūc nō sumitur p habitu sed p delectatione quæ ō sistit in actu quo quis præseruatur ne à tristitia absorbeatur.

2. ¶ At verò quoniam virtutes ordinantur ad bonum, ideo virtutes, quæ sunt constitutiuæ boni digniores sunt illis quæ impediunt ea quæ à bono abducunt; & sic virtutes theologicæ: iustitia quoque & prudentia, sunt patientia meliores, & iterum quo aliquid rationem magis à virtute abducit, eo virtus illud auferens est præstantior. Cum ergo pennacula mortis, & post hæc delectationes gustus & tactus, rationem magis impediāt quām aliæ aduersitates, idcirco fortitudo & temperantia patientiæ præeminent. Dicitur autem in patientia possidere animas nostras, nā possessio importat quietum dominium, hoc autem per patientiā fit, quoniam ipsa euellit radicatas passiones aduersitatum, quibus anima inquietatur. Vnde secundum Iacobum, patientia habet opus perfectum, videlicet in tolerandis aduersis, ex quibus primo procedit tristitia, quam moderatur patientia. Secundo ira. Tertio odium. Quarto nocumentum, quæ omnia cuitantur dū in principio patientia adhibetur, propter quod ait Gregorius, quod patientia est omnium virtutū radix & custos, non eas vtique directe cauendo, sed prohibēs removendo, id est impedimenta tollendo.

3. ¶ Agnoscendum quoque, quod vera patientia sine gratia haberi non valet, pertinet enim ad patientiam, propter debiti finis amorem tolerare aduersa, quod esse non potest nisi vlrim us finis omnibus diligatur, quia nemo sponte sustinet quod cruciat, nisi propter amorem eius quod delectat. Dolorem nanque atque tristitiam animus naturaliter horret. Ideoque nunquam eligeret ea pati, nisi propter amorem alterius quod amplius diligit. Amorē verò vltimi finis præferre præsentibus bonis, ex charitate (quæ sine gratia esse nequit) procedit.

4. ¶ Denique patientia est pars potētialis fortitudinis, quia adiungitur ei sicut virtus secundaria principali, fortitudo nanque est circa maxima aduersa, quæ sunt pericula mortis, & circa timores eorum. Patientia verò est circa reliquas aduersitates, & circa tristitias quas moderatur, fortitudo autē est in irascibili, sed patiēna est in cōcupiscibili, ad quam pertinet, nō vtique aduersa fugere, sed ea quæ præsentialiter nocent, æquanimiter ferre.

5. ¶ Vltimo, longanimitas est per quā homo animum habet tendendi in id, quod in longinquum distat. Vnde longanimitas magis cōcernit spem, quæ tendit in aliquid ableus, quām audaciam, timorem, vel tristitiā, propter quod magis conuenit cum magnanimitate quām cum patientia, cum qua tamen conuenit propter duo. Primo quoniam sustinet aliqua mala propter bonum, quod auto difficilius sustinetur, quanto bonum longinquius expectatur. Nam spes quæ differtur affligit animam. Secundo, quia hoc ipsum quod est bonum speratum differri, ex se natum est causare tristitiam, & sic circa illud patientia esse potest, quemadmodum circa omnes tristitias. Est autē patientia (secundum Tullium) rerum arduarum, causa honestatis ac vtilitatis, voluntaria ac diuturna perpessio.

¶ An perseuerantia sit virtus. 2. An sit pars fortitudinis. 3. Quomodo se habeat ad constantiam. 4. Virum indigeat auxilio gratiæ. Articulus. 196.

RVrsus secūdum Philosophum virtus est circa bonū difficile, & ideo vbi inuenitur specialis ratio bonitatis seu difficultatis, illic requiritur virtus specialis. Opus autem virtutis difficultatē ac bonitatē sortitur, tam ex specie proprij actus, qui est circa difficile, quā ex diuturnitate.

Universidad de Deusto
Biblioteca

diuturnitate temporis. Nam operi difficili diu insistere specialem obtinet difficultatem. Vnde vsque ad finem actui bono intendere ad specialem spectat virtutem, & hæc perseverantia appellatur. Sciendum tamē quòd immobiliter in actu virtutis persistere, ad quamlibet virtutem pertinet secūdum comparationem habitus ad obiectum, inquantum virtus est qualitas difficulter mobilis, sed immobiliter & diu seu vsque finem in bono persistere ex intentione finis, ad perseverantiam proprie pertinet.

2. ¶ Adiungitur autem perseverantia fortitudini sicut virtus secundaria virtuti principali, nam cōuenit secum in eo quod est firmiter in difficilibus perdurare, sed deficit quoniam non est circa tā difficilia vt fortitudo, quæ est circa pericula mortis: & est perseverantia in irascibili sicut & fortitudo, moderatur quoque aliquas passiones, videlicet timorem fatigationis seu defectus propter diuturnitatem temporis. Interdum tamen perseverantia sumitur pro quadam firmitate rationis ac voluntatis.

3. ¶ Porro constantia ad eundem finem ordinatur cum perseverantia, sed constantia facit firmiter stare animum contra exteriora impedimenta, perseverantia verò persistere facit animum contra difficultatem, quæ prouenit ex diuturnitate ipsius actus. Vnde constantia non est idem quod perseverantia, sed aliud atque inferius ea.

4. ¶ Denique perseverantia sumitur interdum pro ipso habitu virtuoso, & sic indiget dono gratiæ habitualis, quemadmodum virtutes infusæ: quādoque autem accipitur pro actu perseverantiæ consummato, videlicet vsque ad mortem durante, & sic indiget non solùm gratia habituali, sed insuper gratuito dono Dei, animum in bono vsque ad finem confortante. Opponitur autem perseverantiæ mollities, quæ de facili à bono virtutis reddere facit propter tristitias aut voluptates, quæ mollities quandoq; ex consuetudine oritur, quandoque verò ex naturalis complexionis fragilitate. Vnde cōparatur complexioni fœmineæ. Pertinacia quoq; secundum excessum proprij sensus perseverantiæ contrariatur. Perseverantia nanque inhæret propriæ sententiæ sicut oportet. Mollis minus quàm decet. Pertinax magis quàm expedit, & ita perseverantia est virtus media inter prædicta vitia.

¶ An

¶ *An fortitudo sit donum. 2. Quid ei in beatitudinibus & fructibus correspondeat. 3. De præceptis fortitudinis. 4. De præceptis partium eius. Articulus 197.*

FOrtitudo quoque donum spiritussancti existit. Mouetur enim animus hominis à spiritu sancto, ad hoc quod perueniat ad finem cuiuslibet operis inchoati, atque cūcta euadat pericula, quod vtique naturalem virtutē excedit. Præsertim cum homo in ipsa morte à malis vinci & opprimi possit, sed hoc spiritussanctus agit in homine, perducens eum ad vitam æternam, quę est vltimus finis, huiusque rei infundit cordi quandam fiduciam contrarium timorem tollentem, & quo ad hoc fortitudo est donum. Et differt à fortitudine quę ponitur virtus, nam illa animum perficit ad quæcunque pericula sustinenda, sed dare non sufficit fiduciam euadendi quęcunq; pericula. Propter quod donum fortitudinis ponitur, cuius actus in patria est, perfrui plena securitate à malis atque laboribus. Nam dona spiritussancti non habent eundem actum nunc & in patria: quia in patria habent actum circa vltimi finis perfruitionem, in via verò circa materiam propriam, dirigitur autem donum fortitudinis à dono consilij, quod præcipuè est de melioribus bonis.

2. ¶ Denique Augustinus attribuit quartam beatitudinem, quæ est de fame ac siti iustitiæ, quarto dono, videlicet fortitudinis, propter cōuenientiam mutuam, quia vtrumque est circa difficile arduum. Duo quoque ponūtur inter fructus quæ cā dono fortitudinis correspondent, scilicet patientia, quæ sustinentiam malorum concernit, & longanimitas diuturnā expectationem operum bonorum respiciens.

3. ¶ Præterea, quoniam fortitudo necessaria est ad hoc quod mens deo inhæreat, ideo de fortitudine in noua ac vetere lege præcepta donata sunt. Scribitur enim in Deuteronomio. Non formidetis eos, quia dominus deus vester in medio vestri est. Et Iacobus: Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Et Matthæus: Nolite timere eos qui corpus occidunt. Hæc autem præcepta inter mādata decalogi nō erant ponenda, propter rationem superius positam.

4. ¶ Insuper dantur præcepta de virtutibus secundarijs adiunctis principalibus cardinalibusque virtutibus, inquātum actus earū requiruntur ad necessitatē salutis. Vnde de patientia, & perseuerantia, &c. præcepta traduntur. De magnificentia

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia tamen & magnanimitate nõ dãtur præcepta, quoniam ad excellentiã pertinent perfectionis, vnde de eis dãtur cõsilia.

¶ *An temperantia sit virtus. 2. An sit virtus specialis. 3. De obiecto temperantiæ. 4. De regula eius. 5. Vtrum sit virtus cardinalis. 6. An virtutum potissima.* Articulus 198.

NVnc de vltima virtute cardinali, quæ temperãtia dicitur, disserendum videtur, est enim temperãtia virtus, quia inclinat hominem ad bonũ, facitque actus eius esse secundum rationẽ. Ipsa enim refrenat delectationum carnalium immoderationes.

2. ¶ Denique temperantia vno modo accipitur secundum cõmunitatem significationis sui nominis, scilicet prout designat quandam rationis temperiem seu moderationem, & sic non est virtus specialis, quia hoc commune est omni virtuti vt per ea ratio temperata se habeat. Secundo accipitur temperantia secundum quod appetitus refrenat ab his quæ hominem maxime alliciunt, & sic est specialis virtus, specialem habens materiam. Dicit autem Tullius primo de officijs, quod decor potissime attribuendus est temperantiæ, cuius duplex est ratio. Prima quoniam temperantia in quadam moderata ac conuenienti proportione consistit, & in hoc ratio pulchritudinis sita est, secundum Dionysium. Secunda, quia refrenat ab his quæ homini secundum bestialem partem conueniũt, quibus homo maxime deturpatur, vnde honestas eidẽ attribuitur. Dicitur enim honestas quasi status honoris, vtpote nil turpitudinis habens, quod in temperantia præcipue consideratur quoniam ipsa opprobriosissima vitia aufert.

3. ¶ Præterea, temperantia maximè consistit circa passiones in sensibilia bona tendentes, videlicet circa concupiscentiam & delectationem, ex consequenti verò circa tristitias, quæ ex absentia talium bonorum contingunt, vnde temperantia est circa delectationes appetitus sensitiui concupiscibilis, sicut fortitudo circa passiones irascibilis. Motus autem passionum concupiscibilis, consistit in prosecutione appetitus in sensibilia quæ rationi repugnant. Non secundum propriam speciem: sic enim sunt quædam instrumenta animæ ad spiritualia ordinata. Sed propter immoderantiam, prout appetitus tendit in ea contra rationis mensuram, hanc ergo immoderationem temperantia tollere habet. Verumtamen quoniam passiones irascibilis præsupponunt passiones concupiscibi-

cupiscibilis, fuga quoque mali præsupponit executionem boni, ideo temperantia directe mollificat passiones concupiscibilis tendentes in bonum, sed ex cõsequenti coërcet omnes alias passiones, prout ad moderationẽ priorum sequitur moderantia posteriorum. Nam si quis ordinate concupiscit, consequens est vt ordinate speret, & de absentia rei concupiscibilis ordinate tristetur. Vnde Tullius in sua Rhetorica ait: Temperantia est rationis, in libidinem atque in alios non rectos animi impetus, firma & moderata dominatio. Porro quemadmodum fortitudo est circa timores atque audacias, non quorumcunque, sed maximorum malorum, videlicet periculorum mortis: sic temperantia est circa delectationes, & concupiscentias maximorum delectabilium, qualia sunt delectabilia tactus, & gustus. Nam cum delectatio consequatur operationem connaturalem, tanto delectatio est maior quanto operatio est connaturalior, sed operationes conseruatiuæ speciei, videlicet tactus, operationes quoque conseruatiuæ individui scilicet gustus, sunt maxime connaturales. Ideoque delectatio consequens eas est maxima, & circa illam est temperantia.

¶ Aduertẽdum quoque, quod in brutis non est delectatio in exterioribus sensibilibus, nisi inquantum ordinantur ad sensibilia tactus, sicut leo delectatur videns ceruum vel audiens vocem eius, propter cibum, sed in nomine aliter est: delectatur enim in actibus aliorum sensuum, non solùm per relationẽ ad tactum, sed etiam secundum propriam conuenientiam talium sensibilium ad sensum, sicut homo delectatur in cantu suauis, & hæc delectatio nõ ordinat ad conseruationẽ naturæ, nec circa eam est temperãtia per se. At verò in delectationibus, circa quas est temperantia, duo pensantur, videlicet vsus rerum, vt cibi, vel fœminæ, & aliquid superueniens ipsum vsum magis delectabilem reddens, puta ornatus decorque fœminæ, & sapor ciborum. Temperantia itaque primo ac principaliter est circa delectationes, quæ immediate sequuntur ipsum vsum rerum necessariarum, quarum est vsus in tangendo, circa aliorum verò sensuum delectationem est secundariò, inquantum ad delectationem tactus cooperãtur, & quoniã gustus est tactui magis propinquus, dicitur enim quidam tactus, propterea temperantia magis est circa delectationem gustus quàm aliorum sensuum.

4. ¶ Am-

Universidad de Deusto
Biblioteca

4. ¶Amplius, omnia delectabilia, quæ in hominis vsum deueniunt, & circa quæ temperantia occupatur, ad necessitatem aliquam vitæ præsentis ordinantur, cum ergo media sint secundū exigentiam finis regulanda, palàm est quod temperantiæ regula sumenda sit prout vitæ necessitas exigit, quamuis homo tantū istis tangibilibus vtatur, quantum vitæ necessarium est, nihilominus vltimis finis temperantiæ est vita æterna, quæ est potius finis operantis quàm operis: hæc autem necessitas vitæ, ad quam temperantia ordinatur, non solum attenditur secundum conuenientiam vitæ, sed diuitiarum officiorum & honestatis.

5. ¶Insuper virtus cardinalis vocatur in qua principaliter inuenitur quod in omni virtute est laudabile moderatio autem in omni virtute laudatur atque requiritur, & hæc in temperantia specialiter commendatur, quoniã ipsa est circa delectationes quæ vehementer alliciunt, naturalesque sunt, & diuturniores ipsâ ita consistunt, cum sint ex causâ intrinseca, ira verò ex causâ intrinseca est.

6. ¶Præterea fortitudo & iustitia temperãtiæ eminent, quia sunt circa bonum commune, & quo ad alium: temperantia verò est circa proprias concupiscentias coërcendas. Prudentia quoque est dignior fortitudine atque iustitia, vnde temperantia est virtutum cardinalium infima. Nam & dignitas virtutum magis dependet ex bonitate obiecti, quam ex difficultate ipsius.

¶Vtrum insensibilitas sit peccatum. 4. An intemperantia sit vitium puerile. 3. De comparatione eius ad timiditatem. 4. An intemperantiæ vitium sit maxime opprobriosum. Articulus 199.

OMne præterea, quod naturali ordini est cõtrarium, vitiosum existit. Natura autem delectationem apposuit operationibus vitæ necessarijs, scilicet gustus & tactus. Ideoque illam protsus refugere peccatum est, & hoc ad sensibilitatem pertinet, quæ temperantiæ contrariatur. Veruntamen interdum laudabile est à quibusdam delectationibus abstinere, nõ quasi per se malis atque vitiosis, sed propter finem laudabilem, vtpote propter agendam pœnitentiam, seu contemplationem puriorem, sic tamen vt non tantum caueantur quod homo necessaria vitæ fastidiose fiue omittat, & moderandæ atque vitandæ sunt prout [illegible]

vniuscuiusque requirit.

2. ¶Denique intẽperantia puerile est vitium propter similitudinem, quoniã intemperatus, & puer in aliquid turpeter dunt, eo quod rationis vsu non vtantur. Etenim, secundum Tullium primo de officijs, pulchrum est, quod est consentaneum excellentiæ hominis, in eo in quo natura ipsius à reliquis animãtibus differt. Secundo puer, & intemperatus conueniunt, quoniam quo vterq; magis sibi relinquitur, eo amplius robur accipit propriæ voluntatis. Tertio, nam vterque sanatur per hoc quod coërcetur atque frenatur. Vnde Augustinus sexto musicæ ait. Mente in spiritualia suspensa atq; ibi manẽre fixa, carnalis concupiscentiæ impetus frangitur. Paulatimque repressus extinguitur.

3. ¶Denique timiditas est minus peccatum quàm intemperantia, primo ex parte materiæ, quia est circa ea quæ vitare difficilius est, puta mortis pericula. Secundo ex parte peccantis. Nam timores magni, & graues tristitiæ, quæ in periculo mortis potissimè reperiuntur, vehementissime stupefaciunt animum, & eum propriæ mentis impotem reddunt. Item timiditas est minus voluntaria quàm intemperãtia, cum sit ab exteriori terrente, & quasi cogente. Item contra intemperantiam facilius est adhibere remedium quàm contra timiditatem, quia non est rarum circa mortis pericula exercitari. Et sciendum, quod maximum remedium contra intemperantiã est, non immorari circa particularium considerationem, quia intemperatus est magis inuoluntarius in communi quàm in singulari. Potest quoque timiditas esse peior quàm intemperantia, secundum quod per eam aliquis deficit à defensione boni communis vel fidei.

4. ¶Porro exprobratio opponitur honori, qui debetur excellentiæ, & gloriæ, quæ claritatem importat. Vnde intemperantia est maximè exprobrabilis propter duo. Primo quoniã maximè derogat excellentiæ hominis, cum sit circa delectationes nobis bestijsq; communes. Secũdo quia potissimè derogat claritati seu pulchritudini, eò quod in delectationibus carnis sit minimũ de lumine rationis: vitia ergo carnis, licet nõ sint maximè culpæ, sunt tamen dissamiç maximè propter materiæ turpitudinẽ secundũ Gregoriũ: Nihilominus quod dictũ est de exprobratione intemperantiç, accipi potest per comparationem ad vitia quæ nõ excedunt modum humanę

Universidad de Deusto
Biblioteca

naturæ, sicut blasphemia, odium Dei, & cætera.

¶ De partibus temperantiæ. 2. Vtrum verecundia sit virtus. 3. De quibus sit verecundia. 4. A quibus homo verecundetur.

5. Quorum sit verecundia. Articulus 200.

Assignat præterea Tullius partes temperantiæ, continentiã, clemẽtiam, modestiam. Macrobius autẽ super Somnium Scipionis, atq; Andronicus, alias multas apponit. Itaq; aduertẽdum, quod verecundia per quam homo refugit turpitudinem, & honestatem quam amat tẽperantiæ claritatem, sunt partes integrales temperantiæ, cum sint quædam conditiones ad actum temperantiæ necessariæ, sed partes subiectiuæ seu species temperantiæ sunt abstinentia quãtum ad cibum, & sobrietas quantum ad potum, castitas quoq; quantũ ad delectationem in actu cubitus, & pudicitia quãtum ad delectationes circumstantes in osculis, tactibus, atq; amplexibus. Partes autem potentiales temperantiæ, id est, virtutes ei adiunctæ sunt, continentia per quam non superatur voluntas ab impetu passionis, & humilitas, quæ refrenat motum spei atque audaciæ inde prouenientis. Mansuetudo quoque siue clementia, quæ iram constringit, & austeritas qua homo se ordinat ne in colloquijs amicorum excedat: sunt & aliæ partes quas omitto, quas Tullius sub modestia compræhendit.

2. ¶ Deniq; virtus dupliciter sumitur, videlicet proprie, prout est perfectio quędam, & sic quod perfectioni repugnat quantuis sit bonum non tamen est virtus: verecundia verò imperfectionẽ includit, est enim timor de turpi actu secundum Damascenum: obiectum autem timoris est malum possibile & arduum, id est, difficile ad vitãdum, sed qui habitum virtutis adeptus est, non appræhendit turpe tanquam difficile ad vitãdum, cum sibi in promptu sit virtuose operari. Verecundia igitur proprie loquendo non est virtus, sed passio quædam laudabilis: quandoque tamen virtus vocatur, sed tunc virtus communiter sumitur pro omni illo quod in actibus passionibusque humanis bonum est atque laudabile, quanuis nõ sit perfectum. Motus quoque verecundiæ non est ex electione sicut motus virtutis, sed ex impetu passionis: est enim timor exprobrationis ac turpis rei, & secundum Aristot. ipsa est medium inter inuerecundiam & stuporem, quanuis autem verecundia non sit virtus, tamen ex actibus eius sæpè reiteratis acquiritur virtus, per quam homo ita virtuosus disponitur, quod verecundaretur si verecundiæ causa adesset, aut turpe aliquid sibi contingeret.

3. ¶ Porro turpido est duplex, scilicet vitiosa, quę est in actu peccati: & pœnalis, quæ in vituperatione consistit. Prima autem turpitudo non habet rationem ardui mali, quia in sola voluntate existit, sed secunda habet rationẽ mali ardui, sicut & honor rationem ardui boni. Ideoq; verecundia primo, & principaliter vituperium opprobriumq; concernit, ex consequẽti verò turpitudinem culpæ inquantũ vitio vituperium quoddam debetur. Quod autẽ aliquis verecundetur ex improperijs quæ sibi occasione virtutum inferuntur, ex imperfectione virtutis contingit. Nam exteriora bona, & mala nondum perfecte contempsit, & rursus secundum philosophum quanto homo minus est causa rei turpis, tanto de illa minus verecundatur, vnde virtuosus nequaquã verecundatur propter opprobria sibi iniusse illata, quemadmodũ Isaias docet: Noli timere opprobrium hominum. Respicit quoque verecundia culpam dupliciter, primo vt homo ex verecundia cesset à culpa, quod secundum Gregorium Nissenum ad erubescẽtiam spectat. Secundò vt homo in turpibus, quę operatur, publicos vereatur aspectus, ingloriationem indecens metuens. De operationibus autem virtuosis secundum se consideratis non est verecundia, sed per accidens, inquantum reputantur ab alijs vitiosi, vel inquantum homo in illis timet notã præsumptionis aut simulationis incurrere.

4. ¶ Insuper quoniam verecundia est timor vituperij: ideo ab his amplius verecẽdamur quorum testimonium dignius reputatur, tales verò sunt sapientes, & homines vitæ honestæ, itemq; cõiuncti, & nobiscum diu conuersati, qui etiam facta nostra magis considerant: magis quoq; appetit homo ab his honorati qui eum valent iuuare, & ab his potius verecundatur, qui possunt nocere: sed ab his, qui cito propalant quæ nouerint, vt sunt inimici, præsertim verecũdamur secũdum philosophum secundo Rhetoricæ. Ab his verò qui simili malo subiacent non erubescimus, non enim opinamur quod oculus noster appræhendant tanquam turpe, & malum, quanuis sit tale. Iterum secundum philosophum secundo Rhetoricæ amplius verecundamur coram eis inter quos nihil mali se esse nouimus, quia per hoc bonã opinionem, quam de nobis habebant,

Universidad de Deusto
Biblioteca

bant, amittimus, & etiam quoniam contraria iuxta se posita videntur maiora. Vnde cum homo subito aliquid turpe agit coram eis, qui antè bene de ipso senserunt, apprehendit hoc vt turpius. Rursus, magis verecundamur ab illis à quibus de nouo aliquid postulamus, propter impedimentum impletæ petitionis, & quorum nunc primo amici effici cupimus, propter impedimentum consummandæ dilectionis.

1. ¶ At verò virtuosi & senes verecundi non sunt, quoniam nõ apprehendunt turpe tanquam ad vitandum difficile. Sunt enim dispositi, quod verecunderentur si quid indecés operarentur. Item exacerbati in malis non verecundantur, eò quòd non reputent mala turpia esse, imò gloriãtur in fœditate, & pessimis. Sed in his qui se mediocriter habent, obtinet verecundia locum, inquãtum aliquid de amore boni sortiti sunt, & a malo pœnitus deputati non sunt. Dicit autem philosophus Ethicorum, quod virtuoso vitanda sunt, non solùm mala secundum veritatem, sed & secũdum opinionem. Cui verbo Apostoli cõsonant: Ab omni specie mala abstinete vos. Patet autẽ in virtuoso esse aliquis verecũdiæ motus ratione puniẽs. Patet itaq; quod verecundia, quanuis non sit virtus, tamẽ virtutis dispositio maxima. Vnde Ambrosius de officijs: Verecundia (inquit) iacit prima temperantiæ fundamenta.

¶ De comparatione honestatis ad virtutem. 2. Ad decorem. 3. An vtile & delectabile. 4. An sit pars temperantiæ. 5. An abstinentia sit virtus specialis. Articulus 201.

HOnestum præterea idem designat quod virtus dicitur enim honestas quasi status honoris, & honestum quod honore est dignum, honor autem virtuti debetur sicut & honestati. Dicit autem Tullius. Honestum est quod propter seipsum appetitur. Eorum verò quæ appetuntur propter se, quædam appetũtur solùm propter id vt beatitudo, quædam autem, & propter se, & propter aliud sicut virtutes, vnde virtutibus debetur laus secundum quod ordinantur ad aliud, honor verò secundum quod in seipsis bonæ atque appetibiles sunt.

2. ¶ Amplius, sicut quarto capitulo de diuinis nomi. Dionysius innuit, ratio decori seu pulchri in quadam claritate ac debita proportione cõsistit, quemadmodum corpus pulchrum vocatur, cuius partes debito ordine sibi cõsonant, ac colore claritate ornatæ sunt. Patiformiter decor spiritualis vitæ in

in actione bene proportionata, secundum spiritualem rationis claritatem, hoc verò ad honestatem pertinet, vnde decorum, & honestum coincidunt.

3. ¶ At verò honestum, & vtile ac delectabile sunt idem subiecto interdum, sed ratione semper distincta sunt, nã ipsa operatio virtuosa, cum sit honori secundum rationem connaturalis, est delectabilis, & ipsa virtus est bonum vtile inquantũ ordinatur ad aliud scilicet beatitudinem, sed ratione differũt. Dicitur namq; honestum, quod habet excellentiam honore condignã propter pulchritudinem spiritualem. Delectabile autem quia appetitum quietat. Delectatio enim propter seipsam appetitur, vtile verò quia refertur ad aliud. Sunt quoq; alia delectabilia non honesta, videlicet sensibilia quædã: vnde delectabile habet se in plus quàm honestum vel vtile.

4. ¶ Et quoniam præostensum est, quod temperantię principaliter conuenit pulchritudo seu decor, inquantum turpissimas, & maximè opprobriosas delectationes repellit, propter ea honestas est pars integralis temperantiæ, quãuis ipsa temperantia sit pars subiectiua seu species honestatis communiter sumptæ, prout cum virtute coincidit.

5. ¶ Insuper abstinentia, prout importat subtractionẽ ciborum secundum rationis iudicium regulatam, virtus est, & interdum pro actu virtutis accipitur. Vnde Petrus Apostolus ait: Administrate in scientia abstinentiam, id est, exercete actũ eius non indiscrete, sed ordinate. Est quoq; abstinẽtia species virtus moralis, nã virtutis moralis officium est, cõseruare bonum rationis aduersus impetum passionũ. Vbi ergo repetitur specialis causa ob quam passio à bono rationis abdũcit, ibi est specialis virtus. Delectationes autẽ ciborum natę sunt abstrahere hominem à bono rationis, tum propter earũ magnitudinem, tũ propter necessitatẽ ciborum quos homo maximè cupit, eò quòd ad vitæ sustentationem necessariæ sint.

¶ An ieiunium sit actus virtutis. 2. Cuius virtutis sit actus. 3. An cadat sub præcepto. 4. An aliqui ab hoc præcepto excusentur. Articulus 202.

ACtus insuper ideo virtuosus vocatur, quoniam ad bonum honestum à ratione ordinatur, hoc autem ieunio competit, assumitur namque propter tria præcipue, scilicet ad concupiscentias carnis reprimendas, ad libertiorem mentis cõtemplationem adipiscendam, & ad

 satis-

Universidad de Deusto
Biblioteca

satisfaciendum pro culpis: propter hæc ergo causas, rationabiliter aliquid naturali affectui seu statui cõmuni subtrahitur non autem debet se homo ieiunijs sic attenuare, quod naturæ conseruari non possit, quia teste Hieronymo, Non differt rum magno vel breui tẽpore te interimas. Et de rapina holocaustum deo offert, qui vel nimia ciborum egestate, vel somni penuria corpus immoderate affligit.

2. ¶ Est autem ieiunium actus abstinẽtiæ, & proprie respicit cibum, quanuis metaphoricè dici possit ieiunium in aliis actibus nociuis, præsertim peccatis.

3. ¶ Denique ieiunium in communi cadit sub præcepto naturæ, tenetur enim vnusquisque ex naturali iure tãtum vacare ieiunio, quantum ad prædicta bona est necessarium, hoc ergo ieiunium naturę dicitur. Determinatio autem temporis & modi ieiunandi, secundum congruentiam populi Christiani, cadit sub præceptis iuris positiui à prælatis ecclesiæ institutis. Non tamẽ omnis qui ieiunia ecclesiæ soluit, mortaliter peccat, sed qui sic ea soluit quod finis, propter quem instituta sunt, impeditur, vel ipsa ecclesiæ authoritas contemnitur vel sine rationabili causa præceptum omittit.

¶ At verò statuta communia proponuntur prout multitudini cõuenit, & quod vt in pluribus expedit. Si autem quid in speciali casu occurrat, quod rationabiliter obseruantiæ legis repugnat, non intendit legislator ad obseruãtiam obligare. Sic ergo de præcepto ieiunij respondendũ, quod omnes ad illud tenẽtur, nisi in ipsis speciale fuerit impedimentũ: quod si fuerit per se manifestũ, & euidens, potest homo proprio iudicio præterire ieiunium, præsertim consuetudine interueniente, vel si de facili habere non possit recursum ad superiorem: si autem causa sit dubia, recurrendum est ad superiorem vim dispensandi habentem. Aduertendum autem, quod pueri quamdiu sunt in statu augmenti, quod vsque ad tertij septennij finem durare solet, nõ sunt ad ieiunandum obligati, nisi forte imminente præcipua tribus tribulatione. Decet tamen vt interim se ad ieiunandum exercitent, magis vel minus, secundum ætatis mensuram. Circa peregrinantes quoque, & operarios distinguẽdum videtur. Si enim peregrinatio seu labor differri aut minui possit sine detrimento corporalis salutis exteriorisque status, qui ad conseruationem corporalis vitæ spiritualis vitæ exigitur, non sunt propter hoc ecclesiæ præ-

termittenda ieiunia. Si verò incumbit necessitas statim peregrinandi, magnasque dietas agendi, seu multum laborandi, nec simul possint ieiunia obseruari, non tenentur ieiunare, quia nec hoc fuit de intentione præcipientis legislatoris, vt propter ieiunium piæ, & necessariæ causæ impediantur, recurrendum tamen apparet ad dispensationem prælati, nisi consuetudo excuset. Similiter pauperes, si habent quod ad comestionem vnam sufficit, non excipiuntur à præcepto ieiunij.

¶ De tempore ieiunij. 2. An semel comedere requiratur ad ieiunium. 3. De hora comestionis ieiunantium. 4. De cibis à quibus abstinent. Art. 203.

DEnique secundum ostensa ieiunium ordinatur ad duo, videlicet ad delerionem peccati, & ad eleuationem mentis in Deum. Ideo illis temporibus erant præsertim indicenda ieiunia, quibus potissimè actibus pœnitentiæ, & deuotionis, seu eleuationis in deũ occupari oportet. Hoc autem est ante solemnitatem Paschalem, & in ipsa. In præcipuis quoq; festiuitatibus sanctorum, & quatuor temporibus antequã sacri ordines dantur. Est autem (secundum Augustinum) duplex ieiunium, videlicet afflictionis, quod cadit sub præcepto, nec cõuenit diebus lætitiæ, puta tempori paschali, & dominicis, in quibus qui cõtra consuetudinem ecclesiæ ieiunarent, non essent à peccato immunes. Aliud est ieiunium exultationis, quod pertinet ad spiritualia gaudia mentis in diuina suspensæ.

2. ¶ At verò rationabiliter ordinauit ecclesia in die ieiunij non nisi semel manducandum. Nam per hoc naturæ satisfit, & concupiscentiæ subtrahitur aliquid. Sciendum verò quod ieiunium aliud est naturæ, & hoc per quemlibet potum etiã aquæ dissoluitur, & istud requiritur ad eucharistiæ sumptionem. Aliud est ieiunium ecclesiæ, & hoc non soluitur nisi per ea quę ecclesia interdicere ieiunanti intendit, non autem intendit ecclesia prohibere potum sicut cibum, nam potus magis ad alterationem corporis, digestionemq; escarũ spectat, quàm ad nutritionem, quanuis quodammodo alat, & ergo licitum est ieiunãtibus pluries bibere. Si verò immoderate bibant, peccãt, & mentum ieiunij perdere possiunt: sicut etiam si cibum in vna comestione immoderate accipiant. Consor-

Universidad de Deusto
Biblioteca

miter electoaria nõ soluunt ieiunium, nisi in fraudem in magna quantitate sumantur. Nam quanuis aliqualiter nutrãt, non tamen propter nutrimẽtum, sed ciborum digestionem sumuntur.

3. ¶ Porro quia ieiunium ordinatur ad concupiscentiam refrenandam, ideo decet vt naturæ aliquid subtrahatur, non tamen multum, ne nimis debiliter: est autem sexta hora naturæ cõueniens ad refectionem, quia tunc est completa digestio. Et iterum, quia tunc iterum natura indiget per cibum vtuari contra exteriorem aëris intemperiem, seu caloré, ne humores interius comburantur, vt ergo naturæ moderata fiat subtractio, deputata est hora nona refectioni ieiunantium, maximè quoniam Christus hora nona expirauit, cuius passioni se ieiunans conformat, dum carnem suam affligit.

¶ In veteri autem testamẽto hora vesperarum assignabatur, nam illud testamentum comparatur nocti, nouum verò diei, & ergo nunc in die reficimur hora nona vel circiter.

4. ¶ Adhuc autem quia ieiunium institutũ est quatenus delectationes carnis, quę in tactu, & gustu præsertim cõsistunt, coërceatur. Propterea ecclesia interdixit ieiunantibus cibos qui gustui suauis sapiunt, atq; carnis libidinem magis inflammãt: talia autẽ sunt carnes animalium in terra quiescentium ac respirantiũ, & illa quæ procedunt ex ipsis, vtpote ova ex auibus, & lacticinia ex gressibilibus, huiusmodi enim humano corpori amplius conformantur, & ergo vehementius ipsum nutriunt ac veneteorum materiam præbent.

¶ Aduertendum quoque, quod ad generationem tria concurrunt, videlicet calor, qui ex vino, & alijs calefactiuis multum causatur, spiritus quoque, ad quem cooperantur inflatiua vt legumina, & humor, quem carnes potissimum gignunt, non autẽ inter dicitur ieiunantibus vsus vini vel leguminũ, quoniã alteratio caloris, & multiplicatio spirituum cito pertransit, sed substantia humoris diu manet, & ideo carnes incendũt. In ieiunio autem quadragesimali tanquam solennioꝛ voluerſaliter prohibẽtur ova, & lacticinia, circa quorũ vsum in alijs ieiunijs diuersi diuersimode habent se.

¶ *Vtrum gula sit peccatum. 2. An mortale. 3. An grauissimum. 4. De gulæ speciebus. 5. An sit vitium capitale. 6. De filiabus eius.* Articulus 204.

GVla autem est inordinatus appetitus edendi atque bibendi, & pertinet ad appetitum sensitiuũ. Fames verò, & sitis ad naturalem pertinent appetitum qui respicit vegetatiuam animæ partem, gula autem cõ sistit, non in substantia cibi, sed in quadam inordinata concupiscentia eius. Vnde si homo in quantitate cibi excedat, non propter cibi cõcupiscentiam, sed arbitrans illud sibi necessarium esse, non pertinebit ad gulam, sed ad imperitiam quandã, sed illud solũm gulã concernit, vt homo propter concupiscentiam cibi delectabilis, mensurã edendi scienter excedat.

2. ¶ Est autẽ gula peccatum mortale, quãdo inordinatæ cõcupiscentiæ inhæret homo propter se tanquam fini, sic enim deum contemnit, cui carnalem delectationem præponit, paratus dei præcepta infringere, quatenus delectationes consequi possit. Si autem in vino gulæ pensetur inordinatio cõcupiscentiæ tantum secundũ ea quæ sunt ad finem, scilicet quoniam nimis concupiscitur delectatio cibi, tamen sub deo, sic esset veniale peccatum. Dicit autem Augustinus, quotiẽs aliquis in cibo aut potu plus accipit quàm necesse est, ad minuta peccata nouerit pertinere, hoc de primis motibus gulæ accipi potest, sed de ipsa gula dicit Gregorius. Dominãte gulæ vitio, omne quod homo fortiter egit amittit, & dum venter non restringitur, simul cunctæ virtutes destruuntur.

3. ¶ Denique grauitas culpæ tripliciter consideratur. Primò ex parte obiecti, & sic peccata contra diuinas tes sunt grauissima. Secundo ex parte peccantis, & sic gula quodammodo alleuiatur propter necessitatẽ cibos sumẽdi, difficultatemq; discernendi, & moderandi quid in talibus cõueniat. Tertiò ex parte effectus, & sic quia ex gula varia vitia oriũtur, quandam grauitatẽ sortitur. Non est autem simpliciter maximum vitium, quia secundum Gregoriũ peccata carnalia minorem habent excessum, inter quæ gula locatur, quàm spiritualia.

4. ¶ Porro quandoq; sunt modi seu species gulæ secundum Gregorium, qui ait: Quinque modis nos gulę vitium tentat, quandoque enim indigentiæ tempora præuenit, quandoque lautiores cibos quærit, aliquando quę sumẽda sunt præparari accuratius appetit, quandoq; in quantitate excedit, interdum verò in ipso desiderij æstu, de quibus est versus. Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiosè. Isidorus verò ponit quatuor modos, dicens: Gula excedit in cibo secundum quid, quantum,

tum, quomodo, quando. Nam primum, & secũdum sub vno includit. Corruptio namque diuersarum circumstantiarũ virtutis, facit semper diuersas species peccatorum, dum circumstantiæ ipsæ habent semper diuersa motiua.

5. ¶Insuper gula ponitur capitale peccatum, nam ex ea varia vitia nascuntur secundum rationem causæ finalis, vtpote quæ ad finem eius ordinatur. Est enim gula circa delectationes præcipuas sensitiuas, quę multum afficiunt & delectant.

6. ¶Filiæ autem gulæ ex parte animæ, quadrupliciter accipiuntur. Primo ex parte rationis, quæ per gulam hebetatur, & sic ponitur hebetudo sensus circa intelligẽtiam. Secundo quantum ad appetitum, qui multipliciter deordinatur ex immoderãtia alimenti, & sic ponitur inepta lætitia. Nã omnes animæ passiones ad lætitiam, & tristitiam reducuntur, & ordinantur. Vnde Esd. secundo dicitur. Vinum omnem mẽtem in iucunditatem, & securitatem conuertit. Tertio quantũ ad sermonem, & sic ponitur multiloquium. Quarto quãtum ad actum, & sic ponitur scurrilitas, secundum quod homo exteriores gestus cohibere non potest à ioculatibus motibus, ex parte quoque corporis ponitur immunditia filia gulæ, quæ immunditia potest attendi secundum æmulationẽ quarumcunque superfluitatum, vel specialiter quo ad seminis emissionem. Et sciendum, quod licet vtilis sit vomitus post comestionem superfluam, vitiosum est tamẽ vt se huic necessitati quis subdat per immoderantiam cibi aut potus, veruntamen ex consilio medici vomitus sine culpa procuratur in languoris remedium.

¶De materia sobrietatis. 2. An sobrietas sit virtus specialis. 3. An vsus vini sit licitus. 4. Quibus conueniat sobrietas. Articulus 205.

VIrtutes præterea quæ à generali conditione virtutis nominantur, illud pro materia concernunt, in quo difficillimum est, & optimum talem cõditionem seruare: sobrietas autem à mensura nomen sortitur. Dicitur enim sobrius quasi briam, id est mensuram, tenens. Est autem difficillimum optimumque seruare mẽsuram in potu: Nam potus moderatus multum confert, & modicus eius excessus plurimum lædit, & magis quàm cibi. Vnde Ecclesiasticus dicit: Sanitas animæ, & corporis, sobrius potus. Et ergo materia seu subiectum sobrietatis est potus, non

non quicunque, sed qui sua fumositate cerebrum potest turbare. Quandoq; autem sobrietas communius sumitur, & sic in alijs multis locum habet.

2. ¶Est quoque sobrietas virtus specialis, quoniam speciale impedimentum rationis concernit atque repellit.

3. ¶Amplius, cum nulla creatura sit substãtialiter mala, non est vsus vini secundum se illicitus, sed quandoq; per accidẽs vel propter vomitũ, aut conditionem naturæ nõ potentis vinum sufferre, seu propter alios qui scandalizarentur. Dicit autem Hiero. quod vinum post diluuiũ cum carnibus est dedicatum. Christus autem venit in fine seculorum, & extremitatem retraxit ad principium, vtpote docẽs à vino, & carnibus abstinendum, non vtique per modum præcepti, sed consilij, quoniam perfectionem impediunt, quamuis sine peccato accipi valeant.

4. ¶At verò sobrietas sicut, & aliæ virtutes, cõparari potest ad vitia, & concupiscentias quas refrenat, & quo ad hoc magis necessaria est iuuenibus, in quibus est maior cõcupiscentia propter feruorem ætatis, & mulieribus in quibus est debilitas rationis, & ergo per insobrietatẽ cito falluntur. Vnde secundum Valerium Maximum. Mulieres apud antiquos Romanos vinum non potabant. Secũdo comparatur sobrietas ad finem ad quem perducit, qui est habere animum liberum atque in vsu rationis potentem, & sic moderatio vini atq; sobrietas eis potissime conuenit, qui alios verbo, & opere docere habent, vt senibus, regibus atque episcopis.

¶An ebrietas sit peccatum. 2. An mortale. 3. An sit grauissimum. 4. An à peccato excuset. Articulus 206.

POtto ebrietas vno modo designat defectum seu impotentiam rationis ex immoderato potu causatam, & sic est potius pœna culpæ quàm culpa. Alio modo nominat actũ qui prædictum defectũ inducit, quod dupliciter accidit. Vno modo ex nimia fortitudine potus seu vini præter opinionem bibentis, & ista ebrietas sine peccato est, si non oriatur ex negligentia hominis. & hoc modo Noë inebriatus fuit. Alio modo cõtingit prædictus defectus ex inordinata concupiscentia, & vsu potus, & sic est peccatum, & species gulę, quæ in comessationem ebrietatemq; diuiditur. habet quoq; ebrietas vitium sibi oppositum, quod ideo innominatum est, quoniam insensibilitas, & species eius nõ multum

tum contingunt, si autem aliquis alium inuitet, quem nosse ex vino faciliter inebriari, peccato non caret.

2. ¶ At verò qui potum immoderate sumit, si adeo erat potū esse immoderatum, non tamen inebriate potentem, non peccat mortaliter quanuis inebrietur. Si verò aduertat potum esse immoderatum, & inebriare potentem, & nihilominus ita se immoderatum, & inebriare potentem, & nihilominus ita se inebriari quàm à potu cessare, tunc si inebrietur mortaliter peccat, & talis proprie ebrius appellatur, quia moralis ei culpa. eiem sortiuntur ab eo quod per se est intentum: qđ enim de inebriatur, volens & sciens se priuat vsu rationis vnde mortaliter peccat periculo peccādi se cōmittens, & secundū Augustinum: Assiduitas quoque ebrietatis facit eā esse mortalem.

¶ Rursus cibus & potus moderandus est secundū quod exigit valetudini corporis, vnde si homo superflue potet sine cōsilio medici, quatenus vomitū prouocet quo purgetur, non peccat, nec reputetur potus superfluus, nec tamē ad hoc vt ad ebrietatē bibere indiget, quia aqua tepida vomitū causat.

3. ¶ Præterea propter eandē rationem, qua paulò antè probatum est, quod gula non est maximum vitium, nunc quoque valet ostendi quod ebrietas non est maximum peccatorum. Est tamen maximè cauenda, potissime clericis. Dicitur enim in decreto, distinctio. 37. Ante omnia clericis vitetur ebrietas, &c. Et Chrysostomus asserit, nihil esse ita dæmoni amicum quemadmodum est ebrietas atque lasciuia, cuius causa est, quia vitia ista sunt multum frequentia.

4. ¶ Amplius (vt dictum est) in ebrietate duo perpendi possunt, videlicet defectus rationis cōsequens actum ebriosum, & iste excusat peccatum inquantum diminuit voluntarium, voluntas enim est causa peccati. Sed ex parte actus præcedentis distinguitur, si enim iste actus ex quo ebrietas orta est, fuit peccato fuit, tūc ebrietas omnino à peccato excusat, & hoc forte erat in Loth. Si verò ille actus fuit culpabilis, tunc moraliter excusatur peccatum, quia actus præcedens efficax ipsum voluntariū, inquātum homo dedit operam rei illicitæ, diminuitur tamē sequēs peccatum, sicut & ratio voluntarii. Vnde in libro contra Faustum dicit Augustinus, quod Loth culpandus est, non quantum ille incestus, sed quantum ebrietas meruit.

¶ Refert autem Aristoteles de quodam principe, qui statuit vt ebrij si peccarent, plus punirentur quàm alij, attendens videlicet

delicet magis vtilitatem communem, quatenus iniurię cohiberētur quàm ad veniam, quam oportet habere de ebrijs eo quod nō sunt compotes sui. Itaque ebrietas culpam excusat, non ideo quia ipsa est peccatum, sed vt dictum est.

¶ *Virum castitas sit virtus. 2. An sit virtus generalis. 3. An distincta sit ab abstinentia. 4. Quomodo habeat se ad pudicitiam.* Articulus 107.

CAstitas autem ideo dicitur, quia per eam ratio concupiscētiam castigat, quę (secūdum Philosophum) ad modū pueri indiget refrenari. Vnde patet, quod castitas sit virtus moralis, existit autem subiectiue in anima. Materiam verò habet in corpore. Pertinet namq; ad castitatem vt homo secūdum rationis iudiciū, & electionem voluntatis, vtatur corporalibus membris, nec potest per alterius violentiam tolli, si propritus desit consensus. Dicit autem Augustinus in libro cōtra Iulianum, quod nec castitas, nec aliqua virtus infidelibus inest, quia (secundum ipsum) virtutes nō officijs, id est actibus, sed finibus distinguuntur. Infideles autem non referunt actus suos ad debitum finem, ponitur quoque castitas inter fructus, ad Gal. 5 inquātum videlicet est delectabiliter operans.

2. ¶ Deinde castitatem sumendo quemadmodum nunc sumpta est, sic est specialis virtus, quandoque verò metaphoricè sumitur pro quadam munditia, quæ in spirituali cōiunctione ad res diuinas consistit, sicut & spiritualis fornicatio dicitur, quando mens creata coniungitur alteri rei, in qua inordinate delectatur, contra debitum diuini ordinis in aliquo figitur, & sic castitas est generalis virtus, nam quælibet virtus retrahit mentem ne alicui vitioso inhæreat. Præsertim tamen virtus Theologica, & quoniam concupiscentia puero assimilatur, ideo sicut puer, si suæ voluntati relinquatur, crescit in omnimalitia, sic si cōcupiscentia relaxetur, fortissimè inualescit, & perimit.

3. ¶ Porro castitas, cum sit circa delectationes, & concupiscentias venereorum ab abstinentia differt, quæ est circa delectationes ciborum, ordinatur quoque abstinētia ad actum castitatis.

4. ¶ At verò pudicitia à pudore accipitur, & ergo est circa ea de quibus homo maximè verecūdatur, quæ sunt actus venerei. Nā genitalium membrorum, motus imperio rationis

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

nō subditur vt aliorum, nec solum est verecōdia circa ipsam mixtionem, sed & circa signa ipsius: vnde sicut castitas proprie versatur circa concubitum, sic pudicitia est circa signa eius exteriora, quæ magis deprehenduntur, quemadmodum impudici aspectus, amplexus, oscula, tactus. Itaque pudicitia ad castitatem refertur non sicut virtus ab ipsa distincta, sed sicut quædam eius circunstantiam exprimens, quandoque tamen vnum pro alio sumitur.

¶ In quo consistat virginitas. 2. An sit licita. 3. An sit virtus. 4. An sit matrimonio dignior, aliisque virtutibus. Articulus 202.

VIrginitas insuper à virore nomen accepit, eo quod virgo à concupiscentiæ adustione, quæ maxime est in venereorum concubitu, sit immunis. Vnde dicit Ambrosius: Castitas virginalis, est expers contagionis integritas. In delectatione autem venerea tria pensamus. Vnum ex parte corporis, scilicet violatio virginalis signaculi. Secundum est in quo id quod corporis est coniungitur ei eo quod est animæ, vtpote resolutio seminis, delectationem sensibilem causans. Tertium est ex parte animæ, pura propositum perueniēdi ad delectationem huiusmodi, quorum primum se habet per accidens ad moralem actum, qui secundū se non consideratur nisi secūdum ea quæ animæ sunt. Secundum verò materialiter se habet ad actum moralem, qui est circa passiones sensibiles. Tertium autem se habet completiue atq; formaliter, quia actus morales in ratione consummatur. Itaque membrorum integritas per accidens ad virginitatem se habet, resolutio autem seminis seu immunitas à delectatione materialiter habet secundum propositum perpetuo abstinendi formaliter, virginitas ergo essentialiter est in anima, quanuis in carne seruetur, & accidentaliter consistit eo quod ex proposito continendi cōsequatur integritas carnis quæ si per alium modum corrumpatur, videlicet causa medicinæ aut per violentiam, non magis virginitati præiudicat, quàm si manus incidantur vel pedes. Sciendum quoq; quod delectatio, quæ ex seminis resolutione causatur, dupliciter potest contingere. Primo ex mentis proposito, & sic tollit virginitatem quanuis sine coitu fiat. Secundo sine propositio vel in dormiendo, vel propter violentiam, dum mens delectationi non consentit, vel ex infirmitate naturæ, vt in his qui fluxum seminis patiuntur, & sic virginitatem nō aufert.

Est autem virginitas (secundum Augustinum) continentia qua integritas corporis ipsi creatori animæ, & corporis vouetur, consecratur, seruatur. Et alibi: Virginitas est in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio.

2. ¶ Præterea, omne ordinatum secundum rationē est licitum, exigit autem ordo vt ea quæ ordinantur ad aliud, disponantur vt congruit illi ad quod ordinantur: cum ergo bona corporis referenda sint ad bona animæ, præsertim ad vitam contemplatiuam, cōstat, quod virginitas liceat, quoniam per eam sic caro regitur, quemadmodum ad contēplationis perfectionem requiritur. Præceptum autem quod de generatione confertur, cum dicitur, Crescite & multiplicamini, nō est tale, quale est præceptum pertinens ad conseruationem suppositi: pertinet enim ad speciem conseruandam, ad quod tenetur ipsa multitudo, non autem quælibet pars multitudinis, quia & species conseruari potest absque quod singuli generent, imo spiritualis propagatio non minus necessaria est quam carnalis.

¶ Amplius apud antiquos puniebātur qui perpetuo virginitatem seruabant, & cœlebem vitam ducebant, vt refert Maximus Valerius. Vnde Augustinus in libro de vera religione narrat, quod Plato sacrificauit quatenus eius perpetua continentia tanquam peccati aboleretur: sed hoc ipsum Plato (teste Augustino) fecit, non quod putauerit virginitatem esse culpabilem, quam ipse solus amore contemplandæ veritatis seruauit, sed quasi peruersæ opinioni multitudinis cedens.

3. ¶ Elucescit autem ex his quod virginitas sit virtus, nā concupiscentiam cohibet propter finem laudabilem. Imo sicut se habet liberalitas, quæ est circa communē vsum diuitiarum ad magnificentiam, quæ est circa præcipuos sumptus sic se habet castitas, quæ ab inordinata delectatione venerea cohibet ad virginitatem, quæ omnem venereā voluptatem repellit. Sciendum verò quod virginitas secundū id quod in ea formale est, non est innata, sed cæteris virtutibus cōnexa, & per pœnitentiā recuperabilis, sicut & aliæ virtutes: quod aūt dicit Hieronymus, nō posse deum virginem post ruinam reparare, non est verum, nec quo ad formale virginitatis, quod est propositum animi, nec quo ad integritatem corporis, quæ miraculose recuperari potest, sed quantum ad actum in quo ipse voluptas consistit, non enim fieri potest, vt id quod

fuit

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuit non fuerit loquendo in sensu cõposito atque formaliter. Dicit autem Augustinus, quod virginitas nõ est virtus, qua virginitas, id est, integritas, sed quoniã Deo dicata est firmo proposito.

4. ¶ Deniq; Iouinianus matrimonium virginitati præpolire narrat Hieron. quod penitus falsum est, præsertim exemplo Christi qui virgo permansit, & matrem virginem præelegit, & quia bonum animæ præfertur bono corporis, bonum quoque vitæ contemplatiuę bono vitæ actiuæ, & propagatio spiritualis carnali. Quod autem Aug. matrimonium Abrahæ virginitati Ioãnis adæquat, verum est secundum præparationem animi Abrahæ, qui quantũ in se fuit, paratus erat si deo placuisset, virginitatẽ seruare, & item secundum temporum distributionem. At verò virginitas ponitur summa virtutum nõ simpliciter, sed in certo genere, vtpote castitatis, propter singularem decorem, præferuntur igitur virginitati virtutes theologicæ atque religio, martyrium quoq;, & religionis ingressus: debetur autem virginitati fructus centesimus respectu viduitatis, cui debetur sexagesimus fructus, & castitati coniugalis, cui impenditur fructus tricesimus.

¶ De obiecto luxuriæ. 2. An aliquis concubitus esse possit sine peccato. 3. An luxuria sit vitium mortale. 4. An capitale. 5. De filiabus eius. Articulus 209.

QVemadmodum verò temperantia propriè est circa delectationes tactus, ex consequenti autem circa alias quasdã materias, sic luxuriæ propria materia sunt delectationes venereæ, secũdario autem quædam libidines aliæ. Dicitur enim luxuriosus, quasi in voluptatem solutus.

2. ¶ Potro Augustino testante, quod est cibus ad salutẽ hominis, quia ordinantur ad conseruationem suppositi, hoc est ordinatus cõcubitus ad salutem generis, ordinatur enim ad cõseruationem speciei. Vnde sicut vsus ciborum est sine peccato, si ratione moderetur, sic vsus venereus caret peccato, si debito modo ac ordine fiat, prout conuenit fini generationis humanæ: licet autem concubitus actui rationis atque voluntatis repugnet, quia rationem ita absorbet, quod nihil actualiter considerare valet, non tamen habitui contrariatur, sicut nec somnus. Propter quod ait Augustinus, Satis respondendum est hæreticis, si tamen capiunt, nõ esse peccatum, quod non contra naturam committitur, neque contra morem, neque contra præceptum.

3. ¶ Præterea sicut actus veneris est singulariter necessarius, sic maxime mulier mentiatur moderatione rationis, & per consequens est amplius vitiosum, si ordo rationis deseratur. Cum ergo luxuria motum & ordinem rationis excedat, patet quod sit peccatum.

4. ¶ Cumque finis luxuriæ sit delectatio venerea, quæ maxima est, & ergo præcipue appetibilis, secundum sensum appetitiuũ. Idcirco luxuria est vitium capitale, quia multa peccata propter eam contingunt, & hæc ex ea cauſantur secundum propinquitatem causæ finalis.

5. ¶ Adhuc autem, quemadmodum appetitus concupiscibilis per luxuriam summe afficitur ad suum obiectum, sic maxime impedit actum rationis ac voluntatis. Sunt veto quatuor actus rationis in agendis. Primus est simplex intelligentia, qua aliquid apprehenditur tanquam finis & bonũ, & hunc luxuria impedit: vnde quo ad hoc filia eius ponitur cæcitas mentis. Secundus actus est consilium, & inquantũ luxuria hunc impedit, ponitur præcipitatio filia eius. Tertius actus rationis est iudicium de agendis, quem etiam luxuria impedit, & secundum hoc inconsideratio ponitur filia eius. Quartus actus est præceptum rationis de agendis, quẽ quia luxuria impedit, ponitur incõstantia filia eius. Ex parte quoque voluntatis, consequitur duplex inordinatio hominis ex luxuria, & sic filia luxuriæ ponitur amor sui, inquantum se homo inordinate intendit, & odium dei inquantum concupiscentiam prohibet. Isidorus autem ponit quatuor, quæ consequuntur luxuriam, scilicet turpiloquia, scurrilia, ludicra stultiloquia.

¶ De diuisione partium luxuriæ. 2. Vtrum fornicatio simplex sit peccatum mortale. 3. An sit maximum peccatorum. 4. An in tactibus, osculis, & cõsimilibus peccatum mortale. 5. An pollutio nocturna sit peccatum. 6. De fluxu. Ar. 210.

SPecies autem luxuriæ sunt, peccatum contra naturã, per quam impeditur generatio prolis, & fornicatio simplex, quæ cõtrariatur debitæ educationi promotioniq; geniq; prolis, & hęc est commixtio soluti cũ soluta. Incestus quoque, qui est cum muliere affini vel consanguinea, cui nõ exhibetur debitus honor. Adulterium, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

est cū muliere quę est in potestate viri. Et stuprū, quod est cū muliere existente sub potestate patris, dummodo nō inferatur violētia. Si enim infertur, sic ponitur raptus. Sex ergo sunt species ipsius luxuriæ, quæ oēs in quodā inordinato vītu mulieris cōsistunt, cōcubit⁹ verò qui est cū fœmina religionē castitatem professa sacrilegium & spirituale adulterium dicitur & ad speciē adulterij reducitur, quia fœmina talis quodam cum deo matrimonium fecit.

2. ¶ Deniq; omne peccatum quod directè contra viam hominis committitur, est mortale, tale vero est fornicatio simplex, repugnat enim bono prolis gignendæ, quod in debita informatione & educatione ac promotiōe cōsistit, ad quod requiritur longa cohabitatio maris & fœminæ, & nō vaga concubitus, sed determinatus, vtpote certæ personæ ad certam. Vnde in animalibus, quorum educatio dependet ex patre & matre non est concubitus vagus, sicut in aubus cernitur, sed secus est in his quorum fœtus ex sola matre fouetur, vt in canibus patet: His quoque nō obstat si aliquis fornicator proli prouideat, aut mulieri cohabiter. Nam quod sub lege cadit, iudicatur & determinatur secūdum id quod in pluribus accidit, non autem secundum id quod in certo casu contingere potest. Ideoque fornicatio simplex sine omni dubitatione est mortale peccatum.

3. ¶ Insuper grauitas culpæ dupliciter potest attendi, videlicet per se, & per accidēs, per se illud peccatum est grauius quod ex ratione sui actus maius bonum aufert, vnde fornicatio grauior est peccatis per quæ exteriora bona tolluntur, vt pote furto, rapina, &c. sed minus peccatū est quàm peccata quæ sunt directe contra Deum, vel vitā hominis iam existentis, vt blasphemia, homicidiū, est nāq; fornicatio cōtra bonum prolis gignendæ, quod est bonum humanum venturum.

4. ¶ Agnoscendum quoq;, quod aliquid dicitur peccatum mortale ex sua specie, & sic amplexus, oscula, tactus, non habent rationem culpæ mortalis, possunt enim absque libidine fieri, vel propter consuetudinem patriæ, aut rationabilē causam. Secundo dicitur aliquod peccatum esse mortale ex sua causa, vt si quis det eleemosynam quatenus aliū inducat ad hæresim, propter intentionem corruptam mortaliter peccat. Cùm ergo non tantum cōsensus in actum fornicationis, sed etiam in ipsam delectationem, sit peccatum mortale, hinc ractus

ctus & oscula sunt culpę mortales, quādo propter delectatio nē huiusmodi fiunt, sic enim & nō aliter libidinosa vocātur.

5. ¶ Amplius autem pollutio nocturna dupliciter considerat. Vno modo secundum se, & sic non est peccatum cum careat rationis iudicio. Nam omnis dormiens intendit imaginibus rerum tanquam ipsis rebus, & ita decipitur. Imo primi motus sensualitatis nō sunt culpabiles, nisi inquantū per rationem reprimi valent. Alio modo consideratur pollutio nocturna per comparationem ad suam causam, quæ triplex est, scilicet corporalis, consistens in superfluitate humorum, ex qua causantur in dormiente fantasmata ad talium humorum expulsionem spectantia. Si ergo hæc causa sit ex vitio præcedenti, puta immoderantia cibi, tunc pollutio est culpabilis propter causam suam, aliter non erit culpabilis. Secūda causa pollutionis nocturnæ est causa animalis interior, vt cū ex præcedenti cogitatione dormiens fantasiando pollutur, præcedens autem cogitatio interdū est pure speculatiua, vt cum quis de actibus carnis gratia disputationis cogitat: & tūc non efficit pollutionem culpabilem, sed si sit cum affectione quadam concupiscentiæ vel erroris, facit pollutionem culpabilem. Tertia causa est spiritualis atque exterinseca, scilicet à dæmone operante. Et hæc quandoq; reddit pollutionem culpabilem, inquantum vigilans seipsum nō præparauit contra illusiones diaboli: quādoq; autem est ex sola maliguitate diaboli sine omni peccato hominis, quemadmodū in Vitaspatrum de quodam habetur, qui semper pollutionem sustinuit die festo quo communicare debebat. Quāuis verò ratio dormientis non semper æqualiter offuscetur, tamen semper à libero iudicio impeditur, vnde nec pro tunc peccare potest. Veruntamen aliquid appræhēdere & discere potest in somno, vel deo reuelante, vel ex cogitatione præcedente. Nā apprehensi rationis non ita impeditur in somno sicut iudicium eius, quod fit per conuersionem ad sensibilia.

6. ¶ Deniq; stuprum ponitur determinata luxuriæ species, nam in virgine sub parentum potestate existēte, est specialis deformitas si corrumpatur nulla pactione matrimoniali præueniente. Tum ex parte puellæ, quæ à matrimonio cōtrahē do impeditur, & ad meretricium præparatur. Tum ex parte parentum, qui eius curam habent. Quandoque autem accipitur stuprum communiter pro omni peccato luxuriæ, sicut

Numeri.5. vnde qui virginem seducit & corrumpit, tenetur eam habere vxorem,quia humiliauerit eã,& patri eius satisfacere:Dicitur enim in Exod. Si seduxerit quis virginem nõdum desponsatam,dormieritq; cum ea,dotabit eam,& habebit eam vxorem. Si autem pater dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis quam virgines accipere consueuerunt.Et in Deuteronomio adiungitur: Dabit patri puellę quinquaginta siclos argenti.

¶*De raptu.2. De adulterio.3. De incestu.4. De sacrilegio.5. De vitio contra naturam.6. De ordine grauitatis prædictorum.*

Articulus.219.

RAptus autem violentiam quendam includit,& quãdoque in idem concurrit cũ stupro, vt si quis virginem opprimat,quãdoque inuenitur sine stupro, vt si viduam aut corruptã rapiat.stuprum quoq; sine raptu esse potest,vt si quis virginem consentiente inuolante deflorat. Puellæ autem non desponsatæ & raptæ primo retinendæ sunt patriæ potestati,tenetur enim vnusquisque res iniuste ablatas rependere: Impedit autem raptus matrimonium contrahendum,sed non dirimit iam contractum.

2. ¶Denique adulterium est accessus ad thorum alienum, quando alienus cum aliena concumbit,quod est contra certitudinem prolis, & contra bonum propriæ prolis,& quãdo ratio adulterij maneat si coniugatus ad non cõiugatam accedat,propriè tamen sumuntur luxuriæ species secundum diuersas mulierum conditiones. Nam mulier se habet per modum patientis siue materiæ, actus autem moralex distinguuntur secõdum diuersas materias siue obiecta. Adulterã quoque fidem matrimonij violat.

3. ¶ Porro incestus triplici ratione illicitus redditur. Primo quoniam parentibus atque cognatis honorificentia quædã debetur,cui repugnat turpitudo actus venerei, vnde Maximus Valerius narrat, quod apud antiquos fas non erat patrem cum filia balneari, ne se nudos conspicerent. Secõdo quia personas consanguinitate coniunctas necesse est simul morari, & ergo si carnaliter copulari possent, daretur materia occasio commixtionis venereæ. Tertio quia si propinquæ miscerentur,minueretur multiplicatio amicorum,quę fit per copulam extraneatum personarum. Aristoteles autem.2. Politicorum addit aliam causam. Nam homo naturaliter amat propinquam,si igitur eam vxorem haberet,nimis eam amaret,quod castitati derogaret. Refert quoque philosogh.8. de animalibus,quod quidã equus seipsum præcipitauit,eõ quod matri suę deceptus se miscuit. Aliquibus namque brutis inest naturalis reuerentia ad parentes.

4. ¶Insuper sacrilegium ponitur luxuriæ species, inquantum aliquid Deo deputatũ ad libidinem ordinatur, vt si quis sanctimonialem cognoscat, aut personam spirituali cognatione coniunctam.

5. ¶Vitium quoque contra naturam est, quod naturali ordini venerei actus repugnat Est ergo luxuriæ species,& multis modis contingit. Vno modo si procuretur pollutio ex solo appetitu delectationis,sine omni causa concubitus,quod quidam immunditiã vel molitiem nominãt. Item si cum re alterius speciei coëatur,quod bestialitas dicitur.1.Tertio fit per concubitum ad sexum indebitum, vt masculi cum masculo, seu fœminę cum fœmina,quod vitium sodomiticum appellatur.Quarto si non seruetur naturalis modus concumbendi, vel quantum ad instrumentum indebitũ, seu secundũ alios monstruosos ac bestiales coitus modos.

6. ¶Inter prædicta autem luxuriæ vitia, vitium contra naturã est grauissimũ,quia per ipsum corrumpitur ipsum principiũ humanæ propaginis. Denique incestus,quia est cõtra naturalem propinquorũ reuerentiã. Deinde adulteriũ est grauius stupro,& vtrunque aggrauatur per violentiam:propter quod raptꝰ virginis est grauior stupro,raptus quoque vxoris est grauior adulterio.Omnia verò ista per sacrilegium aggrauantur. Fornicatio autem simplex inter prædicta est minima culpa,est tamen mortalis.

¶*Virtus continentia sit virtus.2. De obiecto & subiecto ipsius.3. De comparatione eius ad temperantiam. Articu.2.12.*

COntinentia deniq; vno modo dicitur secundũ quod homo ab omni delectatione venerea abstinet: quod primo conuenit virgini,secundario viduæ, & sic cõtinentia est virtus sicut virginitas. Secũdo accipitur pro qualitate,per quã homo cõcupiscentijs vehemẽtibus resistit,firmans se cõtra eas,nõ tamẽ perfecte eas rationi subijcere valens,& sic sumitur in collationibus patrũ,& ab Arist. qui condmidit continentiam virtuti.Sic enim accepta, non est virtus,sed aliquid virtutis participat. Ad perfectã enim ra

 tionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionē virtutis moralis exigitur, vt per eam sensitiuus appetitus rationi subdatur. Si autē virtus large sumatur pro omni principio laudabilium operum, sic continentia virtus est.

2 ¶ Deniq; materia seu obiectum continentiæ est aliquid, quod maxime appetitum impellit ad aliquid prosequendū, hoc autem est concupiscentia circa venerea, quæ ad tactum pertinet, dicitur tamen aliquis incontinens iræ, vel cuiuscunq; honoris, quia aliqualiter continentia respicit talia.

3 ¶ Subiectum autem continentiæ, esse non potest vis concupiscibilis nec ratio. Omnis enim virtus inhærens potentiæ facit eam aliter se habere circa ipsa ineſt, quàm cum oppositū vitium ineſt. Sed cōcupiscibilis eodem modo se habet in continente & incontinente, quia in vtroque prorumpit in concupiscentias vehementes & pravas. Ratio quoque in ambobus est recta, & vtriq; extra passionē existens proponit eōdem cupiscentiam non sequi. Primo autem ipsorum differētia in electione inuenitur, nam continens eligit cōcupiscentias nō sequi quibus pulsatur. Incontinens verò eligit assequi ipsas. Ideoque illa potentia ad quam electio pertinet, est continentiæ subiectum, hæc autem est voluntas.

4. ¶ Præterea, continentiam accipiendo secundum primum modum sic dignior est temperantia simpliciter dicta, quàm modum virginitas castitate, sed secūdo modo eam sumendo, sic tēperātia dignior est, quia passiones quas respicit, tanquam perfecte subditas facit, in eo autem qui continens est, passiones vehementer rationi rebellant.

¶ *An incontinentia pertineat ad corpus vel animam. 2. An sit virtus. 3. Quomodo se habet ad intemperantiam. 4. Quis turpior sit, incontinens iræ vel incontinens concupiscentiæ. Articulus. 213.*

POtro causa incontinentiæ, propriè & per se est ex parte animæ, quæ per rationem non resistit passioni impulsui, dispositio tamen corporis est causa incontinentiæ occasionalis, inquantum secundum variam eius qualitatem, passiones magis aut minus insurgunt, quibus autem homo passioni non resistit duobus modis continetur. Primo sic quod ratio non consiliatur, sed statim ipsi passioni acquiescit, & hæc (secundum philo.) dicitur incontinentia irrefrenata. Secūdo sic, quod homo nō permanet in rationali iudicio propter passionis instātiam atque impulsum, qui contingit ex velocitate motus, vt in cholericis, vel ex vehemē-

tia, vt in Melancholicis qui propter complexionem terrestrē vehementissime inflammantur.

2. ¶ Denique sumendo incontinentiam prout est circa concupiscentias tactus, quæ in se turpes sunt, vel prout est circa bona quæ in se mala non sunt, sed inordinate optātur, vt diuitiæ & honores, sic incontinentia est peccatum: quandoque autem incontinentia dicitur excessiuus affectus alicuius quod per se bonum existit, quemadmodum sunt virtutes. Vn de Diony. 4. cap. de. diui. no. ait: quod Paulus propter diuini amoris incontinentiam dixit. Viuo autem iam non ego, & sic non est peccatum, sed virtutum perfectio.

3. ¶ At verò omne peccatum in voluntate præsertim consistit, nam voluntas (secundum Augustī.) est qua peccatur, & recte viuitur. Intemperatus autem peccat ex electione voluntatis, videlicet ex propria inclinatione vitiosi habitus, nec post peccatum tristatur sed gaudet, quemadmodum impij lætantur cum malefecerint. Incontinens verò ex passionis impetu ad peccandum inducitur, qua cessante, pœnitet atque tristatur. Ideoque intemperatus grauius peccat quàm incontinens.

4. ¶ Sciendum autem quod ignorantia intellectus interdum præcedit inclinationem appetitus & facit eam, & sic quanto ipsa est maior tanto peccatum est minus. Diminuit enim rationem voluntarij actus. Quandoque autem ignorantia intellectus sequitur inclinationem appetitus, & quo illa est maior, tanto culpa est maior, ostenditur enim inclinatio appetitus esse intensior. Aduertendum quoque quod incontinens concupiscentiæ est turpior quàm incontinens iræ ex parte passionis, quia in turpiores passiones præcipitatur. Sed incontinente iræ peior est incontinēte concupiscentiæ ratione affectus, saltem frequenter. Frequenter enim ira præcipitat hominem in mala peiora, ad proximi nocumentum pertinentia, quàm incontinentia.

¶ *An mansuetudo & clementia differant. 2. An sint virtutes. 3. An temperantia partes. 4. De comparatione earum ad alias virtutes. Articulus 214.*

MAnsuetudo autē est virtus moderans iram, clemētia verò est virtus moderatiua exterioris punitionis. patet ergo quod specie distinguentur, quamuis in eodem effectu concurrant: dicit autē Se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

neca, quod mansuetudo est lenitas superioris circa inferiorē, in constituendis pœnis. Crudeles autē dicūtur, qui pœnis communē modū nō habent. Sęui verò, seu feri, qui in pœnis hominū propter seipsas delectantur, hi nāque humanū affectum non habent, cum naturaliter homo diligat hominem, & omne animal sibi conforme.

2. ¶ Deuque virtus moralis ad hoc tendit, quod appetitus rationi subdatur, cum ergo mansuetudo iras moderetur, & clementia exteriorem punitionem diminuat secundum rationis censuram, patet quod vtraque sit virtus, propter quod Seneca. 2. de Clementia dicit. Clementiam & mansuetudinem omnes boni viri præstabunt.

3. ¶ Hæ autem duæ virtutes, sunt partes potētiales temperantiæ, nam modum eius aliqualiter imitantur, constituunt enim in quadā refrenatione iræ seu pœnę, sicut & tēperantia in refrenatione libidinum, pertinet quippe ad clementiam quod homo potestate sua nō vtatur in vlciscendo: Vnde Seneca asserit. Clementia est temperātia animi in potestate vlciscendi, quod ex quadam dulcedine animi accidit, inquantum affectus omne illud adhortet quod quēquam cōpellare valet, & ergo clementia, secundum Senecam, est lenitas animi. Nam econtrario austeritas animi in hoc consistit, quod quis alium contristare non veretur.

4. ¶ Quamuis autem clemētia & mansuetudo non sint simpliciter virtutes dignissimæ, habent tamen excellentiā, quia mansuetudo per hoc quod iram retundit hominem maxime sui compotem facit, clementia verò in eo quod pœnā diminuit, ad charitatem multum accedit.

¶ An irasci sit licitum. 2. An ira sit peccatū. 3. An peccatū mortale. 4. An sit graui simum. 5. De speciebus eius. 6. An sit vitiū capitale. 7. De filiabus ipsius. 8. De opposito vitio. Articulus. 215.

DVpliciter verò inuenitur malum in passionib⁹ animæ. Primo ex ipsa specie passionis ratione obiecti, sicut inuidia ex se nominat vitium, hoc autem quæ vindictæ appetitū designat, nō cōpetit. Appetitus enim vindictæ, bene & male effici potest. Secundo ratione superabundātiæ, vel defectus, & sic inueniri potest malum in ira, inquantum aliquis immoderate & præter rationem irascitur: si verò secundum rationē homo irascatur, sic ira est laudabilis. Hiero. autē & alij quidā, qui dicunt iram semper esse malam, loquuntur secundū modum Stoicorum, qui oēs passiones dicebāt esse inordinatos mot⁹ sensitiui appetitus. Peripatetici autem, quotū sententiam Aug. amplius approbat. 9. de ciuitate dei, dixerūt, quod ira & aliæ passiones, sunt motus sensitiui appetitus, siue sint secundum rationem moderatę, siue non. Potest autem ira se ad rationem habere dupliciter, scilicet antecedenter, & sic impedit eam, & cōsequēter, prout appetitus sensitiuus mouetur contra vitia secundū rationis dictamen, & hæc est ira per zelum quæ bona est, de qua ait Gregorius. Tunc robustius ratio contra peccata erigitur, cum ira subita rationi famulatur. Et iterum Curandū (inquit) summopere est ne ira, quæ vt instrumentū virtutis assumit, rationi dominetur, ne quasi domina præeat, sed velut ancilla ad obsequiū parata, à rationis tergo nūquam recedat, hæc tamen ira rationis actum aliqualiter turbat, sicut & prima excæcat.

2. ¶ Præterea, ordo rationis circa iram pensatur dupliciter, Primo quantum ad id in quod ira tendit, quod est vindicta, quæ si appetatur propter correctionē culpæ & conseruationem iustitiæ, erit ira bona per zelū: si autem vindicta quęratur qualitercunq; & in malū alicuius, erit ira dicta per vitium. Secūdo quantū ad modum irascendi, ne scilicet ita immoderate se tueatur nec intus nec foris, si enim nimis ardescit, fit ira culpabilis, quamuis in bonum finem tendat.

¶ Ira autem secundum se & absolute accepta, non nominat vitiū sed passionem, quæ in se nec laudabilis est nec vituperabilis, sed si ratione refrenatur est laudabilis, potest namque appetitus sensitiuus à ratione sic dirigi, vt vindictam desideret propter bonum finem prædictum.

3. ¶ Insuper ira, quæ est inordinata ex parte vindictæ optatæ, est ex suo genere peccatum mortale, quoniam iustitiæ & charitati repugnat: potest tamen veniale esse peccatum propter imperfectionem actus, ex parte appetibilis, sicut dū aliquis in modico vlcisci se cupit, velut si quis puerum parum crinibus trahat. Ira autem, quæ est inordinata quantum ad modum irascendi, vel intus seu in exterioribus signis non est mortalis ex suo genere, nisi quis ex nimia vehementia à dilectione Dei & proximi excidat.

4. ¶ Est autē ira ex parte eius quod appetit, minus peccatum

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàm odiũ atq; inuidia. Inuidus enim appetit malũ alterius propter appetitũ propriæ gloriæ, odium verò appetit malum inquantum huiusmodi. Sed ira appetit malum pœnæ sub specie iustæ vindictæ. Est etiam minus peccatum quàm motus cõcupiscentiæ, qui tendit in bonum delectabile, habet autem ira ex parte modi irascentis quandam grauitatem, propter vehementem sui motus velocitatem. Vnde Chrysostõ. dicit. Nihil est turpius visu feruentis, & nihil deformius vultu seuero, & ira est quidam dæmon, imo dæmonum habens difficilior. Et in libro Prouerbiorum: Ira non habet misericordiam, nec furor erumpens.

5. ¶ Iracundorum autem quidam (secundum Philosophum) dicuntur acuti, videlicet qui cito & qualiber occasione irascuntur, alij graues, alij difficiles, in quibus memoria illatæ iniuriæ nimis perseuerat, & ex hoc sibimet ipsis graues fiunt, nec quiescunt donec retribuant, propter quod difficiles appellantur. Amari autem manent in ira, propter internam tristitiam quam concipiunt ex illata iniuria, tempore verò procedente cum tristitia perit, ira quiescit, sed difficiles manent in ira propter magnum vindicandi affectum, & igitur ante vindictam non mitescunt.

6. ¶ Porro ira est vitium capitale, habet enim finẽ multum appetibilem, puta vindictam, quæ propter speciem iustitiæ multum optatur: & etiam ipsa motio iræ, cum sit vehemens, præcipitat hominem ad multa agenda.

7. ¶ Propter quod ex ira, varia vitia tanquam filiæ eius nascuntur, quæ sunt indignatio, vt cum iratus reputat aliquem indignum vt sibi aliquid tale agat, & tumor mentis, inquantum irascens multos vindictæ modos & vias excogitat elatmor quoque qui consistit in inordinato irascentis sermone, & contumelia, quæ est iniusto iniuriosorum verborum quo ad proximum, & blasphemia quantum ad deum, & ira, per quam intelligitur omne factum & nocumentum reale, quod iratus alicui infert. Has ergo sex filias iræ ponit Gregorius. Accipitur quoq; hic tumor mentis non pro superbia, sed pro conatu atque audacia eius qui vindictam attentat.

8. ¶ At verò ira quandoque accipitur pro solo motu voluntaris pœnam infligentis, non ex passione sed ratione, & sic defectus iræ est vitium. Secundo accipitur pro motu appetitus sensitiui, qui cum corporali trausmutatione contingit, & sic

hic motus simplicem motum voluntatis de necessitate cõsequitur, quoniam appetitus inferior superiorẽ naturaliter sequitur, nisi aliquid impediat, non ergo potest motus iræ totaliter in appetitu sensitiuo deficere, nisi per subtractionem vel debilitatem voluntarij motus, Itaque sicut defectus voluntarij motus ad puniendum secundum rationem, est vitiosus, sic consequenter defectus passionis iræ vitiosus existit.

¶ Passio enim iræ, sicut & alij motus appetitꝰ sensitiui, vtiles sunt rationi ad hoc quod prõptius exequatur quod bonũ est, alioquin frustra esset in homine appetitus inferior.

¶ Quod crudelitas opponitur clementiæ. 2. Quo modo se habeat ad feritatem seu sæuitiã. 3. Quod modestia est pars temperantiæ. 4. De obiecto modestiæ. Artic. 216

Clementia autem (iuxta prædicta) est quædam lenitas animi pœnam diminuentis, cui contrariatur crudelitas, quæ amaritudinem quandam importat in animo punientis.

1. ¶ Differt autem crudelitas à feritate seu sæuitia, quæ nomen sortitur à proprietate ferarum, sicut enim feræ homines occidunt & lædunt, non ex consideratione iustitiæ, sed vt pascantur: sic homines sæui vocantur qui alios torquent non ex intuitu culpæ, sed quoniam in ipso hominum cruciatu delectantur, & quia hoc in humanum ac bestiale consistit: ideo feritas sub vitio bestialitatis continetur, prouenit enim ex magna corruptione naturæ, vel pessima consuetudine. Crudelitas verò respicit pœnam in eo quẽ torquet, sed modum excedit, vnde sub humana malitia collocatur.

3. ¶ Denique quandocunq; est aliqua virtus circa maximũ aliquod, necesse est aliam fore virtutem circa ea quæ mediocriter se habent, nam totam vitam humanã oportet regulari virtutibus. Sicut ergo præter magnificentiã, quæ est circa maximos sumptꝰ, ponitur liberalitas mediocres sumptus cõcernens & ordinans: sic præter temperantiam, quæ est circa maximas delectationes vtpote tactus, modestia ponitur, quę temperantiæ tanquam principaliori virtuti annectitur.

4. ¶ Materiam quoque seu obiectum modestiæ diuersimode quidam assignant, sed Tullius ponit modestiam esse circa appetitum excellentiæ, quem moderatur humilitas, & circa appetitum quoque eorum quæ ad scientiam pertinent, quem ordinat studiositas curiositati opposita, circa exteriorẽ quoq;

motum

Universidad de Deusto
Biblioteca

morum & actum quatenus decenter fiat, & circa apparatum qui in vestibus atque similibus constat. Apostolus verò dum ait: Modestia vestra nota sit omnibus, accipit eam prout est circa exteriora, vel etiam circa interiora, quæ non agnoscuntur nisi per exteriora iudicia.

¶ Virtum humilitas sit virtus. 2. De subiecto eius. 3 An humilitas debeat se omnibus subijcere. 4. An sit pars modestiæ. 5. quomodo se habeat ad alias virtutes. 6. De gradibus humilitatis. Articulus 217.

BOnum autem arduum, inquantum est bonum, attrahit, & causat spem: inquantum verò est arduum, retrahit, causans desperationem. Ideoque circa appetitum boni ardui necessaria est duplex virtus. Vna quæ refrenet ac temperet animum ne immoderate tendat in magna, & hoc ad humilitatem pertinet. Alia quoque quæ animum contra desperationem corroboret, atque impellat ad prosecutionem magnorum, & hoc magnanimitas efficit. Sic ergo humilitas est virtus.

2. ¶ Cuius subiectum est appetitus, nam ad humilitatē pertinet seipsum reprimere & declinare, ne in altiora inordinate feratur. Sed quoniam hoc fieri nequit, nisi quis propriam imperfectionem cognoscat, & improportionem suam ad id, quod suam virtutem excedit: ideo cognitio ad humilitatem requiritur, tanquam regula dirigens appetitum, cuius motum humilitas moderatur. Deo autem secundum naturam diuinam non competit humilitas. Debet autem humilis se ad sublimiora extendere innitendo diuino auxilio. Quoniam secundū Augu. aliud est leuare se ante deum, & aliud est leuare se contra deū. Qui enim ante illū se proijcit ab ipso exigitur, qui verò aduersus illum se erigit, ab eo proijcitur.

3. ¶ Denique in quolibet homine duo pensantur, videlicet quod est hominis, quod scilicet ad defectū pertinet, & quod est dei, pura ad salutem & gratiā spectans. Debet ergo vnusquisq; seipsum secundum id quod suum est, subijcere cuilibet homini secundum id quod est dei in ipso. Vnde ait Apost. In humilitate superiores inuicem arbitrantes. Non autē requiritur humilitas vt quis se alteri subijciat, secundum dona quæ in alio deo sortitum cognoscit, propter dona quæ apparent in alio. Item nō requirit humilitas vt homo secundū id quod secundum se est, subijciat proximo secundum id quod ille ex se

est, sic enim oporteret quod quilibet reputaret se magis peccatorem quā quemlibet alium, sed potest aliquis æstimare aliquid bonū esse in primo q̄ ipse nō habet, atq; aliquid malī esse in se quo alij carent, sicq; per humilitatē se illi subijcere.

4. ¶ Porro humilitas ponitur pars potentialis temperātiæ. Nam in quadam refrenatione spei consistit, sicut & temperantia in refrenatione libidinis, continetur autem humilitas sub modestia, sicut prætactum est. Vnde Origines super Lucam dicit. Si nomē huius audire virtutis vis, quomodo etiam à Philol. appelletur, auscultа eandem esse humilitatē, quam respicit deus, ab illis mercō, id est mensuratio seu moderatio dicitur, quem enim Aristt. temperatū appellat, nos humilem dicere possumus.

5. ¶ Est autem humilitas in irascibili, sicut superbia sibi opposita, quia respiciunt arduum.

6. ¶ Amplius, virtutes theologicæ & etiam intellectuales, iustitia quoque legalis, humilitatē in dignitate excedunt, cæteris verò ipsa est potentior, humilitas verò prima virtutum & fundamentum vocatur earum, non quod sit simpliciter prima, sed dicitur prima quasi remouens prohibens. Nam superbiam omnis peccati originem, cui etiam resistit, expellit & hominem deo subditum efficit. Fides autem directè est prima virtutum, quoniam per ipsam primo ad deum accedituir, & quoniam humilitas omnium bonorum impedimē tum tollit, ideo Christus eam singulariter docuit.

¶ Præterea in regulā beati Benedicti ponuntur duodecim gradus humilitatis, de quibus in variis libellis tractatum inuenitur.

¶ An superbia sit peccatum. 1. An speciale sit vitium. 3. De subiecto eius. 4. De speciebus superbiæ. 5. An sit peccatū mortale. 6. An sit maximum. 7. De comparatione superbiæ. 3. alia vitia 8. An sit vitium capitale. Artic. 218.

SVperbia denique ideo peccatū est, quia regulā rationis transgreditur tēdendo in ea quæ sunt super se, & suæ mensuræ improportionata consistūt. Est enim superbia (secundum Augustinum) peruersæ celsitudinis appetitus. Et peruerse imitatur deum, quoniā odit æqualitatem eū sicijs sub deo: sed imponere vult eis dominationē pro illo.

2. ¶ At verò superbia secundum propriam rationē accepta, est speciale peccatū habens materiam propriam, quæ est excellentia

cellentia propria: sed dicitur commune peccatum, per redundantiam, quia mater est omniū vitiorum, & quia legem dei facit contemni. Non tamen omnis qui deum offendit ex dei contemptu hoc agit: sed interdum ex negligentia vel infirmitate. Sciendum tamen, quod aliquis facit aliquod peccatum secundum effectum, quod non facit secundū affectum quemadmodum patrem ignoranter occidens: conformiter omnis qui contra dei præcepta operatur, deum contemnit secundum effectum, sed non secundum affectum.

3. ¶ Porro quia obiectum superbiæ est arduum, vtpote excellentia, ideo subiectum eius est irascibilis. Sed aduertendum quod vis irascibilis quandoque propriæ sumitur, sicut & ita & tunc est solum in parte sensitiua: quandoque verò cōmuniter sumitur, vt conueniat appetitui intellectiuo, qui est voluntas, & sic nō diuersificatur à concupiscibili. Quoniā ergo arduum illud, circa quod occupatur superbia, non solum reperitur in sensibilibus bonis, sed vt sæpius in spiritualibus, in quibus est excellentia maior, ideo obiectū superbiæ est irascibilis non tantum proprie sumpta, sed large accepta, nā damonibus inest superbia, hoc tamen non vidi in Thoma apertè & idem videtur de humilitate dicendum, quoniam angelis inest humilitas, & sicut irascibilis conuenit spiritualibus rebus, imo & deo, sic & ita, non prout passionem importat. Superbia autem quamuis informem cognitionem non auferat, affectualem tamen directe notitiam impedit. Vnde Gregorius dicit: Superbi secreta quædam intelligendo percipiūt quorū dulcedinē experiri non possunt. Nā quoniam in propria excellentia gaudent, veritatis excellentiam prorsus fastidiunt.

4. ¶ Insuper species superbiæ quatuor sunt secundum Gregorium. Prima cum aliquis bonum quod habet, à seipso se habere putat. Secunda cum illud suis meritis tribuit. Tertia cum quis iactat se habere quod non habet. Quarta dum quis singulariter appetit videri aliquid habere alijs aspernatis. Bernardus autem distinguit duodecim gradus superbiæ, contra duodecim gratus humilitatis. Primus enim gradus humilitatis est semper corde & corpore humiliratem ostendere, deorso in terram aspectu, cui contrariatur curiositas, qua homo vbique inordinate & curiosè circunspicit. Secundus gradus humilitatis est, pauca & rationabilia verba loqui, non clamo-

rosè, cui leuitas mentis opponitur, per quam homo se verbis habet superbe. Tertius gradus humilitatis est nō esse promptum ad risum, cui opponitur inepta lætitia. Quartus tacitur nitas vsque ad interrogationem, cui contrariatur iactantia. Quintus tenere quod communis regula monasterij continet, cui opponitur singularitas, qua quis vult sanctior apparere. Sextus credere & pronuntiare se omnibus viliorem, contra quem ponitur arrogantia, qua se homo alijs præfert. Septimus ad omnia se inutilem atque indignum confiteri & credere, cui opponitur præsumptio, per quā se aliquis æstimat sufficientem ad gradum maiorem. Octauus est peccatorum confessio, contra quam ponitur eorundem defensio. Nonus in duris & asperis patientiam amplecti, cui contrariatur simulata confessio, qua quis non vult subire pœnam pro culpis quas simulatorie confitetur. Decimus est obedientia, cui contrariatur rebellio. Vndecimus ne homo delectetur propriam facere volūtatem, cui libertas opponitur. Vltimus gradus humilitatis est timor dei, cui opponitur consuetudo peccandi quæ dei contemptum includit.

5. ¶ Præterea, sicut humilitas proprie respicit subiectionem animæ ad deum, ita superbia concernit extollentiam quandam, supra quam homini à deo præfixum est per legem diuinam, vnde patet quod superbia ex proprio genere sit peccatum mortale, quamuis aliqui motus eius sint veniales propter imperfectionem ipsorum, & quoniam rationem præueniunt, vel eius consensum non habent.

6. ¶ Sciendum quoque quod superbia non est maximum peccatum propter conuersionem ad bonum commutabile, quoniam excellentia quam concernit, non maxime contrariatur diuino bono, sed ratione auersionis, quæ in omni peccato formale est & speciem complens, est superbia grauissimum peccatorum, nam ex propria ratione auersionem quasi essentialiter cōprehendit, quia deo & eius regno subijci spernit, cætera quippe peccata, secūdum Boëthium, fugiūt à deo sola superbia se ei opponit, cum actus eius sit dei contemptus quia igitur illud formale quod omnibus vitijs communiter conuenit, superbiæ singulariter attribuitur, ideo ratione auersionis est grauissima secundum genus. Semper enim id quod est per se, potius est illo q̄ est per aliud. Quamuis autem superbia difficulter vitetur, eo quod sæpius latenter insurgat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

surgat, & ex bonis operibus occasionem accipiat, postquam tamen innotescit de facili euitatur, tum ex consideratione propriæ infirmitatis, tum ex contemplatione diuinæ magnitudinis, tum ex cognitione imperfectionis bonorum quæ agimus: quæ sunt velut pannus immundæ. Frequenter autem propter superbiã, cuius turpitudo intus latet, permittit deus hominem ruere in peccata carnalia, quorum turpitudo manifesta est, quatenus per hoc ab occulta cõfusione humiliter consurgant.

7. ¶ Insuper tria superbia ponitur primum peccatum, nam auersio, quę in omni peccato formale atq; præcipuum est, superbiæ primo, & per se, & ex propria conuenit ratione, vt dictum est. Possunt tamen in aliquo quædã peccata præcedere eam, scilicet ex ignorãtia vel ex infirmitate. Sed inter omnia peccata superbia prima vocatur, quia omnia mala ex ea posse sunt procedere.

8. ¶ Agnoscendum verò, quod Cassianus, & Isidorus considerãtes superbiam prout est quoddam speciale peccatũ, posuerunt eam vitium capitale, sed Gregorius cõsiderauit eam inquantũ habet vniuersalẽ influentiam super omnia vitia, & ideireo vocat eã omnium vitiorum reginam ac matrem, non autẽ capitale peccatũ. Imo capitalium vitiorum principium, quoniam cor quod ipsa occupat, septem principalibus vitijs implet, sicq; omnium multitudinem vitiorum producit.

¶ An peccatum primi hominis fuerit superbia. 2. Quid Adam peccando appetijt. 3. De grauitate peccati Adæ. 4. An magis peccauit quàm Eua. Articulus 2.

AD vnum autem peccatũ multi possunt motus currere, quorum ille est primũ peccatum in quo prima inordinatio repetitur, hoc ergo erat primum peccatum hominis in quo erat prima inordinatio appetitus, hæc verò esse nõ potuit in appetitu sensitiuo, quia nulla erat rebellio carnis ad spiritũ in protoplastis, propter quod prima inordinatio appetitus humani non erat per hoc quod appetijt aliquod bonum sensibile, sed quia spirituale bonum supra suam mẽsuram optauit, quod ad superbiam pertinet. Idcoq; primum peccatum hominis erat superbia, secundario autem ex superbia oriebatur in ipso inobedientia, quia ex elatione ad illud quod inordinate appetijt ad diuinæ præuaricationem mandati inductus est, sed & gula deinde

tur ex superbia. Nam propter suasionem serpentis, qui dixit: Aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, inducta est mulier principaliter ad esum vetiti pomi. Erat etiam in peccato primi hominis curiositas, quia scientiam inordinate optauit ex excessiuo excellentiæ appetitu, quæ superbia sic mulierẽ excæcauit, quod serpentem verum dicere credidit.

2. ¶ Porro cum omne bonum creatum sit quædam participatio bonitatis diuinæ, eo ipso quod homo appetijt inordinate excellentiam spiritualis boni, optauit similitudinem Dei, non æquiparentiæ, quia hæc cadere nequit in apprehensione sapientis, sed imitationis qualis creaturis est possibilis. Vnde Augustin. dicit: Adam, & Heua rapere voluerunt diuinitatẽ, & perdiderunt fœlicitatem. Sed cognoscendum quod appetitus propriè est rei nondum adeptæ, bonum autẽ spirituale, per quod creatura Deo assimilatur, secundum tria attẽditur, vtpote secundum esse naturæ, & tale bonum homo, & angelus habuerunt à suæ creationis principio, nec circa hoc peccauerunt. Secundò autem attẽditur quo ad cognitionem, & hanc Dei similitudinẽ angelus à principio actualiter habuit, homo verò in potentia tantùm. Tertio, quantum ad potestatem agendi, & hanc neuter eorum à suæ creationis initio habuit. Restabat enim eis aliquid operandum quo ad fœlicitatem pertingerẽt. Primus itaque homo peccauit principaliter appetendo similitudinem Dei, quantum ad scientiam boni, & mali, vt scilicet per propriæ naturæ virtutẽ sibi determinaret quid bonum, & quid malum esset ad agendum, vel etiã quatenus per seipsum cognosceret quid sibi esset boni aut mali futurum. Secundario autem peccauit appetendo similitudinem Dei quantum ad propriam potestatem agendi, vt scilicet, virtute suæ naturæ operaretur ad beatitudinem obtinendam. Dicit enim Augustinus 11. super Genesim ad literam, quod menti mulieris inhæsit amor propriæ potestatis. Sed diabolus peccauit desiderando similitudinem dei quantũ ad potestatem: voluit enim magis sua potentia frui quàm dei, secundum Augustinum in libro de vera religione. In hoc ergo vterque deo quodammodo æquari optauit, quod sibijpsi nimis inhæsit, diuinæ regulæ ordine derelicto.

3. ¶ Præterea, peccatum graue vocatur dupliciter, scilicet ex specie propria actus, & ex circumstantia loci, vel personę, aut temporis. Primò igitur modo primorum parentum peccatum

Universidad de Deusto
Biblioteca

non erat grauissimum peccatum. Nam blasphemia, & infidelitas magis derogant Deo quàm appetitus excellentiæ. Sed secundo fuit grauissimum propter conditionem personarum peccantium: prima autem grauitas essentialior est peccato quàm altera, & ergo licet peccatum eorum fuerit grauissimum, secundum quid, non tamen simpliciter.

4. ¶ At verò peccatum Adæ grauius extitit peccato Heuæ, ex parte cõditionis personę, quoniã erat mulier perfectior, sed quantum ad genus peccati quod fuit superbia, peccatum amborum fuit æquale, quãtum verò ad speciem huius superbiæ: grauius peccauit Heua triplici ratione. Primo nã maior fuit elatio mulieris quàm viri, credidit namque ipsa serpenti verum dicere, sic quod deus esum ligni vetiti ipsis prohibuisset, ne ad ipsius similitudinẽ peruenirent. Vnde de ligno inducans voluit Dei similitudinem adipisci, cõtra voluntatem diuinam: vir autem ita nõ credidit, nec Dei similitudinem appetijt quasi contra voluntatem diuinam, sed peccauit quia eam per seipsam consequi voluit. Secundo quoniam mulier viro peccatum suggessit. Tertio, quia Adam peccauit ex quadam amicabili benevolentia ad mulierem, quã etiam sic vt deus sæpè offendatur, dum homo metuit ne ex amico inimicus fiat. hoc autem peccatum Adæ viri diminuit.

¶ De morte. 2. De alijs pœnis consecutis. 3. De tentatione primorum parentum. Articulus 220.

DOnum autem originalis iustitiæ sic primo parenti erat collatum, vt quamdiu ratio eius atque voluntas deo subditę essent, nec sensitiuus appetitus rationi resisteret, nec corpus animæ: quia ergo homo peccauit, consecuta est rebellio virium inferiorum contra rationem, & defectus corruptionũ ex parte corporis, quod animo perfectè non subditur, hæc autem consecuta sunt in pœnam originalis culpæ.

2. ¶ Denique adiunctæ sunt multæ pœnæ particulares. Nam priuati sunt loco qui competebat statui integritatis, videlicet paradiso terrestri: ea quoque quæ naturæ originalis iustitiæ beneficio destitutæ conueniunt, attributa sunt viro, & Euæ. Pertinet enim ad fœminam generatio prolis, & quantum ad hoc est duplici pœna punita, videlicet per tædium quod habet parturiendo, & per dolorem quem sentit, quem non haberet si esset in partu si non peccasset. Pertinet quoque ad fœminam con-

commutatio operum ad domesticam conuersationẽ spectantium, & quo ad hoc punita est per subiectionem qua subiecta est viro, non quod ante peccatum vir nõ fuerit caput mulieris gubernatorque eius, sed quoniam mulier necesse habet viro subesse etiam nolens. Ad virum autẽ spectat procuratio necessaria vitæ, circa quod tripliciter est punitus. Primò per terræ sterilitatem. Secundo per laboris annexionem. Tertiò per infructuosorum germinum productionem. Sed & in anima puniti sunt triplici pœna. Primò per cõfusionem ex rebellione carnis ad spiritum, nam aperti sunt oculi eorum, non quod ante clausi erant, sed post peccatum aperti sunt ad aliquid intendendum & cogitandũ, quod antea nũquam aduertebant, scilicet adinuicem concupiscendam, quod ante non fuerat. Secundo quantum ad increpationem propriæ culpæ, dicitur enim: Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis. Tertiò per commemorationem futuræ mortis, dum dicitur: Pulueris es, & in puluerem reuerteris. Quod autem in Genesi ad fœminam dicitur: Multiplicabo conceptus tuos, nõ debet intelligi quod multiplicatio filiorum sit data in pœnã, sed propter multiplicationem doloris id dictum est.

3. ¶ Porro diuina prouidentia, cuius est (secundum Dionysium quarto capitulo de diuinis nominibus) naturas rerũ tuari non autem corrumpere, disponit cuncta suauiter, talis verò est natura humana vt possit ab alijs impediri, & iuuari. Ideoq; decuit vt sicut homo in statu innocentię per angelos bonos iuuabatur, sic à dæmone permitteretur tentari, quauis deus sciret eum vincendum, sciuit namq; quod per liberum arbitrium potuit vincere, & hoc facillime, quia nihil mouebat eum intrinsecus ad peccatum, & sic impugnatio eius nõ fuit pœnalis.

¶ Insuper quoniam ex intellectuali, & corporali principio homo constat, ideo tentator duplex inciamẽtum proposuit puta similitudinem Dei per adeptionem scientiæ, & per hoc quod vsus est sensibilibus rebus, maximam cum homine affinitatem habentibus. Nam tentauit virum per fœminam, mulierem per prohibitum cibum, nõ enim potuit dæmon hominem primo tentare per suggestionem intrinsecam, nam illa ostẽdit diabolum plus habere potestatis in homine quàm exterior res, quia fantasiam transmutat, & secundum Augustinum non est opinandum quod dæmon serpentem pro suo

libito ad tentandum hominē præelegit, sed quia hoc animal ei permissum fuit, quamuis alia fuissent magis apparentia.

¶ De studiositate. 2. De curiositate. 3. An locum habeat circa cognitionem sensitiuam. Articulus 221.

MAteria demique circa quam est studiositas, est ipsa cognitio, secundario autem, id quod per cognitionem fit siue dirigitur, est enim studiositas vehemens applicatio mētis ad aliquid maximè cognoscendum. Annectitur autem studiositas temperātiæ sicut virtus secundaria, estque pars subiectiua modestiæ (sicut ostensum est) sicut enim temperantia refrenat naturalem inclinationem in delectationes gustus, & tactus, sic studiositas moderatur naturalem appetitum, propter quem omnes naturaliter, scire desiderant. Est quoque studiositas virtus moralis, nam per eā homo sortitur rectum appetitum applicandi vim cognoscitiuam, sic vel sic, ad hoc aut certe ad aliud.

2. ¶ Et sicut studiositas est circa appetitum, & studiū cognitionis adipiscendæ, illud ordinando, sic opposito modo est circa eādem materiam vitium curiositatis. Licet enim cognitio sit semper secundum se bona, tamē appetitus, & studium eius quandoque est malum, vt si quis studeat causa gloriæ vanæ, aut pompæ, vel dum per studium minus vtile retrahitur ab exercitio debito, vel inquirendo veritatem à quibus non licet, vel ferendo ad finem malum, aut altiora scrutando.

3. ¶ Insuper cognitio sensitiua ordinatur ad duo, videlicet ad corporis sustentationem, & ad intellectualem notitiā. Potest igitur circa cognitionem sensitiuam curiositas esse, si referatur ad aliquid à deo impediens, per cuius considerationem anima impeditur à cōtemplatione vtilium, quemadmodum consideratio fœminæ concupiscentiam gignit, quæ contemplationem extinguit.

¶ An circa motus exteriores sit virtus. 2. An in ludis sit virtus. 3. De vitio, & superfluitate ludi. 4. De vitio circa defectum ludi. Articulus 222.

QVoniā verò exteriores motus per rationē ordinari & dirigi possunt, ideo circa eos est virtus moralis. Ordinantur autem dupliciter scilicet secundū seipsos, & secundū ea quæ ipsis coniuncta sunt. Primo igitur ponit Aristoteles virtutem quam vocat ornatum, quæ seruat decentiam in motu, & habitudine. Secundò secundum conuenientiam ad exteriores personas, loca atq; negotia. Vnde Aug. dicit in regula. In omnibus motibus vestris nihil fiat quòd cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.

2. ¶ At verò sicut corpus fatigatur, & hoc repausatione quietis eget, quæ est in somno sic anima fatigatur dum super sensibilia eleuatur per cognitionē speculatiuam aut practicam. Vnde non valet talibus continuo stare intenta, sed indiget intermissione atque quiete. Quies verò animæ est delectatio, sicut & quies corporis somnus. Itaque necesse est quandoq; delectationem aliquem sensibilem, & animalem admittere, propter refocillationem animæ fessæ. Nam & Iohānes Euangelista lusisse describitur. Talis autem delectatio hoc modo intenta, & admissa, dicitur iocosa seu iudicra, & ergo circa illam est virtus per quam moderatur. Tria enim cauēda sunt circa eam, quorum primum, & maximum est, ne quæratur in verbis vel factis nociuis aut turpibus. Nā tale genus iocandi nominat Tullius primo de officijs, illiberale, petulās, flagitiosum, obscœnum. Secundum ne grauitas animę penitus tesolluatur. Tertium vt conueniat personæ, loco, & tempori, & cū circunstantijs debitis. hāc ergo virtutem, quæ ordinat ludū, Aristoteles eutrapeliam appellat.

3. ¶ Si ergo ista non seruētur, sed aliquis immoderate ludis incumbat, tunc est vitium, imo mortale peccatum, si tanto affectu quis ludo intendit, quod per eum contra præcepta aliquid agit, vel dilectioni diuinæ proponit. Histriones quoque qui ludum hominibus exhibent, si prædicta tria cauent, non peccāt, nec eorum officium est secundum se illicitum, & qui eis præstant mercedē non peccant, nisi inordinate se habeāt.

4. ¶ Porro defectus in ludo vitiosus est, est enim contra iationem quod se homo tam onerosum exhibet quod nihil delectabile agit, imo & aliorum delectationes impedit. Propter quod Sene. dicit: Sic te geras sapiētet vt nemo te habeat tam quam asperum, nec spernat vt vilem, tales namq; (secundum Aristotelem) duri & agrestes dicūtur. Hic tamē defectus est minus culpabilis quàm prædictus excessus.

¶ De virtute quæ est circa exteriorem apparatum. 2. An mulieres peccent in ornatu superfluo. 3. De præceptis temperantiæ, & partium eius. Artic. 223.

PORro circa vsum exteriorem rerum contingit peccare dupliciter, Vno modo per comparationem ad consuetudinem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tudinem horum quibus homo conuiuit, vt cum quis nouam pompam vel modum adinuenit in vestimẽtis. Alio modo ex nimio affectu hominis qui libidinosè rebus afficitur, siue prætet consuetudinem sint, siue non, quod tripliciter accidit. Primò cum aliquis ex vestium apparatu gloriã quærit, secundum quod vestes ad ornatum respiciunt. Secundò dum ex vestium mollitie quærit delitias. Tertiò quia nimiam solicitudinem adhibet cultui vestium, licet finis non sit peruersus, similiter circa defectum in vestium dispositione est inordinatio duplex. Prima ex negligentia oritur cum homo vestimenta indecenter comportat. Secunda si vestium abiectionem ad inanem gloriam refert. Vilia autem vestimenta portare eis præcipuè cõpetit, qui alios exemplo, & verbo ad penitentiam mouent.

2. ¶ Denique circa ornatum mulierum tria prædicta considerauda cauendaq; sunt, & etiam habitus mulierũ ornatus, vitos ad cõcupiscentiam incitat. Mulier verò nupta se decenter potest ornare quatenus viro complaceat, ne ea conspecta in adulterium ruat. Cæteræ autem fœminæ, quæ virum non habent, si se ideo ornent vt virorum libidinem prouocent, mortaliter peccant, sed si cultus vestium sit ex quadam vanitate vel leuitate, non est semper peccatum mortale, & ideo iudicium est de viris.

3. ¶ Præterea inter præcepta decalogi prohibetur adulterium, tam illud quod mente concipitur, quàm quod opere exercetur, quia maximè contrariatur dilectioni fraternæ, quoniam rem alienam sibi vsurpat. Adulterium verò est intemperantiæ species, sed quoniam præcepta decalogi sunt quædam communia diuinæ legis principia: ideo inter ea dari non potest præceptum affirmatiuum cõmune de temperantia, quoniam vsus eius variatur secundum diuersa tempora, vt Augustinus testatur.

¶ De virtutibus autem temperantiæ annexis ponuntur quædam præcepta prohibitiua effectuum illorum vitiorum quæ virtutibus illis opposita sunt.

¶ De his quæ specialiter pertinent ad aliquos homines. 1. An prophetia ad cognitionem pertineat. 2. an sit habitus. 3. An sit tantum donorum contingens etiam. 4. An omnia noscat. 5. An dicendum ea, quæ diuinitus scit ab alijs. 6. An possit ei subesse falsum. Articulus 124.

TRiplex est autem hominum differẽtia, quantum ad ea quæ ad actus, & habitus animæ rationalis pertinent. Vna secundum diuersas gratias gratis datas, diuisiones enim gratiarum sunt, secundum Apostolũ quia alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, &c. Alia est secundum diuersam vitam, videlicet contemplatiuã atq; actiuam. Tertia secũdum diuersitatem officiorum, & statũ, dedit enim Deus (teste Apost.) quosdam quidem propheras, quosdam autem Apost. &c. Prophetia autem propriè, & principaliter in cognitione consistit. Dicuntur namq; prophetę à phanos quod est apparitio, quoniam ea quę procul sunt à notitia hominum, Deo reuelante cognoscunt. Vnde qui nunc dicitur propheta, olim vocabatur videns. 1. Regũ. Et gentiles prophetas nominabant vates, à vi mẽtis, sed quia propheria ordinatur ad ædificationem ecclesię, vtilitatemq; hominum, ideo secundario pertinet ad locutionem. Nam secundum Isidorum, dicuntur prophetæ quasi præfatores, & quoniam quæ diuinitus reuelantur, humanam rationem transcendunt nec probari ab homine possunt, propterea tertio ad prophetiam spectat operatio miraculorum, velut confirmatio visionis propheticæ, & sic in libro Eccle. legitur Helizæus etiam mortuus prophetasse, ratione miraculi prophetias eius corroborantis.

¶ Requiritur quoque ad prophetiã vt eleuetur intentio mentis ad percipiẽda diuina, quod fit per instinctum spiritus sancti, & sic ad prophetiam pertinet inspiratio. Secũdo exigitur diuinorum perceptio per reuelationem diuinam.

2. ¶ Denique ad prophetiam concurrit supernaturale lumẽ quod Deus menti infundit. Sed lumen aliquod inesse potest alicui dupliciter, scilicet per modũ formę permanẽtis, quemadmodum est lumẽ in sole, & sic habitus est in anima. Secundo per modũ passionis seu impressionis transeuntis, & ita est lumen in aëre, qui noua semper illuminatione eget, sicque lumen propheticum inest prophetis, & non primo modo, non enim possunt pro suo beneplacito prophetare, quemadmodũ de Helizæo patet, sed noua semper illustratione egent. Itaq; prophetia non est propriè habitus, sed dispositio quædam.

¶ Aduertẽdum autem, quod omne donum gratiæ hominem eleuat ad aliquid quod est supra naturã humanam, vel quantum ad substantiam actus, vt miracula facere, &c. & ad ta-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lia nõ datur lumen habituale: Nam habitus (secundum Aristotelem) est, quo quis operatur cum vult, vel quantũ ad modum actus, sicut Deum diligere, & ea quæ in creaturis apparent cognoscere, & ad talia Deus habituale lumen infundit.

3. ¶ Porro quia prophetica visio est per lumẽ diuinum, quo cognoscit omnia possunt. tam diuina quàm humana, spiritualia, & corporalia. Naturalia atq; moralia. Ideo reuelatio prophetica ad omnia illa se extendit. Sed ex quo propria eius propriè horum quę à cognitione hominum procul sunt, ideo aliqua tanto magis propriè ad propheriam attinent, quo longius à notitia humana consistunt: horum autem est triplex gradus. Primus prout ea quæ visus actualiter percipit sentit, vel intellectu, alius longe distans, Deo pandente cognoscit, & sic Helizæus vidit quid Giezi egit, & sic cogitatio vanæ alteri innotescit. Secundus autem gradus est horum quę omnem naturalem agnitionem transcendunt, non ex parte suæ cognoscibilitatis, sed humanę defectibilitatis, vt est mysteriũ super benedictissimæ Trinitatis. Tertius verò est gradus eorum quæ ab omnium hominum cognitione procul sunt ex seipsis, quemadmodum futura contingentia, quorum nõ est veritas determinata: & hæc proprijssimè ad prophetiã pertinent. Vnde prophetia propriè dicitur reuelatio futurorum euentuum contingentium, & quando de præteritis, vel præsentibus quippiam nunciat, nominis sui rationem perdit, secundum Gregorium.

4. ¶ Non autẽ cognoscunt prophetæ omnia, sed discernunt prophetæ quid proprio spiritu, & quid spiritu sancto prædicunt, quantum Deus eis reuelare dignatur.

5. ¶ Præterea, corda prophetarum dupliciter à Deo instruuntur, videlicet per reuelationem expressam, & talia certissimè sciunt esse à Deo, aliquãdo autem per quendam instinctum quem mentes hominum quãdoque etiam nescientes patiuntur, & tunc discernere nequeunt, an hoc quod interius videt sit ex spiritu sancto, vel ex proprio cogitatu, quia non omnia quæ à Deo infunduntur sub prophetica certitudine cadunt, præsertim cum talis instinctus sit quid imperfectum in genere prophetiæ. Vnde Gregorius super Ezechielẽ asserit, quod sancti prophetæ interdum dum consuluntur, quædam ex proprio spiritu profetũt, quæ propter magnum vsum prophetandi sibi à Deo arbitrantur infusa, & ne ex hoc errandi occasio detur,

detur, citius à spiritu sancto corripiuntur.

6. ¶ At verò cum prophetia sit quædam diuinæ notitiæ participatio, & secundum Hieronymum, diuinæ præscientiæ signum, non potest ei subesse falsum, sed vera sunt omnia quæ continet.

¶ Veruntamen Deus prænoscit futura dupliciter, vtpote in seipsis prout ei præsentialiter patent, & secundo secundum ordinem ad suas causas: quãdoque autem reuelat prophetis futurum aliquod quantum ad primum modum, & tunc semper impletur.

¶ Aliquando verò quantum ad secundum, & sic non semper impletur, quia Deus ordinem causarũ impedire potest, & sic prophetia Esaiæ de morte Ezechiæ, Ionę quoque de subuersione Niniuæ, non fuit impleta. Nihilominus prophetia semper est vera, intelligenda est enim secũdum comparationem quam habet ad causas rerum proprias, vel in ordine ad deũ, vnde hæc conditionalis est vera, si aliquid est prophetatum, erit, intelligitur enim futurum de necessitate nõ respectu nostri, circa quos contingenter se habet, sed vt consideratur in suo præsenti, prout subijcitur diuinæ præsentiæ.

¶ Vtrum prophetia sit naturalis. 2. An sit mediantibus angelis. 3. An requiratur ad eam dispositio naturalis. 4. An bonitas morum. 5. An sit aliqua prophetia à dæmonibus. 6. Vtrum prophetæ dæmonum aliquando dicant verum. Articulus 225.

FVtura autem cognoscere in seipsis Deo est propriũ, possunt tamẽ quædam futura præsciri humano ingenio, secundum quod considerantur in suis causis, ex quibus, vel semper, vel vt sæpius causantur, sed respectu horum non dicitur prophetia, quoniam visio prophetalis est horum quæ omnem naturalem transcendũt notitiam vnde prophetia non est naturalis, sed sicut Petrus ait: spiritu sancto inspirati sancti dei homines locuti sunt.

2. ¶ Et quoniam quæ à deo sunt ordinate fiunt, ideo illuminationes diuinæ, atque propheticæ manifestãtur hominibus ministerio angelorum, qui medij inter nos deumq́ue constituunt, & hoc Dyonisius asserit. Nam gratiæ gratis datę, quantuis attribuantur spiritui sancto tanquam primo principio, tamen operatione secundarum causarum immediate donari possunt. Sed in voluntatem directe non agit nisi deus. Et ergo amicos efficere Dei per infusionem charitatis, est solũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

immediate à Deo.

3. ¶Deniq; deus in sua actione nihil prę ſupponit, ſed ſuam potest producere, & formam, & dispositionem ad eam. Imo & subiectum amborum, tã in rebus naturalibus quàm in ſpiritualibus effectibus.

¶Ideoque ad infusionem visionis prophetice non necessario exigitur dispositio aliqua prævia, sed potest deus illam simul conferre cum revelatione divina, & impedimẽta ad prophetiam, vt est insania, vel ad actum eius, vt sunt vehemẽtes passiones, simul auferre.

4. ¶At verò bonitas morum attendi potest secũdum duo, videlicet secundum interiorem eius radicem, quæ est gratia gratum faciens, & quãtum ad interiores animę passiones et interiorescq; actus. Prophetia autem esse potest sine charitate, quia intellectum concernit, cuius actus præcedit actũ voluntatis, quem perficit charitas.

¶Item prophetia ordinatur, ad ædificationem ecclesiæ, charitas verò, vt vniat animam deo. Hæc autem duo separari possunt. Vnde prophetia haberi potest sine bonitate morũ quantum ad primam eius radicem, quæ est gratia gratum faciens. Sed malitia morum impedit eam quo ad secũdum, puta per revelationem ad inordinationem passionum, & prauitatem vitæ. Nam ad prophetiam exigitur maxima elevatio mẽtis ad spiritualium contemplationem.

5. ¶Amplius quoniam intellectus dæmonum naturali ordine superior est intellectu humano, ideo quædam futura ex subtilitate prænoscit, quæ hominibus revelare potest, propter quod aliqui dicuntur prophetæ mali, non autem prophetæ simpliciter. Nam tales sunt dęmoniaci vel arreptitij, aut falsi prophetæ, secundum Augustinum.

6. ¶Insuper sicut se habet bonum in rebus, ita & verum in cognitione, sicut ergo nihil esse potest è rebus totaliter malum, sic nec est cognitio aliqua quæ non habeat aliquid veritatis, sicut enim seducitur appetitus propter apparentiam boni, sic fallitur intellectus propter apparentiam veri, & ideo dæmoniorum prophetæ quædam vera annuntiant, quatenus per hoc melius fallere possint.

¶Interdũ quoq; prophetæ diaboli quædã loquũtur ex instinctu spiritus sancti, vt Balaã. Deus enim vtitur malis ad prouectũ bonorũ, sed & Sibillæ multa vera prædixerũt de Christo.

¶An

¶ *An prophetæ videant Dei essentiam. 2. An cognitio de Christo prophetalis fiat per influentiam ſpecierum, vel luminis tantum. 3. An ſit ſemper cum alienatione à ſenſibilibus. 4. An prophetia ſit ſemper cum cognitione eorum, quæ prophetantur. Articulus 226.*

DEi autem essentiam prophetæ non vident, cum diuina essentia sit beatitudinis obiectum. Prophetæ autem non sunt perfectè beati, prophetia quoque euacuabitur, sed visio diuinæ essentiæ in patria manet.

2. ¶Deniq; circa cognitionẽ mentis, ad quam pertinet prophetia, duo considerantur. videlicet repræsentatio siue acceptio rerũ, & iudicium de eisdem, quorum primum fit per species quasdam, quæ naturali ordine primo obijciuntur sensui. Secundo imaginationi. Tertio intellectui possibili, species verò in imaginatione sunt, nõ solùm secundum quod accipiuntur à sensibilibus, sed etiam transmutantur diuersimode, vel propter transmutationem corporalem, quemadmodũ in dormientibus atq; amentibus: vel secundum rationis imperium ordinantis fantasmata ad aliquid cognoscendũ, & secũdum hoc resultant in intellectu possibili diuersæ species intelligibiles. Iudicium autem rationis fit per intellectuale lumẽ, per prophetiam verò aliquid homini datur pertinẽs ad vtrumq;. Datur enim specierum influxio ad repræsentandum, & intellectualis lucis infusio ad iudicãdum. Iudicium quoq; est principalius, & cõpletuum in prophetia, quia sine ipso non dicitur reuelatio perfectè prophetica. Vnde Pharao, & Nabucho donosor nõ erant prophetæ, licet eis aliquid diuinitus repræsentabatur, sed Ioseph, & Daniẽl qui illud iudicabant: qui autem in vtroq; præcellit, maximè vocatur propheta secundum Augustinum. Repręsentatur autem cordibus prophetis rũ interdum quædam formæ exterius meditãte sensu, quemadmodum Daniẽl vidit scripturam parietis, quã Deus Balthazar antè ostẽdit, quandoq; autẽ per formas imaginarias, vel à deo impressas, vel à sensu receptas, sed diuinitus ad aliud ordinatas, sicut Ieremias vidit ollam succensam: vel imprimẽdo species intelligibiles mẽti, vt in Salomone qui sapientiam à deo percepit, lumen verò intellectuale aliquãdo datur ad intelligendum quę ab alijs dicta sunt, vt Ioseph, ad quod spectat interpretatio sermonum. Itaq; visio prophetalis quãdoq; fit per solam influentiam luminis, quãdoque autem per speciei

de nouo

Universidad de Deusto
Biblioteca

de nouo impressas aut alitet ordinatas.

3. ¶ Elucescit ergo, quod prophetica visio sit secundum quatuor, scilicet secundum impressionem sensibilium formarum secũdum influxum intelligibilis lucis, secundum infusionem intelligibilium specierum, secundum quę tria non oportet fieri alienationem à sensibilibus in prophetis, vt patet in Moyse qui vidit rubum ardentem, & iudicium intellectus in eo perficitur per conuersionem ad rerum fantasmata. Quarto ergo fit cognitio prophetarum per formas imaginarias, & sic necesse est alienationem seu abstractionem à sensibilibus fieri, ne talis apparitio referatur ad ea quæ extrinsecus sunt, hæc verò abstractio duplex est. Perfecta, vt cum homo nil à sensibilibus percipit, & imperfecta, vt dum quis aliquid à sensibilibus percipit, nec tamen illud à cæteris, quę imaginarię sensibus percipit, nec tamen illud à cæteris, quę imaginariè sentantur, discernere potest: quod autem ait Apostolus. Spiritus propheratum prophetis subiecti sunt, intelligendum est quantum ad denuntiationem propheticam quia ex proprio sensu loquuntur quæ ipsis ostensa sunt, non mente turbata, vt arreptitij, sicut Præscilla & Montanus mentiti sunt. Sed in reuelatione prophetica subijciũtur prophetæ spiritui prophetiæ, id est dono prophetico.

4. ¶ Insuper sicut præhabitum est, prophetæ nõ semper cognoscunt quid à deo receperint, sed quando est perfecta ratio prophetiæ, tunc cognoscunt quæ diuinitus infunduntur.

¶ De diuisione prophetiæ. 2. An sit aliqua altior quã imaginaria. 3. De diuersitate graduum eius. 4. An Moses fuerit eximius prophetarum. 5. An aliquis comprehensor possit esse propheta.

6. Vtrum prophetia creuerit secundum temporum interualla. Artic. 227.

SPecies insuper prophetiæ traduntur nam alia est prophetia comminationis quę non semper impletur, quia obiectum ipsius est aliquis diuinitus cognitum secundum ordinem ad suam proximam causam, quæ vtique impedire potest.

¶ Alia est prophetia prędestinationis, quæ est de rebus prout cognoscuntur à deo in seipsis, & vt fiendæ sunt per ipsum. Illa verò sit de rebus à deo agnitis, tamen per liberum arbitrium hominis faciendis, sed est prophetia præscientiæ, quæ esse potest bonorum atque malorum.

2. ¶ Præterea, prophetia quæ fit secundum solam intellectua-

lem inspirationem, omnibus est prestantior: est enim purior & euidentior, & futuræ visioni in patria vicinior. Item visio imaginatiua ordinatur ad intellectualem tanquam ad principaliorem atque finalem, quia tamen in ratione prophetiæ quædam obscuritas comprehenditur, ideo illi magis nominantur prophetæ, qui imaginatiuas visiones habuerunt. Hagiographi autem sicut Dauid, Iob, Salomon, &c. altiores illuminationes habebant, licet minus propriè dicãtur prophetę. Verumtamen illustratio omnis in præsenti vita est cum aliquali velamine fantasmatum, quia secundum Dionysium. Impossibile est aliter nobis lucere diuinum radiũ, nisi variis sacrorum velaminum tectum, sed interdum sufficiunt fantasmata quæ communi modo à sensibilibus abstrahuntur, nec exigitur alia visio imaginatiua diuinitus procurata, & tũc dicitur visio prophetica fieri sine visione imaginaria.

3. ¶ Denique ad prophetam magis spectat cognitio quàm operatio, & ergo infimus gradus prophetię est, cum quis ex interiori instinctu mouetur ad aliquid faciendum, sic ut de Samsone scribitur: Irruit in eũ spiritus domini, & soluta sunt vincula eius, &c. Secundus gradus est cum quis ex interiori lumine illuminatur ad cognoscẽdum aliqua, quæ naturalem rationem non excedunt, & hi duo gradus non attingunt ad veram prophetiæ rationem. Non enim pertingunt ad supernaturalem veritatẽ. Prophetia verò, quæ fit per imaginariam visionem primo diuersificatur, quia aliqua fit in somno, aliqua in vigilia, & hæc scilicet in vigilia, est maior, & altior quoniam maior ostẽditur virtus luminis, quæ animam circa sensibilia occupatam, rapit ad spiritualium contemplationẽ, quàm quæ animam ab illis abstractam in dormiẽte illustrat. Secũdo diuersificatur ex parte signorum imaginabilium. Verba nanque primum locum sortiuntur inter signa. Ideoque quentem in vigilia vel in somno, quàm cum videt res aliquas significantes. Tertio diuersificatur, quandoque enim aliquis videt aliquem sibi colloquentem, aut aliquid demonstrantem. Hic enim gradus est altior, quia per eum magis appropinquatur ad causam reuelãtem. Quartò diuersificatur gradus prophetalis, nam quo maior est qui videtur, eo prophetia est altior. Aliquando enim apparet in specie hominis, aliquãdo in forma angeli. Interdum in imagine Dei: prædictis verò gradibus

bus eminet tertium genus propheraudi, quod consistit in se la intellectuali illustratione, quod propter suam excellentiam excedit rationem propheticæ, & idcirco gradus propheticæ propriè sumptæ, attenditur secundum diuersitatem imaginariæ visionis.

4. ¶ Porro quamuis quidam propheta in aliquo fuit maior Moſe, tamen ſimpliciter, Moſes erat omnibus prophetis ſublimior in perfectione prophetali: Nam iuxta prædicta, in visione prophetica penſatur cognitio tam intellectualis quàm imaginaria, & denuntiatio atque confirmatio per miracula. Moſes autem fuit ſublimior quàtum ad intellectualem viſionem, quia ſecundum Auguſtinum vidit diuinam eſſentiam ſicut, & Paulus. Vnde dicitur de Moſe, Palàm & non per ænigmata videt Deum. Item ex parte viſionis imaginariæ excellit. Nam quaſi ad nutum audiuit, & vidit angelũ in ſpecie Dei ſibi loquentem, etiam vigilando: Sed & ex parte denuntiationis præcedit, quoniam toti populo Iudæorũ loquebatur, & iterum maxima fecit miracula. Veruntamen in hoc Dauid Moſen ſuperat, quia incarnationis Chriſti myſteria plenius nouit atque expreſsit, & quo ad hoc dicitur prophetarum eximius.

5. ¶ Sciendum quoque, quod beati in patria dici non poſſunt prophetę: non enim cognoſcunt veritatem ſupernaturalem, & procul exiſtentem, vel in affectibus ſuis reſplendẽtem, ſed ſicut præſentem, quemadmodum ait ſcriptura. Habitabunt recti cum vultu tuo. Nec reuelatio futurorum angelis facta dici debet prophetica, nõ enim reuelatur eis vt procul exiſtentibus ſed ſicut deo perfectè vnitis.

6. ¶ Amplius, reuelatio prophetica ſecũdum temporis progreſſum creuit. Maior enim fuit ſub lege quàm ante legem, & tempore gratiæ maxima facta eſt. Vnde Moſi dixit deus, Nomen meum adonai non indicaui eis, puta prioribus patribus, quid nomẽ ſignificatur per hoc quod dicitur. Ego ſum qui ſum, in quo diuinæ naturæ ſimplicitas reuelata eſt Moſi, & propter huius nominis veneratiouem Iudæi ſignificando prædictũ nomen per hoc nomen adonai. Et ſciendum quod tempore Abrahæ cœperũt homines à cultu, & fide vnius dei recedere. Item non inuenitur aliquis propheta librum edidiſſe anteæ Eſaiam: hoc dicit Thomas.

¶ An

¶ An animæ hominis rapiatur ad diuina. 2. Ad quam potentiam pertineat raptus. 3. An Paulus in raptu vidit diuinam eſſentiam. 4. An fuerit alienatus à ſenſibilibus. 5. Virum anima eius pro tunc fuerit à corpore ſeparata. 6. Quid circa hoc ſciuit, & ignorauit. Artic. 228.

RAptus denique violentiam quandam importat, quæ dupliciter conſideratur, ſcilicet ex parte finis, qui eſt cõtrarius naturali inclinationi, quemadmodum motus lapidis ſurſum. Secundo ex parte modi, vt ſi lapis proiiciatur deorſum citius quàm ſua natura habet. Itaque anima quando eleuatur ad ſpiritualia per alienationem à ſenſibilibus, rapitur & violentiam patitur, non ex parte termini, ſed modi: Nam naturalis eius proceſſus eſt, ex ſenſibilibus ad ſpiritualia progredi, ſed diuinis ſtare intentam nõ eſt contra animæ rationalis naturalem inclinationem.

2. ¶ Propriè autem pertinet raptus iſte ad intellectũ. Nam motus voluptatis eſt quędã inclinatio in appetibile bonum. Raptus verò eſt præter propriam inclinationem, & ergo ex parte obiecti, ſeu termini, raptus intellectum concernit. Sed raptus quantum ad ſuam cauſam, procedere poteſt, ex appetitiua potentia, quia ex vehementi affectu ad aliquid poteſt quis ab omnibus alijs alienari; raptus verò cauſat delectatio nem affectu. Sciendum verò quod raptus aliquid addit ad extaſim, dicitur enim extaſis ſimplex exceſſus à ſeipſo, & pertinet ad voluntatem, quia eſt actus amoris. Nam ſecundum Dionyſ. diuinus amor extaſim facit, & ſecundum eundem Deus extra ſeipſum fit propter ſuperabundantiam amatiuæ bonitatis vniuerſis promidẽdo, raptus autem ſuperaddit violentiam quandam.

3. ¶ Præterea, anima Pauli in raptu vidit diuinam eſſentiam ſecundum Auguſtinum libro de videndo Deum, & 12. ſuper Gen. ad literam, quod etiam verba Pauli oſtendunt, dum aſſerit ſe ineffabilia verba audiſſe. Quidam tamen oppoſitum huius dixerunt, ſed irrationabiliter. Rapitur autem mens humana ad contemplanda diuina tripliciter, ſcilicet per formas imaginatiuas, ſicut Petrus vidit vas quoddam, &c. Secundò per effectus intelligibiles, vt in Dauid qui dixit: Ego dixi in exceſſu meo. Tertiò per ipſius diuinæ eſſentiæ cõtuitionem, ſicut in Paulo, & Moſe, qui pro tunc erant beati, nõ habitua-

liter

Universidad de Deusto
Biblioteca

liter sed secundum actum transeuntem, eratq; in ipsis pro tunc lumẽ gloriæ, sine quo Dei essentia conspici nequit, non fuit in ipsis pro tunc actus fidei vel spei, sed habitus. Deinde enim vt sicut primus legislator Iudæorum vidit Deum per essentiam in vita præsenti, sic & Paulus gentiũ doctor deum ad tempus conspiceret. Demum tertium cœlum, ad quod is raptum testatur Apostolus, vno modo accipitur cœlum corporeum, puta empireum, ad quod ideo se asserit raptum, quia ipsum est locus beatorum, & vitam quam in ipso fortiuntur beati Deus sibi ostendit. Secundo potest exponi tertium cœlum quædam visio supermundana, & intellectualis, & quoniam talem Dei contemplationem vehemens delectatio sequitur, ideo se addit raptum in paradisum, id est locum voluptatis diuinæ cœlestem. At verò intellectus humanus in omni suo actu naturaliter se conuertit ad fantasmata, & quamdiu à fantasmatibus prorsus abstrahitur, tũc à sensibus alienatur. Eum autem qui dei essentiam videt, oportet omnino à fantasmatibus abstrahi, quia per nullum fantasma, imò per nullam formam creatam potest diuina cerni essentia. Itaque Paulus in illo raptu erat omnino alienatus à sensibilibus. Prædicta verò dei visione cessante, remanserunt in anima Pauli quædam similitudines intelligibiles rerum per quas memor esset eorum quæ vidit.

5. ¶ Insuper non fuit necesse animam Pauli à corpore separari propter raptum, status enim hominis non mutatur propter raptum, sed actualis conditio, & etiam quamuis anima actualiter eleuetur supernaturali modo in deum, tamẽ gratiã habuerat naturalis habitudo eius ad corpus, quæ in hoc cõsistit, quod est cõuersiua ad fantasmata, ratione cuius est naturalis forma corporis.

6. ¶ Præterea quod ait Aposto. se nescire vtrum in corpore raptus sit vel extra corpus, dupliciter exponi potest. Primò quod Apostolus ignorauerit, an corpus eius fuit simul raptum cum anima in tertium cœlum vel nõ, sicut de Hieremia dicitur, quod adductus est in visionibus Dei in Hierusalẽ, & hunc fuisse intellectum cuiusdam Iudæi refert Hieronymus in prologo super Danielem, sed hunc sensum Augustinus reprobat. Ideoq; dicendum quod Apostolus sciuit se raptum, ignorans tamen an anima sua erat separata à corpore an non. & hoc Augustinus post longam inquisitionem, secundo super Genes. ad lite-

ram, tandem concludit: sed (vt ait Augustinus) dubitante de istis apost. quis nostrum certus esse potest? Vnde qui super hoc loquuntur, cõiecturaliter potius quàm certitudinaliter loquuntur.

¶ Vtrum per gratiam linguarum detur homini omnium linguarum scientia. 2. De comparatione huius doni ad prophetiam. 3. Vtrum etiam in sermone conditi gratia gratis data. 4. Quibus hæc gratia competat. Articulus 129.

Discipulis autem primis Christi data est omnium linguarum scientia, quatenus fidem eius per totũ mũdum diffunderent, & ramũ habebant singuli de omnium linguarum notitia, quantum ad aliorum salutem & informationem necessarium fuit, quamuis in propijs linguis potentiores exterunt, quantum ad elegantiã & ornatum sermonis, quẽadmodum Hieron. dicit de Paulo in prologo super epistolas, quod epistolã ad Hebræos in proprio idiomate elegantius scripsit, &c.

2. ¶ Denique prophetiæ donum dignius est dono linguarum, conãstit enim in interiori illuminatione mentis, donũ verò linguarum refertur ad diuersas voces proferendas, quæ sunt signa alicuius intelligibilis veritatis. Item quia prophetiæ donum ordinatur ad notitiã rerum, quæ præstantior est notitia vocum. Tertio donum prophetiæ dono linguarum est vtilius, & hoc Apostolus probat: Interpretatio autẽ sermonum ad donum prophetiæ reducitur, & est potior dono linguarũ, iuxta illud Apostoli: Maior est qui prophetat quã qui loquitur linguis, nisi forte interpretetur.

3. Præterea, grãtiæ gratis datæ dantur ad vtilitatem aliorũ, cum ergo cognitio Dei, quam homo à deo accepit, alijs cõmunicari non queat nisi mediãte sermone, ideo datur gratia quædam quæ dicitur gratia sermonum, per quam aliquis loquitur, non solùm vt possit intelligi, quod spectat ad donũ linguarum, sed etiam vt efficaciter loquatur, tripliciter scilicet instruendo intellectum, & inflammando quoque affectũ aliorum, inducendo eos quatenus verbum Dei libenter audiãt, quod fit dum homo sic loquitur quod alios delectat, & tertio ad hoc quod auditores ament quæ dicuntur, & velint ea implere, quod facit qui sic loquitur quod alios flectit, quæ omnia spiritussanct⁹ operatur interius, & vtitur lingua hominis tanquam instrumento forinsecus.

4. ¶Hæc autem gratia sermonum non competit mulieribus, quibus Apostolus docere prohibuit. Primo quoniã mulier est subdita viro, docere autem conuenit superiorem. Secundo ne ex mulierũ sermone, audientis libido concitetur, propter quod ait Ecclesiasticus: Ab vxore in principio peccatum, & propter ipsam omnes morimur. Tertio quoniam mulieris colloquium quasi ignis exardescit, Terzo quoniam mulier vt in pluribus, est in sapientia imperfectior, & in ratione debilior viro. Istud autem intelligendũ est de vsu sermonis ad totam ecclesiam. Nam mulier docere potest priuatè vnum vel paucos familiariter colloquendo.

¶De gratia miraculorum. 2. Quis in conueniat. 3. De diuisione vitæ in vitam actiuam & contemplatiuam. Articulus. 230.

GRatia insuper faciendi miracula necessaria erat ecclesiæ ad confirmandam fidem de his, quæ per donum linguarum atq; sermonum docentur, naturale quippe est homini intelligibilem veritatem aggnoscere per effectus sensibles: vnde sicut per naturales effectus peruenitur (ductu rationis) ad quandam dei naturalem notitiam, sic per supernaturales dei effectus, qui dicuntur miracula, perueniat homo ad supernaturales fidei veritates, ad quod non datur gratia habitualis, sicut nec ad prophetiã: miraculum autem secundum Gregorium, quandoq; facit homo quasi ex potestate, sicut Petrus occidit Ananiam & Sapphirã, & Iosue præcepit soli non moueri contra Gabaon: aliquando autem ex postulatione, vt cum oratio præmittitur. Tempore autem Antichristi non fient vera miracula secundum perfectam rationem miraculi, fient enim virtute naturalium causarum.

2. ¶Ex quibus elicitur, quod nõ solum boni facere possunt miracula vera cũ illa non fiant nisi virtute diuina, quæ miracula efficit ad veritatis confirmationẽ, & sanctitatis aliquorũ demonstrationem. Sed etiam mali per quos deus veritatem quam prædicant, confirmat, & idcirco per eos fiunt miracula ad fidei confirmationem, non ad sanctitatis ostensionẽ, quia forte aliquorum ad quorum inuocationẽ miracula faciunt, nunquam autẽ fieri possunt vera miracula à malis ad ostensionem suæ perfidiæ, siue malitiæ.

3. ¶Porro viuentia appellantur, quæ ex seipsis mouentur & agunt, & ideo propria actio viuentis potissime manifestat qualitatem & speciem vitæ ipsius. Propriũ autem est hominis per rationem intelligere, intellectus verò est duplex, videlicet cõtemplatiuus, cuius finis est ipsa cognito veritatis & pla-

ctticus, qui ordinatur ad opus, & ideo vita bipartitur in actiuã, quæ competit his qui exterioribus operationibꝰ sunt intenti: & contemplatiuã, quæ eos concernit qui cõtuendæ veritati præsertim insudant: hæc autem diuisio vitæ intelligitur de vita humana, & sumitur secundum differentiã intellectus. Studia verò, quæ ordinantur ad contemplationem veritatis pertinent ad cõtemplatiuam vitam, & quæ referuntur secundum rationem ad necessitatem vitæ præsentis, ad vitam spectant actiuam. Augustinus tamen decimonono de ciuitate dei, ponit tria genera vitæ, videlicet otiosum, id est, contemplatiuum, actuosum, & ex vtroque compositum, sed hoc tertium ad alia duo reducitur, & maxime ad id quod in seipso magis abundat.

¶Ad quam potentiam animæ pertineat vita contemplatiua. 2. Virtutes morales requirantur ad eam. 3. An cõsistat solum in vno actu. 4. An quælibet consideratio veritatis spectet ad eam
5. An possit ad visionem diuinæ essentiæ elevari.
6. De moribus contemplationis secundum Dionysium. 7. De eius delectatione. 8. De duratione ipsius. Arti. 231.

VIta insuper contemplatiua est eorum qui principaliter intendunt speculationi veritatis. Intentio autẽ est actus voluntatis, quia est de fine, qui est voluntatis obiectum, vita contemplatiua quantũ ad essentiam actionis pertinet ad intellectum, sed quantũ ad id quod mouet ad exercendum huiusmodi actum, pertinet ad voluntatem, quæ omnes inferiores animæ vires atque intellectum ad proprios actus mouet.

2. ¶Et quoniam contemplatio impeditur per vehemẽtiam passionum, ideo virtutes morales, quarum est passiones sedare, pertinent ad vitam contemplatiuã dispositiue, nõ autem essentialiter, quia finis earum nõ est veritatẽ agnoscere, sed bene actiuum efficere. Vnde secundum Philosophum. 9. Ethicorum, pertinet ad felicitatem actiuam.

3. ¶At verò vita contemplatiua humana (vnde nunc sermo est) habet vnum actum finalem atque præcipuum, à quo nomen & vnitatem sortitur, qui est veritatis contemplatio: sed quoniam homo ad simplicem veritatis cõtuitum, qui nomine contemplationis designatur, perducitur per actus inferiores, videlicet per acceptionem principiorũ, & deductionem

ex eis, ideo, & alij actus intellectus ad contemplationē concurrunt, & secundario pertinent.

4. ¶ Pariformiter ad contemplatiuam vitam primo atque præcipuè pertinet diuinæ veritatis agnitio, secundario quoque consideratio creaturarum, per quarum notitiam ad Dei contemplationem erigimur. Vnde Augu. In libro de vera religione dicit: In creaturarum consideratione nō vana & peritura curiositas est exercenda, sed gradus ad immortalia diligendus. Ponit autē Richardus de S. Victore sex species contemplationis, quarum prima est secundū solam imaginationem, dum res corporales attendimus. Secūda est in imaginatione secundum rationem prout scilicet sensibilium ordinē & dispositionem consideramus. Tertia est in ratione secundum imaginationem, puta dum ex sensibilium perfectione ad inuisibilia subleuamur. Quarta est in ratione secūdum rationem, vt dū animus intendit inuisibilibus, quæ imaginatio non cognoscit. Quinta est, supra rationē, vt cū ex reuelatione diuina panduntur quæ naturaliter sciri non valent. Sexta est supra rationem & præter eam, vtpote dum ea per reuelationem agnoscimus, quæ rationi repugnare videntur, vt mysteriū supergloriosissimæ trinitatis. Per hæc aūt sex, designatur quidam gradus quibus ex creaturarū cōtemplatione ad diuinam contemplationem pertingimus. Secundum Beatum verò sunt quatuor species cōtemplatiōis. Prima est admiratio maiestatis. Secunda consideratio iudiciorum dei, & hæc ad diuinæ iustitiæ considerationem nos promouet. Tertia est beneficiorum. Quarta promissorum, quæ ad diuinæ misericordiæ & bonitatis notitiam introducunt.

5. Deniq; dupliciter dicitur aliquis esse in hac vita: primo actualiter, vt cum sensibilibus corporis fantasiaque vtitur. Secundo potēcialiter, vt cum ab istis per raptum alienatur. Nemo ergo potest in vita præsenti tantum per contemplationē proficere, vt dei essentiam videat loquendo secūdum primū modum essendi in vita hac: sed secundo modo potest, vt de Paulo prædictum est, cuius cōtemplatio media fuit inter visionem patriæ & vitæ præsentis.

6. ¶ Porro Dionysius capitulo .4. de diuinis nominibus cōparat operationem intellectualem, quæ habet vniformitatem & simplex est, motui circulari, secundum quem mobile circumfertur vniformiter circa centrum, actionem vero intellectua-

intellectualem de vno in aliud procedentem, sicut est discursus rationis, cōparat motui recto, actum autē intellectus, habētem aliquid vniformitatis cum processu ad alia, cōparat motui locali obliquo. Motum quoque circularem attribuit Dionysius angelis, inquantum vniformiter sine principio & fine Deum conspiciunt, rectum, inquantum inferiores illuminant, obliquum, inquātum ex diuina contemplatione ad inferiorum le prouisionem extendunt.

7. ¶ Præterea, contemplatio est delectabilis dupliciter, scilicet ex parte operatiōis, quia vnicuiq; est cōnaturalis actio delectabilis & appetibilis, & itē ex parte obiecti, vt cū quis rē amatā videt, vel mētaliter vel corporaliter, & quo aliquis perfectionem habet sapientiæ habitum aut scientiæ, eo est sibi delectatio maior, quia difficultas agendi est maior, & res agnita notior. Vnde Gregorius ait: Cum quis eum quē diligit viderit, in eius amore amplius ignoscit. Et hoc est maxime verum de cōtemplatione diuinorum, de quibus ait Philoso. primo de partibus animalium. Circa diuinas illas & honorabiles existentes substantias, minores nobis sunt theoriæ, quæ tamen propter honorabilitatem intelligendi, delectabilius aliquid habent. Et Gregorius asserit: Vita contemplatiua dulcedo valde amabilis est, quæ super seipsam animam rapit, cœlestia aperit, spiritualia oculis cordis ostendit.

8. ¶ Præterea, aliquid dicitur diuturnū, videlicet ex sua natura, & quātū ad nos vita exigitur cōtēplatiua ex sua natura diuturna est, cū sit circa immortalia atq; diuina, & quia nō habet cōtrarium. Nam delectationi, quæ est in considerando, nihil est contrarium secundum philo. sed & ex parte nostri esse potest aliquo modo diuturna quia conuenit nobis secundum immortalem partem nostræ substantiæ, quæ est in anima, & quoniam in contemplatione corporaliter nō laboramus, tamen quia stare diu non possumus in alto propter nostri intellectus imperfectionem: ideo in contemplatione cito interruptionē patimur. Vnde Gregorius dicit: In suauitate contemplationis intimæ, non diu mēs figitur, quia ad seipsam immensitate luminis reuerberata, reuocatur.

¶ *Vtrum virtutes morales ad vitam actiuam pertineant. 2. An prudentia. 3. An doctrina ad vitam actiuam pertineat. 4. De duratione ipsius. Arti. 232.*

MOrales autē virtutes ad vitam actiuam pertinēt. Perficiunt enim homines in agendis, passiones rectificando & operationes, in quibus vita actiua consistit, tam in his quæ sunt ad seipsum, quàm in his quæ homo alij exhibet in quibus iustitia potissimē locū habet, quia eius est reddere cuique quod suum est.

2. ¶ Sed & prudentia, cū sit recta ratio agibilium, hoc habet officium, quod eius cognitio ordinatur ad actiones virtutum moralium, & dirigit eas. Nam finis virtutum moralium sunt principia quædam prudentię. Ideoque prudentia ad virtutes morales, & ad felicitatem actiuam, ad quam virtutes morales ordinantur, pertinet.

3. ¶ Porro obiectum doctrinæ est duplex, vnum videlicet ex parte locutionis, & est ipse auditor, & sic docere pertinet ad vitam actiuam. Aliud eius obiectū est materia circa quā versatur conceptus interior, dum ergo homo veritatem concipit vt per eam exteriorem actum disponat, spectat doctrina ad vitam actiuam. Sed ad contemplatiuam attinet dum homo intelligibilem veritatem iutus concipit, in ipsa delectando & quiescendo.

4. ¶ Itaque quoniam vita actiua in exteriori actu consistit, qui si ordinetur ad contemplationis quietem, tam ad vitam pertinet contemplatiuam, ideo vita actiua non manet in patria. Nam & exteriores actus si qui ibi erunt, ad contēplationē referentur. Ibi enim vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus. Illic Deus sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur, hoc munus, hic affectus, hic actus erit omnibus.

¶ Vtra vita sit dignior contemplatiua vel actiua. 2. Vtra maioris meriti. 3. An actiua contemplatiuam impediat. 4. De ordine vtriusque. Articulus. 293

LIcet deniq; vita actiua quo ad aliquid esse possit vita contēplatiua præstantior, tamen simpliciter vita contēplatiua est dignior, quod Aristoteles decimo Ethicorū octo rationib⁹ probat. Primo quoniam vita contemplatiua conuenit homini secundum optimum suum, scilicet intellectū, & est circa dignissima entia pura diuina, vita autem actiua occupatur circa exteriora. Secūdo quoniam vita contemplatiua potest esse magis continua, saltē secundū aliquem gradū. Tertio quia est delectabilior. Quarto quia in vita cōtemplatiua est sibi homo magis sufficiens paucioribus egens. Quinto quia vita contemplatiua diligitur propter se, actiua verò ordinatur ad aliud. Sexto quia vita cōtemplatiua in quadam vacatione atque quiete consistit. Septimo quoniam ipsa est secūdum diuina, actiua verò est secundum humana. Octauo quia vita contemplatiua competit homini secundum id quod sibi est proprium, videlicet rationem: In actibus autem vitæ actiuæ communicant inferiores animæ nobis, & sunt brutis communes. Nonam rationem Christus adiungit, quoniam vita contemplatiua non auferetur quemadmodū actiua, sed hic inchoatur & in patria consummatur, in casu tamen, vtpote propter necessitatem vitæ præsentis, quādoque magis eligēda est vita actiua. Nam & secundum philo. Melius est indigentibusditari quam philosophari, vtraque autem vita ad prælatos pertinet, & maxime contemplatiua. Dicit enim Gregorius in pastorali: Sic rector actione præcipuus, in contemplatione præ cunctis suspensus.

2. ¶ Porro vita cōtemplatiua ex suo genere est magis meritoria quā actiua, cum sit directius circa Deum intenta, & ad eius dilectionem extenta, charitas autem est radix promerēdi, sed vita actiua directe est circa dilectionē proximi, tamē propter Deum: Nam occupatur circa frequens ministerium, & istud Gregorius asserit super Ezechielē: Potest nihilominus aliquis in operationibus vitæ actiuæ plus mereri quàm alius in vitæ actibus contemplatiuæ, scilicet quādo propter abūdantiam diuini amoris, quatenus Dei voluntas implea-tur ad gloriam suam, sustinet à cōtemplationis dulcedine ad tempus separari, vt Paulus. In præmio quoq; accidentali præcedere potest vita actiua inquantum laboriosior est.

3. ¶ Porro vita actiua, inquantum interiores animæ passiones componit & ordinat, contemplatiuam iuuat, sed ratione exterioris occupationis eam sæpius impedit.

4. ¶ Item vita contemplatiua est prior actiua secundū perfectionem & ex sua natura, cum ad rationem pertineat, quæ vitam actiuā dirigit, & melioribus quoque insistit. Sed vita actiua est prior secūdum viam generationis seu quo ad nos, nam ipsa disponit hominem ad viram cōtemplatiuam, nō enim est prius quod spiritale, sed quod carnale.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Quid faciat in hominibus statũ. 2. vtũ diuersi status ad diuersa officia esse in hominibus debeant. 3. De differentia officiorum 4. De differentia statuum. Articulus. 234.

STatus præterea proprie importat quandam positionem differentiam secundum quam aliquid disponitur iuxta nodum suæ naturæ cum quadam immobilitate, sicut cum homo stat erectus. Ea ergo quæ cito variantur neque extrinseca sunt, nõ constituunt in homine statũ: vt sunt diuitiæ, paupertas, prælatio, esse plebeum, &c. Sed quæ aliquid obligationem personæ hominis, scilicet prout est aliquis sui vel alieni iuris: & hoc nõ ex leui causa, aut de facili mutabili, sed ex aliquo permanente principio. Et quoniam hoc pertinet ad libertatem & seruitutem, ideo status proprie spectat ad libertatem vel seruiturem, siue in spiritualibus siue in corporalibus, & in sua ratione importat conditionem alicuius istorum.

2. ¶ Sunt demum in ecclesia diuersi status atque officia propter tria. Primo ad perfectionem ecclesiæ, quatenus grãtia capitis, scilicet Christi, participetur à membris diuersimode & per partes, in quo ordo decens consistit: Nam plenitudo gratiæ Christi participari non valet, nisi hoc modo. Et ideo ait Apostolus: Ipse dedit quosdam quidẽ Apostolos, &c. secundo propter necessitatẽ actionis, quia oportet diuersos ad diuersa deputari officia, quatenus omnia ordinate fiant. Tertio istud attinet ad maiorem decorem ecclesiæ, in cuius figura legitur regina Saba non habuisse spiritum, videns ordinem ministrorum Salomonis.

3. ¶ Denique secundũ hæc tria, ad quæ ordinatur diuersitas mẽbrorum ecclesiæ, accipitur triplex fidelium distinctio. Vna, videlicet per respectum ad perfectionẽ. Et ita accipitur differentia statuũ, prout quibusdã quidam perfectiores sunt. Alia per respectum ad actionẽ. Et hæc est officiorũ distinctio, per quam diuersi diuersis actibus deputantur. Tertia per respectum ad ordinem pulchritudinis ecclesiasticæ. Et hic sumitur diuersitas graduum, vtpote cum in eodem statu siue officio est alius perfectior alio. Sic ergo officia distinguuntur per actus, id est formalem actuũ diuersitatem, qui ordinantur & referuntur ad alium. Dicit enim Isidorus: Officiũ est, vt quidque illa agat, quæ nulli nocent & omnibus prosint.

4. ¶ Porro libertas in spiritualibus est duplex, sicut & seruitus.

tus. Vna enim est seruitus peccati, alia iustitiæ. Vna quoque est libertas à peccato, quæ est vera libertas, quia peccatũ est contra id quod est secundũ naturã. Alia est libertas à iustitia, quæ non est vera libertas, sed misera seruitus: seruire autem peccato vel iustitiæ, ex habitu bono vel malo causatur per humanũ studium, in omni verò studio hominis est principium, medium, & terminus, Ideo status spiritualis seruitutis ac libertatis secundum tria distinguitur scilicet secundũ principium, ad quod spectat status incipiẽtium, & medium, quod concernit status proficientium, & finem, ad quem attinet status perfectorum, & secundum ista ponitur etiam triplex gradus charitatis, sicut antè prædictum est.

¶ Vtrum perfectio attendatur secundum charitatem. 2. An possit homo in præsenti esse perfectus. 3. In quo magis consistat perfectio. 4. An omnis perfectus sit in statu perfectionis. Articulus 235.

CHaritas verò cum sit animæ vita, & in patria perseuerans, omniumq; finis virtutum, merito dicitur id secundum quod perfectio ipsa attenditur.

2. ¶ Perfectio denique charitatis est triplex. Vna, cum Deus tantum amatur quantum amabilis est, & sic nullus puræ creaturæ dilectio est perfecta. Secunda, cum quis semper actualiter tendit in Deum secundũ totum posse suum, & hæc est perfectio charitatis in patria. Tertia est per quam impedimenta actus dilectionis abijciuntur, quæ sunt cupiditas & peccata, & ista in præsenti vita haberi potest dupliciter. Vno modo, excludendo omne quod charitati contrariatur, videlicet omne peccatum mortale, talis autem perfectio ad salutem necessaria est. Secundo modo, illa excludendo quæ actum charitatis impediunt seruoremq; minuunt, & hæc est perfectio eorum qui consilia tenent.

3. ¶ Insuper sicut dictum est, perfectio vitæ humanæ essentialiter consistit in dilectione Dei & proximi, de qua dantur duo præcepta, in quibus tota lex pendet & prophetæ, & per consequens omnis perfectio: charitas enim Dei sine mẽsura præcipitur & ergo nihil eius sub consilio derelinquitur, secundario autẽ & instrumentaliter consistit perfectio in cõsilijs: Nã sicut cætera præcepta ordinantur ad charitatẽ, removendo ea quæ charitati contrariantur, sic consilia ordinantur ad eam excludendo illa quæ actum charitatis impediunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4. ¶Amplius,ad hoc quod homo adipiscatur statum [illegible] rutis vel liberratis,primo exigitur quædam obligatio ad [illegible] uiendum, vel absolutio à seruitute per quam liber efficitur. Secundo requiritur vt hæc cum quadam solennitate [illegible] quemadmodum alia quæ perpetuam firmitatem in eccle[illegible] sortiuntur Vnde in statu perfectionis dicitur aliquis esse [illegible] quia perfectionē dilectionis adeptus est, sed quoniam ad [illegible] lam se solennitur obligauit, est autem possibile vt aliqua [illegible] soluant quod vouent, alij verò qui non promiserunt adim[illegible] pleant. Ideoque aliqui sunt in statu perfectionis qui perfe[illegible] ctionem non habent, aliqui quoque eandem sortiti sunt qui [illegible] tamen in statu perfectionis nequaquam consistunt.

¶ An prælati & religiosi sint in statu perfectionis. 2. An omnes prælati sint in illo. 3. Quorum status sit perfectior episcoporum vel religiosorum. 4. De comparatione, quoque religiosorum ad plebanos & Archidiaconos. Articulus. 236.

RElegiosi præterea in statu perfectionis sunt, quoniam cum professione & benedictione solenni se astringunt, à secularibus rebus & licitis abstinere, vt pote sint Deo liberi & patrisque vacare. Episcopi quoque assumendo pastorale officium, obligant se ad ea quæ perfectionis existunt, vt scilicet animam suam ponant pro libertate missis. Dicit enim Apostolus ad Timotheū. Cōfessus es bonam cōfessionem coram multis testibus, in tua ordinatione secundum Glosam. Adhibetur quoque solennitas consecrationis cum professione, sicut. 5. cap. ecclesiasticæ Hierarchiæ Dionysius pulchrè deducit, & ergo Dionysius episcopis & monachis attribuit singulariter esse in statu perfectionis.

2. ¶Denique non omnes prælati sunt in statu perfectionis, videlicet presbyteri atque diaconi curam animarum habentes. In his enim pensatur ordo, qui refertur ad ecclesiasticum actum, & cura. Ex parte autem ordinis nō obligātur ad perfectionem, nisi quantum ad occidentalem ecclesiam, in qua sacros ordines susciptentes, continentiā quæ est pars perfectionis, promittunt. Similiter ex parte curæ nō ponunt in statu perfectionis, possunt enim curā propria autoritate relinquere, religionē intrādo, vt dicitur in decretis, vel simpliciter præbendā accipiēdo de licētia Episcopi. Dicit quoq; Hostiensis quod olim nō fuit distinctio inter presby. & episcopos, quod intelligendū est secundū cōuenientiam nominis, & non re-

3. ¶Insuper

3. ¶Insuper status episcoporum altior est statu religiosorū. Nam secundū Diony. in genere perfectionis episcopi se habent vt perfectores, religiosi verò vt perfecti, agens autē patiente præstantius est, licet enim episcopi nō semper omnia pro Christo relinquant secundum actum, tamen secundum præparationē animi debent ad hoc maxime esse parati, si honor Dei & salus, siue necessitas commissæ plebis hoc exigat, nec obstat quod vita eorum est partim actiua & circa proximos occupata, debent enim ex contemplatione esse præcipui, secundum Grego. quatenus post contemplationem redeuntes impleant illud quod scriptum est: Memoriā abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt.

4. ¶At verò in presbyteris, curatis & archidiaconis tria cōsiderantur, scilicet status quia sunt seculares, ordo quia sunt sacerdotes siue diaconi, & officiū quoniā curam habent animarum. Secundum statum igitur religiosi excellunt eos, sed secundū alia quandoq; exceduntur, videlicet qui sacerdotes non sunt simpliciter tamē status religiosorū est dignior, quia perpetuo obligant se ad dei obsequium, perfectionisque studium, illi autem non obligant se ad perpetuam curā animarum sicut episcopi, habēt etiam curā animarum sub episcopo minus principalem ac particulatē, & ergo secundū iura religionem ingredi possunt. Difficilius quoq; est bene cōuersari in religione propter arctitudinem regulæ, quàm in seculari cura, licet quo ad exteriora pericula sit eo nuerso. Plus autem peccat sacerdos secularis aliquid agens sanctitati cōtrarium, quàm religiosus non sacerdos. Nam ratione ordinis addignissima deputatur Christi mysteria.

Vtrum liceat episcopatum appetere. 2. An finaliter recusare. 3. An oporteat ad episcopatum eligere meliorē. 4. An liceat episcopo religionem intrare. Arti. 237.

DEnique in episcopatu tria pēsantur, videlicet actio episcopalis qua aliorū saluti intēdit, & hoc est principale & finale in episcopatus ratione, quāuis autem alijs velle prodesse sit secundū se bonū & appetibile, tamē præsumptuosum illud videtur appetere, cū tali annexione alti gradus, vt est episcopatus, nisi instāte manifesta necessitate, propter quam dicit Apostolus. Qui episcopatū desiderat opus bonum desiderat, hoc enim (secundum Gregoriū) dixit, quando episcopi primi trahebantur ad martyrium,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tyrium, & nil poterat in episcopatu amati nisi opus bonum. Isaias etiam mitti voluit, quia (secundum Gregorium) se labiis pec̃ calculum altaris antè purgatum. Secundo considerat in episcopatu celsitudo gradus, quam appetere præsumptuosum existit. Tertio consideratur honor & reuerentia temporalium q; rerũ sufficientia in episcopatu, hæc verò optare ad cupiditatem ambitionemq; pertinet. Vnde Chrisost. dicit: Primatum honoris concupiscere vanitas est. Primatus enim se fugientem desiderat, Desiderantem se horret. Et Augustinus dicit in epistola ad Valerium: Cogitet religiosa prudentia sua nihil esse in hac vita, maxime hoc tempore, dulcius, laboriosius, periculosius, episcopi vel presbyteri aut diaconi officio, sed apud deum nil beatius, si eo modo maneatur quo noster Imperator iubet, quis ergo est (vt dicit Chrisostomus) qui primatum desiderat, nisi qui iudicium dei non timet?

2. ¶ At verò quanuis vnusquisque quantum in se est, episcopatum debeat recusare, non tamen hoc debet quando superioris authoritas præcipit, hoc enim charitati proximorum quã tenemur impendere, & humilitati quam superiori debemus derogaret, nisi habeat ineuitabile impedimentum, quod etiam allegare oportet.

3. ¶ Item, qui ecclesiæ de Episcopo prouidere habet, non tenetur eligere simpliciter meliorem, id est in charitate perfectiorem, sed meliorem quo ad regimen ecclesiæ, qui possit eam instruere atq; defendere, ac pacificè gubernare. Ex parte verò eius qui eligitur, non oportet quod se alijs meliorem reputet aut dignum se putet, sed sufficit si nihil in se inueniat per quod ei fiat illicitum prælationis officium sumere.

4. ¶ Porro perfectio Episcopalis status in hoc cõsistit, quod homo ex diuina dilectione se obligat proximorum saluti insistere. & ideo quãdiu potest illis proficere, non decet eum pastoralem relinquere, neque propter quietẽ contẽplationis diuinæ: si autem alijs nequit proficere, vel causa proprij defectus, vel ex parte aliorũ, tunc non licet claustrũ ingredi, sine dispensatione domini Papæ, qui solus potest in perpetuo voto dispensare, vt extra de renunciatione dicit Innocentius. 19. Prædictis verò impedimentis cessantibus, potest istum ad episcopatum assumi, quod nõ libet quando propter propriam culpam à præsulatu deponitur, & in claustro ad agendam pœnitentiam collocatur.

¶ An

¶ *An liceat ẽpiscopo propter persecutionem gregem relinquere*
2. An possit habere proprium. 3. An peccet mortaliter bona ecclesiastica pauperibus non erogando. 4. An religiosi facti episcopi teneatur seruare obseruantias regulares. Articulus. 238.

IN obligatione autẽ pẽsandus est finis obligationis, quoniam ergo obligat se episcopus ad actum pastoralis officij propter proximorum salutem, non debet gregem dimittere propter episcopale commodum, vel personale periculum, quando eius præsentia est subditis necessaria. Si autem per alium eius sufficienter prouidere queat, tunc potest corporaliter gregem suum deserere, maxime si ipse solus specialiter quæratur ab aduersarijs, vel propter commodum episcopale, quemadmodũ in epistola ad Honoratũ ait Augu.

2. ¶ Insuper quia paupertas ad supererogationem pertinet, non tenẽtur episcopi proprio carere, non enim obligant se ad hoc, & sancti episcopi, scilicet Athanasius, Ambrosius, Augustinus, & cæt. propria habuerunt. Nam perfectio essentialiter consistit in charitate, non in paupertate, sed potest cũ summa opulẽtia esse summa perfectio, vt patet in Abrahã.

3. Præterea, bona ecclesiæ ordinantur non tantum in pauperum vsus, sed etiam in cultum diuinũ & necessitatem ministrorum. Si itaque de his, quæ merito in vsum pauperũ cedunt, aliquid sibi retineat quod notabile sit, aut de his quæ alijs debita sunt iniuste agit, mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur. De his verò quæ tanquam propria possidet, & de parte ecclesiasticorum bonorum sibi debita potest disponere, sicut & alij de proprijs bonis.

4. ¶ Sciendum autẽ, quod religiosi in episcopos ordinati, tenentur ad illas obseruantias regulares quæ conditioni & executioni episcopalis status non repugnant, vt sunt cõtinentia, paupertas, habitus professionis, & alia quædam: quæ autẽ repugnant prædictis, vt sunt solitudo, silentium: longæ vigiliæ, ad illa non obligantur. In his verò ad quæ tenentur, dispensatione vti possunt sicut in clausturis.

¶ *An status religiosorum sit perfectus. 1. An religiosi teneantur ad omnia consilia. 3. Vtrum voluntaria paupertas requiratur ad religionem. 4. An continentia. 5. An obedientia. Articulus. 239.*

Est

EST autem religio virtus per quam aliquid deo offertur. Ideoque qui totam vitam suam dei obsequio mancipant, antonomatice religiosi vocãtur, de quibus ait Gregorius: Sunt quidam qui nihil sibi interpũ reseruant, sed sensum, linguam, vitam atque substantiã quam perceperunt omnipotenti deo immolant, propter quod religiosi in statu perfectionis consistunt.

2. ¶ At verò religiosus quilibet non tenetur ad vniuersa consilia, sed ad illa quæ suæ professioni ac regulæ congruunt.

3. ¶ Pertinet autem paupertas ad omnes religiosos. Nam temporalium rerum affectio, occupatio, & implicatio illam puram & amorosam vnionem mentis, ad quem tendit religio, impedit. Quia secundum Augustinum. Minus deum diligit qui aliquid cum eo amat, quod non propter deum diligit. Nam nutrimentum charitatis est diminutio cupiditatis, & perfectio eius est nulla cupiditas.

4. ¶ Item, vsus copulę carnalis retrahit animam à pura elevatione ac vnione in deo, tum propter delectationis vehementiam, tum propter solicitudines prouidendi vxori ac filijs, vnde continentia ad religionem concurrit.

5. ¶ Et quoniam finis religionis est, mentem deo cum sinceritate vnire, ideo obedientia quoq; exigitur, oportet enim aggredientes spiritale certamen & cõtinuantes illud, diligi a superiori velut à quodam magistro, & ad eius monitu arbitrium in agendis. Omnes autẽ monachi & etiam eremite tenetur obedire suo episcopo.

¶ Vtrum oporteat hæc tria sub voto cadere. 2. De sufficientia horum votorum. 3. De comparatione eorum ad inuicem. 4. An religiosus semper mortaliter peccet regulæ suæ statutum transgrediens. 5. An cæteris paribus plus peccet in eodem genere culpæ religiosus, quàm secularis. Art. 240.

QVontam autem status religiosorum perfectus existit, ideo necesse est vt religiosus obedientiam, paupertatem, & continentiã reprohibitat: quoniam obligatio necessaria est ad statum perfectionis, & cui præhabitum est.

2. ¶ Per has autẽ virtutes offert homo deo quicquid in rebus, in corpore & in anima habet, & maxima perfectionis impedimenta tolluntur, videlicet possessio rerum, concupiscentia fœminarũ, & ꝓpria volũtas, cuius obnegatio est acceptissima

deo, quia homo libertatẽ naturaliter maxime amat.

3. ¶ Horum quoque votorum potissimum est obedientiæ votum. Primo quia per eam melius bonũ, puta propria voluntas, deo immolatur. Secundo quia votum istud continet subse alia vota, nam continentẽ & pauperem esse, sub obedientia cadit. Tertio quoniam actus obedientiæ sunt magis spirituales & fini religionis propinquiores.

4. ¶ Porro obligatio horum trium cum mortali peccato dicitur, aliorum verò transgressio non obligat ad mortale, nisi propter contemptum. Votum enim principaliter respicit tria prædicta, quia religiosi non vouent omnia seruare quæ continentur in regula, sed regularem conuersationem, quæ essentialiter in tribus prædictis consistit.

5. ¶ Agnoscendum quoque quod religiosus grauius peccare potest quàm secularis eadem specie peccati vtpote citer. Primo si agat aliquid contra votum, scilicet fornicando aut furando. Secundo si agat ex contemptu. Tertio propter scandalum, quoniam plures vitam eius considerant, si autẽ religiosus aliquid mali committit, quod non est contra votum, non ex contemptu sed ex ignorãtia vel infirmitate, nec cum scandalo aliorum, sed quasi in occulto, minus peccat quàm secularis in eodem genere peccati, qui si peccatum eius est veniale, absorbetur à multis bonis quę facit, & si est mortale citius ab eo resurgit. Nam intentio eius citius reuocatur ad pristina secundum Originem. Iuuatur etiam à socijs quẽadmodum scriptum est. Si vnus ceciderit ab altero fulcietur. Infirmi verò non cito ex contemptu peccant, cum autẽ ex ignorantia vel infirmitate peccant, cito reparantur, sed si in contemptu cadant, pessimi & incorrigibiles fiunt.

¶ An liceat religiosis docere, prædicare, & similia facere. 2. An secularibus rebus sese intromittere debeant. 3. An teneantur manibus operari. 4. An possint de eleemosynis viuere. 5. An mendicare ipsis liceat. 6. An vilibus vestimentis portare. Articulus. 241.

DIcitur denique aliquid alicui esse illicitum dupliciter. Primo quia habet aliquid in se repugãs ei qđ dicitur non licere, sicut nõ licet irregularibus sacros ordines sumere, & sic non est religiosis illicitum prædicare atq; docere, quia ex voto, vel præcepto nõ astringuntur ab his, nec ratione religionis fiũt indigni,

sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed magis idonei propter vitæ sanctitatem. Secundo dicitur aliquid alicui illicitum, quia caret illo vnde illud posset. Sacerdoti diacono non licet celebrare, & sic religiosis non licet prædicare, quia status religionis non confert ipsis potestatem hoc faciendi. Possunt tamē facere ista si ordinem aut ordinatus iurisdictionem recipiant, vel si eis committantur quæ huiusmodi dictionis sunt.

2. ¶Insuper cum religionis status ad perfectionem ordinetur, quæ primo in dei dilectione, & secundario in proximorum affectu consistit, ideo religiosi præcipue deo vacare debent. Si autem necessitas proximis immineat, possunt se de rum negotijs intromittere, cū debito tamen moderamine, & cum superioris licentia, ex charitate, & non ex cupiditate ministrando, & seculares homines dirigendo.

3. ¶Porro labor corporalis ad quatuor valet, ad victū quærendum, ad otium euitandum, ad concupiscentiam refrenandam, & ad eleemosynas faciendas. Si ergo religiosi aliunde victum vestitumque habere prualeant, non tenentur manualiter operari, sicut nec diuites seculares. Victū quoque vtiliter potest per studium & meditationem scripturarum, ac diuinas, sed & caro maceratur sufficienter per ieiunia atque vigilias. Labor etiam non cadit sub præcepto secundū quod ad eleemosynas ordinatur, nisi forte in aliquo casu. Patet ergo quod per nullū prædictorū quatuor, ad quę labor corporalis refertur, teneantur religiosi manibus operari. Non enim tenentur manualiter operari nisi propter speciale statutum regulæ quam profitentur. Neque Apostolos præcepit corporalem laborem, nisi quibusdam propter speciales causas quæ in omnibus locum non habent.

3. ¶Adverò quod alicui liberaliter datur, de eo viuere licite potest, & ergo religiosi, quibus aliorum munificentia prouidit, de illorū eleemosynis viuere licite possunt sed quia deo eis eleemosynę dantur, quatenꝰ benefactoribus spiritualia bona rependant, ideo illicite eleemosynas eduntibus religionis desistant, defraudarent enim intentionem datorū. Quadrupliciter demū viuere possunt religiosi de eleemosynis quasi sibi debitis. Primo si prædicent. Secūdo si sint ministri altaris. Tertia si insistant studio scripturę propter vtilitatem communem totius ecclesiæ. Quarto si bona quæ habebant, claustro dederunt.

¶Am-

¶Amplius, circa mendicitatem duo perpenduntur. Vnum ex parte actus mendicantium, in quo actu propter suā abiectionem, & vilitatem potest cōsistere magna humilitas, & ergo contra superbiæ morbum quidā sancti leguntur mendicasse, vt Sanctus Alexius, sed circa hoc est discretio necessaria, ne homo notam, vel vitium cupiditatis aut simile quippiam indecens incidat. Secundo considerator mendicitas, ex parte eius quod mendicādo acquiritur, & sic potest homo ad mendicandum induci ex triplici causa, scilicet ex cupiditate ditandi, vel otiose viuendi, quod pessimum est. Secundo ex necessitate, quia aliunde non habet vnde viuat, & hoc licet. Tertio ex vilitate, videlicet quando occupatur circa quædam vilia ad quæ eleemosynis eget, sicut scholares mendicant quatenus studio sapientiæ vacent, & hoc modo tam secularibus quàm religiosis mendicare est licitum.

6. ¶Præterea habitus vilis atque incultus, si ex negligentia vel auaritia procedat, ad vitium pertinet. Similiter si propter ostentationem portetur. Si verò propter sui ipsius humiliationem, vel aliorum ædificationem portetur, est laudabile.

¶An sit tantum vna religio, vel plures. 2. An possit institui aliqua religio ad opera vitæ actiuæ. 3. An ad bella gerenda. 4. An ad prædicandum vel ad studium scientiæ. Articulus 242.

PRorro status religionis est quoddam exercitium, quo homo ad perfectionem charitatis exercetur. Diuersa autem sunt opera charitatis quibus aliquis vacare potest. Diuersi quoq, modi exercitiorū, & sic religiones dupliciter distinguuntur. Primò secundū ea ad quæ ordinantur, & hæc est formalis distinctio, quia à fine accipitur, vt eū vna ordinatur ad suscipiendos peregrinos, alia ad fidei defensionem. Secundo distinguitur secundum diuersitatem exercitiorum, quæ in regulis assignantur, & quibus diuersi diuersimode ad gratiam Dei se aptant.

2. ¶Insuper quoniā charitatis perfectio etiam ad proximos se extendit, subueniendo eorum necessitatibus, ideo apte instituta est quædam religio ad vitam spectans actiuam, videlicet ad hospitalitatem.

¶Conuenienter quoque est instituta quædam religio militaris, & propter fidei ac diuini cultus, atque reipublicæ, ac pauperum defensionem, non autem propter aliquid mūdanum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

hi tamen bellum non gerunt propria authoritate, sed principum siue ecclesiæ.

4. ¶Denique incomparabiliter rationabilius fuit ad prædicandum religionem instituí, quoniam zelus animarum est sacrificium acceptissimum deo, & maius est populum deo spiritualibus armis contra hæreticos, & dæmonum tentationes defendere, quã corporalibus armis Christi fideles tueri. Prædictos autem actus docendi, vel confessiones audiendi, prædicti religiosi non debent exequi indifferenter, sed secundum authoritatem, & commissionem ac moderationẽ superiorum vel episcopi, vel propij prælati.

5. ¶Præterea inter opera vitæ actiuæ illa potissima sunt, quæ ordinantur directè ad animarum salutem, vt prædicare, &c. studium autem literarum conuenit religioni triplicitèr. Primo quo ad vitam cõtemplatiuam dupliciter, scilicet directè inquantum intellectum illuminat. Secundo indirectè, remouendo contemplationis pericula, puta errores qui sæpe in contemplatione diuinorum illis accidunt, qui scripturas ignorãt, quemadmodum in collationibus patrum de abbate Serapino dicitur. Tertiò valet studium literarum religioni, congruit quo ad id, quod omni religioni commune est, valet enim ad vitandam carnis lasciuiam, & ergo Hieronymus dicit ad Rusticum: Ama studia scripturarum, & carnis vitia non amabis. Aufert quoque cupiditatem diuitiarum, & valet ad obedientiæ documẽtum. Quod verò ait scriptura: Quoniam nõ cognoui literaturã, &c. dictum est de litera veteris legis, de qua Apostolus: Litera, inquit, occidit: & sic non cognouere, est non approbare literalem circuncisionem, exercitia, & obseruantias carnales. Patet igitur quod cõuenienter potuit institui religio ad studium literarum.

¶ *An religio ad contemplatiuam vitam ordinata sit potior. 2. An habere aliquid in communi diuitiarum de perfectione religionis. 3. An religio solitariorum sit præferenda religioni in societate viuentium. Artic. 243.*

EXcellentia quoque vnius religionis super aliam ex fine potissime sumitur, secundario autem sumitur ex parte exercitiorum, quæ referuntur ad finem. Illa ergo religio potior est, quæ ordinatur ad dignorem finem. Opus autem vitæ actiuæ est duplex. Vnũ ex plenitudine contemplationis descendẽs, quemadmodum prædicare, docere, & hoc præfertur simplici contemplationi, quoniam maius est illuminare, quàm solum lucere. Aliud est vitæ operis actiuæ quod omnino in exteriori actu consistit, vt hospitio recipere, hoc autem contemplationi postponitur. Itaq; illa religio summa est, quæ ordinatur ad prædicandum, atque docendum, quæ etiam episcopali perfectioni est proptinquior, quæ verò ad cõtemplationem ordinatur, secundum obtinet locum, sed quæ circa exteriores actiones intendit, tertium locum sortitur.

2. ¶Insuper magnarum diuitiarum possessio, etiam in communi, perfectioni religionis multum derogat, & varias occupationes atque curas inducit, sed moderatæ diuitiæ perfectionem religionis non tollunt, neque impediunt in communi loquendo, tamẽ religioni quæ ordinatur ad militandum, curæ quæ diuitiæ congruunt in communi, illi verò quæ ad cõtemplationem refertur, mediocres, sed quæ ordinatur ad opera vitæ actiuæ ex contemplatione exorta, minimæ diuitiæ competunt, quorum ratio est, quia tanto plus impedit temporalium rerum solicitudo religionem quanto ad eam maior solicitudo spiritualium rerum exigitur.

3. ¶Amplius, sicut paupertas non est ipsa perfectio, sed perfectionis instrumentum: sic & solitudo non est perfectio solitudo autem non est instrumentum aptum actioni, sed cõtemplationi, & ergo non competit religionibus ad opera vitæ actiuæ ordinatis, nisi forte ad tempus. Considerandum autem quod solitarius debet esse sibipsi sufficiens quod pertinet ad perfectionem. Perfectum quoque est cui nihil deest. Ideo solitudo conuenit contemplanti perfectionem adepto, quod dupliciter accidit, scilicet ex solo munere dei, vt in Iohanne Baptista, qui puer ingressus est eremum, quia ex vtero matris erat spiritusancto repletus. Secundo cõtingit per exercitium virtuosi actus, in quo homo iuuatur per aliorum societatem dupliciter, scilicet quo ad instructionem intellectus ne bonmo seducat seipsum, & quo ad affectum, inquantum aliorum exemplo vitia reprimuntur, vnde vita socialis necessaria est ad exercitium perfectionis, sed solicitudo competit iam perfectis. Sicut ergo, id quod perfectum est præfertur ei quod ad perfectionem monetur, sic vita solitaria, si debito modo assumatur, præeminet vitæ sociali, si autem sine tali præcedenti exercitio assumatur, periculosissima est, nisi diuina gratia

Universidad de Deusto
Biblioteca

suppleat, quod alij per exercitium acquirunt, vt in Antonio Benedicto. Nec obstat prædictis, quod scriptū est: Melius est duos esse simul, nam hoc dicitur propter mutuum auxilium, quo perfecti non indigent.

¶ Vtrum nondum exercitati in præceptis Dei debeant religionem ingredi. 2. An liceat aliquem voto obligare ad religionis ingressum: & an sic obligati, teneantur intrare. 3. An vouentes religionem intrare teneantur in ea perpetuo remanere. 4. An pueri sint recipiendi. Artic. 244.

FRequenter prætactum iam reor quemadmodum religio sit quoddam exercitium ad adipiscendam charitatem perfectam, inquantum per obseruātias regulares charitatis impedimenta, id est terreni affectus, & ocasiones peccandi tolluntur. Cùm ergo ad perfectionem exercitij, & tendere competat nō tantùm iustis, sed etiam imperfectis, ideo illi qui nondum in obseruantia diuinorum mandatorum exercitati sunt, religionem ingredi possunt, quatenus peccādi occasiones deuitent, & ad virtutes magis proficiant.

2. ¶ Demique conueniens, & meritorium est, vt homo se ad religionis introitum voto astringat, tū quia vouere est actus virtutis, quæ appellatur religio, tum quia per votum firmatur voluntas vt imperpetuum Deo adhæreat.

3. ¶ Quoniam verò secundum præinducta, votum est promissio deo facta de his quę ad deum pertinent, quale est religionem intrare, ideo qui vouet religionem intrare etiam solo simplici voto, tenetur eā intrare, & altissimo vota sua reddere, & eo modo quo intendit se per votum obligare, sic tenetur exoluere, si enim absolute promisit, tenetur implere quo citius poterit, si verò ad certum tempus aut sub determinata conditione vouit, tenetur tempore aduenīēte, vel impedimento seu conditione cessante intrare, quod si absolute vouet claustrum introire, tenetur in ipso in æternum perseuerare, si eius intentio ad hoc ferebatur.

4. ¶ Præterea, si puer ante annos pubertatis, id est quatuordecim, votum simplex emittat de religione intranda, potest à patre reuocari, quia adhuc in parentum potestate, & cura existit. Si verò ante annos pubertatis sit doli capax, & vsum rationis perfectum habens, secundum conscientiam tenetur implere quantum in se est, & tamen à patre potest reuocari, nō autē obligatur quo ad deum ante plenum vsum rationis.

Aliud

Aliud demum est votum solenne, & talis voti professio nequaquam rata est, neq; effectum sortitur ante tempus pubertatis, etiam quauis in pueto ante prædictum tempus vsus rationis anticipetur, ecclesia nāque respicit quod in plurib⁹ accidit. Quauis autē pueri ante annos pubertatis profiteri nō valeant: Possunt tamen de parentum consensu in religione recipi, quatenus nutriantur in clausto, quod multum conueniens est, iuxta illud. Bonum est viro cū portauerit iugum domini ab adolescentia sua. Aduertendum quoque, quod votum religionis maius est voto peregrinationis terræ sanctę. Præsertim cum votum terræ sanctæ in ipsum commutari possit, vt Alexander tertius asserit, per ipsum enim consequitur homo omnium veniam peccatorum, quemadmodum in Vitaspatrum habetur, quod eadē sit gratia in religionis ingressu atque baptismo, totam enim vitam suam dedicat, & mancipat homo Dei obsequio religionem ingrediens.

¶ An propter parentum obsequium retrahi debeat homo à religionis ingressu. 2. An presbyteri, curati, vel archidiaconi, possint ingredi claustrum. 3. An possit aliquis de vna religione transire ad aliam. 4. An aliquis debeat alium ad religionis ingressum inducere. 5. Vtrum requiratur magna deliberatio cum cognatis atq; amicis ad religionis ingressum. Artic. 245.

POtro si parentes in necessitate cōstituti sunt, sic quod aliunde commode sustentari non possunt, nisi à filijs: tunc non licet filijs relicta cura parentum ingredi religionem: quemadmodum non licet parentibus religionem intrare non prouiso quomodo filij educentur. Si autem parentes filiorum subsidio non multum indigent, tunc possunt inuitis parentibus ingredi claustrum, quoniam post annos pubertatis, quinis ingenuus, est propriæ libertatis ac iuris in his quæ sunt sui status.

2. ¶ Præterea, quoniam presbyteri, & curati, & archidiaconi non obligantur ad curam animarum perpetua obligatione: Propterea religionem ingredi possunt, in qua perpetuo voto diuinis se mancipent, curam sibi commissam episcopo renunciantes. Istud autem præsuli non licet, sicut ostensum est.

3. ¶ Insuper non debet aliquis de vna religione se trāsferre ad aliam propter vitandum scandalum, & quia facilius profi cere potest in religione quā semel acceperit, cæteris paribus. Tamen propter magnam vilitatem, vel necessita em istud

laudabiliter fit, triplici ratione. Primo zelo perfectionis alterius religionis. Secundo si in prima religione remissius agere inchoent, tunc enim intrare potest aliam, quamuis minorem in qua laudabiliter viuitur. Vnde in Collationibus patrum Abbas Iohannes dicit, se à vita eremitica ad socialem rediisse, quia vita illa cœpit remitti tempore illo. Tertio propter infirmitatem seu debilitatem. In primo autē casu debet aliquis licentiam petere propter humilitatem, quę si negetur non potest si constet aliam religionem esse perfectiorem, si verò de hoc dubitatur, est superioris requirēdum iudicium. Similiter in secundo casu agendum est. Sed in tertio dispensatio est necessaria.

4. ¶ At verò maximè meritorium est alium ad religionis ingressum inducere. Sed si hoc per violentiam, vel simoniam, aut cum mendacio fiat, illicitum erit.

5. ¶ Consilia autem cum amicis, & deliberatio adhibenda sunt in dubijs rebus. Sed religionis ingressus est de se bonus & euidēter ac certe approbatus. Et ergo non est quo ad hoc cum amicis consulendum, vel deliberandum. Sed circa religionem tria possunt attendi. Primo ipse ingressus, & de hoc non est dubitandum, quin de se bonus constitat. Secundo ingressus per comparationem ad vires hominis. Et sic iterum non est dubitandum nec consulendum, non enim suis viribus, sed diuinæ misericordiæ opi debet homo innixi, nisi forte habeatur speciale nocumentum, vel corporalis debilitatis vel debiti: tūc enim requiritur deliberatio atq; consiliū cum his, de quibus speratur quod prodesse velint, & nō impediant. Tertio considerari potest modus religionem intrādi, vel species id est, quam religionem melius intret. Et de talibus potest haberi consilium cum his, qui non impediunt. Omnino autem deliberare non congruit, an deo seruiendum sit, sed de qualitate, & modo discretio est habēda, quatenus ad omnium remuneratorem bonorum mereatur homo perduci. Qui est omnis intellectualis creaturę creator & iudex, deus sublimis, & benedictus, Amen.

Summæ fidei orthodoxæ, libri tertij Finis.

D. DIO-

D. DIONYSII CARTHVSIANI IN LIBRVM QVARTVM SVMMÆ FIDEI ORthodoxæ: in quo de incarnatione agitur Christi, de vnione duarum in Christo naturarum, de Christi scientia, potentia ac sacerdotio. De beatæ Mariæ virginis sanctificatione, desponsatione & annuntiatione. De saluatoris nostri conceptione, natiuitate, manifestatione, baptismo, miraculis, prædicatione, passione, morte, resurrectione, & ascensione. De sacramentis nouæ legis puta baptismi, confirmationis, eucharistiæ, pœnitentiæ, vnctionis extremæ, ordinis & matrimonij.

PRAEFATIVNCVLA.

BEatus homo, qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia. Vir enim eruditus suauitę est animæ suæ. Qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur. Sed quæ est vera atque salubris sapientia, nisi cognoscere Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam? Vnde Apostolus: Non iudicaui me, inquit, aliquid scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Verum quia in Christo sunt duæ naturæ illa eius cognitio qua secūdum diuinam naturam cognoscitur, præfertim sapientia nominatur: quanquam & humanæ naturæ eius cognitio sapientia dici possit. Tota enim Theologia, quæ maximè sapientia appellatur, circa diuinitatem Trinitatis, humanitatemque Christi præcipuè occupatur. Itaque postquam primum librum Summæ huius, qui de vnitate dei, & Trinitate personarum creationeque mundi & angelis, ac primis parentibus, tractat: secundum quoque, qui de vitijs atque virtu-

cutibus, in communi determinat: & item tertium, qui de virtutibus, vitijs, donis & fructibus ac alijs multis in speciali tractat, percurrendo compleui: nunc simili modo quartum consideraui, percurrendo compleui: nunc simili modo quartum collegi. De huius totius operis Summę imperfectione indulgendum est mihi, eo quod festinantissimè, & intra nouem menses circiter istud compleuerim.

¶ Vtrum conueniens fuerit Deum incarnari. 2. An fuerit necessarium ad redimendum genus humanum. 3. An Deus carnem assumpturus fuisset, non existente peccato. Articulus 1.

COnueniens autem alicui dicitur, quod ei secundum proprietatem ac rationem suæ naturæ est cõperens: vt discernere rationi. Deus verò est naturaliter bonus, & ipsa bonitatis essentia, secundum Dionysium primo capitulo de diuinis nominibus. Ratio autem actiu proprietas boni est, esse sui diffusiuum, & communicatiuũ. Cum ergo sit Deus summe bonus, cõueniens fuit, vt se suæ creaturę summè communicaret. Quod maximè factum est per hoc quod eam ad propriam personalitatẽ assumpsit, vniendo sibi naturam humanã in vnitate personæ. Conueniens ergo fuit Deum incarnari. In incarnatione enim Dei manifestatur bonitas eius, eo quod proprij plasmatis infirmitatem non spreuit: sapientia, quia difficilimi decentissimam solutionem inuenit: potentia, quod tam distantia in vnitate personali connexit: iustitia, quia non alium fecit superare tyrannum, nec vi ereripuit hominem. sed sicut homo victus est, sic homo vicit. Secundum Damascenum libro tertio. Denique necessarium dupliciter dicitur. Primo sine quo aliquid fieri nequit: vt homo sine anima. Et sic Deum incarnari non fuit necessarium. Potuit namque Deus alijs modis redimere hominem. Secundo necessarium dicitur, sine quo res cõuenienter, & apte esse non potest: & sic necessarium fuit Deum incarnari. Per hoc potissimè roboratur fides quod ipsemet Deus loquitur, & testatur. Per hoc quoq; maximè erigitur spes, & accenditur charitas, quod Deum pro nobis incarnatũ ex nimia sua dilectione cognoscimus. Per incarnationem etiam, & conuersationem verbi incarnati præsertim præbetur nobis vitæ, & sanctitatis exemplum. Sed & per eius incarnationem efficimur filij dei, imo diuinæ consortes naturę. Quoniã enim tota natura erat peccato corrupta, non potuit aliquis purus homo, imò nec multi simul pro tota natura satisfacere: cum & natura sit in-

infinitum cõmunicabilis: & peccatum infinitæ grauitatis sit, eo quod contra Deum immensæ dignitatis committitur.

3. ¶ Præterea aliqui asserunt, quod quauis homo non peccasset, Deus tamen ex nimia sua charitate incarnatus fuisset. Sed quoniam incarnatio Dei ex sola sua bonitate, & voluntate facta est, ratione inuestigari non potest, sed per hoc solum cognoscitur, quod in scriptura nobis deo reuelante aperitur. Cum ergo in sacra scriptura ratio incarnationis vbiq; ex primi parentis peccato allignetur, probabilius est, quod alij dicunt, videlicet quod deus non fuerit carnem assumpturus, nisi homo peccasset. Vnde in libro de verbis Domini ait Augustinus: Si homo non peccasset, filius hominis (id est, Christus) non venisset. Et alibi: Nulla causa veniendi fuit Christo domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos ac vulnera, & nulla erit medicinæ causa.

¶ An Deus principaliter incarnatus sit ad tollendum peccatum originale, vel actuale. 2. Cur non fit incarnatus à principio mundi, nec in termino eius. Articulus 2.

VEnit præterea filius Dei non solũ ad tollendũ peccatum originale, sed etiam actuale imo, vt omnia peccata auferret: quia exhibuit, quod ad omniũ peccatorum delectionem sufficiens est. Sed quia propter peccata mundi tollenda aduenit, idcirco quanto peccatum est grauius, tanto principalius propter ipsum venit Christus. Qua vnum peccatum est grauius alio dupliciter, scilicet intensiuè, & extensiuè. Cùm ergo peccatum actuale sit magis voluntarium quàm originale, est intensiue grauius eo. Sed originale, quia traducitur ad posteros, omnesq; inficit, extẽsiue est maius actuali peccato, & quãtum ad hoc principaliter propter ipsum venit Christus, qui totum genus humanum liberare volebat. Nam bonum cõmune diuinius est bono singulatis personæ, ad quam pertinet peccatũ actuale. Sed quia etiam actualia peccata tollere venit (omnia enim peccata dimittuntur virtute meriti Christi) Chrysostomus secundo de compunctione cordis testatur: Hic est effectus serui fidelis, vt beneficia domini sui, quæ cõmuniter omnibus data sunt, quasi sibi soli præstita reputet. Quasi enim de se solo loquẽs Paulus ita scribit. In fide viuo filij Dei qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

2. ¶ Denique noluit deus à principio mundi peccato com-

missō mox incarnari. Homo enim per superbiā cecidit. Erat ergo ad humilitatem reducēdus. Et ideo deus reliquit hominem primò legi naturæ, vt experiretur sibi illam nequaquam sufficere. Postea dedit ei legem scriptam, quę nec ipsa sufficeret, quoniā gratiā non contulit. Cum itaq; homo in vtraq; lege defecit, opportune venit Christus. Et iterum, quia quo maior iudex aduenit, eo præconū longior series præcedere debuit. Connaturale quoque est homini, vt non subito, sed paulatim ab imperfecto ad perfectionē perueniat. Et ergo Christus statim post peccati lapsum non venit. Similiter noluit deus incarnationem suam vsque ad finem mundi differre, ne Dei cognitio & reuerentia, morumq; probitas pœnitus in hominibus deficerent atque perirent.

¶ Vtrum vnio verbi incarnati sit facta in natura. 2. An sit facta in persona. 3. An etiam in supposito, vel hypostasi. 4. An persona Christi sit composita. Articulus 3.

NAtura verò, modo de ea sit sermo, accipitur pro essentia. Sic enim diffinit eam Boëthius in libro de duabus naturis Christi: Natura est vnamquamque rem informans specifica differentia. Sic autem sumendo naturā dici nō potest, quod vnio verbi cū homine sit facta in natura, quod ex natura diuina atq; humana sit facta vna natura. Tripliciter enim fit vnū ex duobus, vel pluribus. Primo sic, quod illa duo integra, & perfecta intransmutataq; permanent. Talis autem vnio non est nisi eorum, quorū forma est compositio, figura, vel ordo: sicut ex multis lapidibus fit acervus, ex lignis verò & saxis fit domus. Talis autem nō est vnio verbi cum natura assumpta. Nam compositio, figura & ordo sunt solùm accidentales formæ. Vnio autem dei, & hominis est per se, & eius quod est verè vnum. Secundo fit aliquid vnum ex pluribus transmutatis quemadmodū ex elementis fit mixti. Talis verò nō est vnio verbi cum homine, quia natura diuina inuariabilis, & intrāsmutabilis est. Ité mixtū nō est eiusdē naturæ cum aliquo miscibiliū, nō enim carō est terra, aqua, vel ignis. Si ergo vnio ista esset per commixtionē naturarum, nō esset Christus eisdem naturæ cū patre vel matre: sic non esset deus nec homo. Tertio fit ex pluribus vnum, sic quod illa non transmutantur à sua natura, sed remanent imperfecta sicut ex forma atq; materia constat compositum, & corpus ex membris. Talis verò esse nō valet vnio dei cum

cum homine, quia in Christo vtraq; natura est secundum se perfecta, nec diuina natura esse potest pars alicuius cōpositi. Rursus in tali vnione ipsum totum est alterius naturæ à qualibet parte, seu quolibet, ex quibus resultat. Et sic Christus nec esset naturæ diuinæ neq; humanæ, sed tertiæ ex vtraque prouenientis. Prædictarum ergo vnionum assertores in Christo, velut hæretici sunt spernendi. Vnde id determinatione Chalcedonensis Concilij dicitur: Confitemur in nouissimis diebus filium dei vnigenitum inconfuse, immutabiliter, indiuise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter vnionem.

2. ¶ Porro in quibusdam persona nil reale superaddit naturæ, præsertim in deo, & in talibus distinctio naturæ à persona est solùm secundum rationem. Dicitur enim persona, inquantum est per se subsistens: natura autem, inquantum est essentia quæ est ratio subsistendi. Cùm ergo vnio verbi cum homine non sit facta in natura, oportet vt sit facta in persona: sic, quod vtriusq; naturæ sit vna personalis subsistentia, & ex verbo ac homine constat vnus Christus in vnitate personæ. Aduertendum quoque quod secūdum Damascenum verbum assumpsit naturam humanam, non in vniuersali. Sic enim vnicuique homini competeret esse dei verbum, vt Christo. Sed in atomo, id est individuo. Non enim quodlibet individuum in genere, substantiæ vel intellectualis naturæ habet rationem personæ, sed solum illud quod per se existit. Nō autem quod in alio perfectioni existit, quemadmodum manus Pauli quamuis sit quoddam individuum, nō est tamen persona. Quia non existit in se sed in alio perfectioni videlicet suo toto. Quamuis ergo natura humana in Christo sit individuū quoddam, quia tamen non per se separatim existit, sed in alio perfectioni, vtpote in persona verbi, non habet personalitatem propriam nec est per se persona. Et ergo vnio facta est in persona.

3. ¶ At verò sicut conceditur vnio vtriusque naturæ in Christo facta in persona, ita conceditur facta in supposito atque hypostasi. Hypostasis nāque est magis commune quàm persona, sed persona nō addit super hypostasim, nisi quod solum dicitur in his, quæ sunt intellectualis naturæ. In eodem verò non differunt realiter magis commune, & minus commune. Vnde oppositum affirmantes in Concilio Constantinopolitano

Universidad de Deusto
Biblioteca

politano sunt damnari.

4. ¶Insuper persona seu hypostasis Christi cõsideratur dupliciter, scilicet secundum id quod in se est, & sic est omnino simplex, quemadmodum essentia verbi. Secundo secundum rationem personę, ad quam pertinet in aliqua natura subsistere: sicque persona Christi in duabus naturis subsistit. Et quamuis sit ibi vnum subsistens, ratio tamen subsistẽdi est alia. Vnde persona dicitur hoc modo composita, inquantum vnũ subsistit duobus. Propter quod Damascenus tertio libro ait: In domino Iesu Christo duas naturas cognoscimus, vnã autem hypostasim ex vtrisque compositam.

¶An in Christo sit aliqua vnio animæ, & corporis. 2. An natura humana sit verbo accidentaliter vnita 3. An vnio illa sit quid creatum. 4. An sit idem quod assumptio. Artic. 4.

DE ratione denique hominis est, constare ex anima rationali, & corpore sibi vnitis, ad constituendam vnam naturã in specie perfectam. Anima enim est corporis forma. Forma verò non ponit materiam in specie nisi adinuicem copulentur. Falsa est ergo positio, quæ ait in Christo non esse sibi conuita corpus & animam, separatim vtrumq; diuinitati vnitum. Sic enim Christus non esset vniuoce homo cum alijs hominibus, nec haberet corpus animatum. Quanuis autem in Christo sint sibi cõiuncta corpus & anima, non tamen ex vnione illa resultat esse personale seu persona naturæ humanæ, quia simul vtrumq; in ipsa mutua vnione assumptum est ad subsistentiam verbi, nec propriæ personalitati relictum.

¶Porro quidam hæretici in Christo confundunt naturas, decẽtes vnam naturam ex diuinitate, & humanitate effectam vt Eutices & Dioscorus, quod improbatum est.

2. ¶Alij, vt Nestorius atq; Theodorus Monoschei in Christo separauerunt personas dicẽtes: Verbum hominꝫ vnitum secundum inhabitationem velut in templo, & secundum coniunctis conformitatem specialemq; gratiam. Sed sic vnio verbi cum humana natura in Christo erit solummodo accidentalis, sicque deus non esset veraciter homo factus, quod asserere est totam Catholicam fidem oburere. Quod verò ad Philippenses secundo ait Apostolus: Habitu inuentus est ut homo, non est intelligendum quantum ad accidentalem vnionem,

vnionem, sed secundum quandam assimilationem. Sicut enim homo per habitum id est vestimentum videtur: sic Christus per assumptam naturam apparuit. Et sicut vestimentum mutatur, & figuratur secundum figuram induti sine variatione induentis: sic sine mutatione filij Dei natura humana assumpta est, & diuinitati aptata. Cùm ergo natura humana sit verbo in personali vnitate coniuncta, non est accidentaliter ipsi vnita.

3. ¶Præterea vnio de qua nunc tractatur, est quædam relatio inter naturam diuinam, & humanam. Prout conueniunt in vna persona filij Dei. Omnis autẽ relatio inter creaturam & deum, ex parte creaturæ realis est, & ei realiter inest, per cuius mutationem innascitur. Sed in deo, qui incommutabilis, atque independens est, non est nisi secundum rationem. Vnio ergo prædicta non est in Deo realiter, sed secundum rationem, sed in natura humana realiter est. Patet igitur, quod sit aliquid creatum.

4. ¶Porro omnis relatio, quæ ex tempore incœpit, per quandam mutationem innascitur. Mutatio autẽ in actione, & passione consistit. Prima itaque, & principalis distinctio inter assumptionẽ, & vnionem est, quod vnio est ipsa relatio. Assumptio autem est actio, per quam aliquid vocatur assumens vel passio, qua dicitur assumptum. Secunda distinctio ex prima proceden est, quod assumptio dicitur vt in fieri: vnio verò sicut in facto esse. Ideirco vniens dicitur vnitum. Nam deus vniuit sibi naturam humanam, & ipse vnitus est ei. Sed assumens non dicitur assumptum, deus enim humanitatẽ assumpsit, sed non est ab humanitate assumptus. Tertia quoque distinctio ponitur, quia relatio, maximè æquiparantiæ, non magis concernit vnum extremum quàm aliud, actio autem & passio diuersimodè se habent ad agens, & patiẽs, terminosq; Assumptio ergo determinat terminum à quo, & ad quem. Dicitur autem assumptio, quasi ab alio ad se sumptio. Vnio verò nihil horum includit, propter quod indifferenter dicitur natura diuina vniens & vnita, non autem nominari potest assumpta, sed solùm assumens.

¶Vtrum vnio verbi cum homine sit maxima vnionum. 2. An sit facta per gratiam 3. An merita eam præcesserint. 4. An gratia fuerit Christo homini naturalis. Art. 5.

Vnio

VNio insuper incarnationis dupliciter accipi potest. Primo ex parte eorum quæ coniunguntur. Et sic habet maximam vnitatem. Quia vtraq; natura manet distincta. Secundo ex parte eius in quo vnitur. Et sic præminet iam habet inter omnes vniones. Quoniam vnitas personæ diuinæ, in qua vniuntur, est maxima. Vnde primo de trinitate asserit Augustinus, Homo potius est in filio, quàm filius in patre.

2. ¶ Amplius gratia dupliciter dicitur. Vno modo ipsa Dei voluntas gratis aliquid faciens, seu gratum atque acceptum aliquem habēs. Et sic vnio incarnationis est facta per gratiam, sicut & vnio sanctorum per dilectionem. Secundo dicitur gratia donum Dei gratuitum. Sicque vnio ista non est facta per aliquam gratiam habitualem: quamuis hoc ipsum quod est naturam humanam deo esse vnitam, gratia appellari possit, eo quod sine præcedentibus meritis sit ei collatum. Creatura namque dupliciter deo vnitur, videlicet per operationem, prout sancti deum cognoscunt ac diligunt, & hoc ut per gratiam habitualem. Secundo vnitur deo in esse personali, quod soli Christo donatum est, in quo natura humana supponitur in esse diuino, quod autem natura habet esse in suo supposito non fit aliquo habitu mediante.

3. ¶ At verò quia in eodem instanti, coniuncta est verbo humanitas Christi, quo in vtero virginis facta est, sic quod nunquam fuit sine vnione cū verbo, nulla operatio nullumque meritum hominis Christi, vnionem incarnationis præcessit, sed nec aliorum hominum merita eā ex condigno meruerunt. Nam incarnatio Christi est totius humanæ reformatiua. Et ergo nullus particularis purusque homo eam promereri. Item gratia non cadit sub merito, cum sit meriti principium. Incarnatio autem est principium gratiæ. Iuxta illud Ioannis primo: Gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Nō ergo cadit sub merito. Rursus meritum ordinatur ad beatitudinem, quæ est dei fruitio & præmiū meriti. Vnio autem incarnationis est in esse personali, quæ excedit omne meritum, & vnionem in actu fruitionis consistentem. Non ergo sub merito cadere potest. Verumtamē patres antiqui ex congruo meruerunt per sancta desideria & alia bona, vt vnio incarnationem. Sic quoque beata virgo dicitur meruisse concipere, & portare dominum Christum: non vtique ex condigno,

quo, sed secundum congruentiam quandam, propter excellentiam gratiæ, & sanctitatis ac puritatis suæ.

4. ¶ Porro natura dicitur vno modo natiuitas rei, secundo dicitur natura essentia eius. Sumendo igitur naturale à natura primo modo accepta, sic naturale alicui dicitur quod ab ipsa natiuitate habet, quemadmodum ait Apostolus ad Ephesios 2. Eramus natura filij iræ. Et Sapientiæ duodecimo. Nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum. Et sic gratia Christi tam vnionis quàm habitualis dicitur Christo naturalis, quoniam ab instanti conceptionis fuit natura humana gratia plena ac verbo vnita. Sumendo autem naturale à natura pro essentia sumpta, illud dicitur naturale quod ex natur alibus inest principijs, vt naturale est graui deorsum moueri. Sic verò nec gratia vnionis nec habitualis est Christo naturalis ex parte naturæ humanæ, sed diuinæ: quæ sola est conditrix gratiæ & eius origo. Sic igitur patet, quomodo accipiendum sit verbum Augustini in Enchirid. In susceptione naturæ humanæ fit gratia quodammodo illi homini naturalis, qua nullum possit peccatum admittere.

¶ An assumere competat diuinæ personæ. 2. An conueniat diuinæ naturæ. 3. An persona possit assumere personalitate abstracta. 4. An vna persona possit assumere sine alia. Artic. 6.

ASsumptio deniq; duo importat, videlicet principium actus, & terminum eius. Cùm ergo agere sit suppositorum, & vnio verbi cum homine facta sit non in natura, sed in persona, sicut ostensum est: sequitur, quod assumere competat propriè diuinæ personæ.

2. ¶ Et quia natura est agendi principium, ideo diuinæ naturæ conuenit assumere, considerando assumptionem prout dicitur principium actus. Nam virtute diuinæ naturæ illa assumptio facta est. Quātum verò ad terminum assumptionis, non conuenit diuinæ naturæ assumere, quia assumptio non terminatur nec facta est in natura secundum seipsam, sed in ratione personæ, quæ in natura subsistit. Proprissime ergo assumptio conuenit personæ. Secundario autem naturæ. Et sic etiam diuina natura dicitur incarnata, quoniam carnis naturam assumpsit. Vnde Damascenus. Dicimus, inquit, diuinam naturam incarnatam esse, secundum beatos Athanasium, & Cyrillum.

3. ¶ Porro cum deus sit summè simplex, non potest intelle-

ctus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctus creatus aliquid remouere à deo, quin totum remoueatur quantum est ex parte rei intellectæ. Sed quoniam non possumus deum cognoscere sicuti est in seipso, sed secũdum quod in creaturis relucet eius perfectio per modum diuisum atq; multiplicẽ: ideo per intellectum personalitate abstracta possumus intelligere personam assumentem. Tres enim sunt relationes personales, videlicet paternitas, filiatio, processio, quibus abstractis remanet omnipotentia, per quã secundum Augustinum incarnatio facta est. In diuinis enim sunt idem quod est, & quo est. Et ergo quicquid in deo in abstracto considerabitur aljs seclusis, est aliquid subsistẽs: & per cõsequens persona, cum sit in intellectuali natura. Sicut ergo nũc positis proprietatibus personalibus ponimus tres personas: ita eisdem proprietatibus per intellectũ seclusis, manet in cõsideratione nostra natura diuina vt subsistens, & vt persona. Remanet enim post talem abstractionem vna personalitas Dei, eo modo quo Iudæi intelligunt Sicq; ratione huius subsistentiæ personalis natura diuina posset assumere.

4. ¶ Insuper vnaquæque diuina operatio ad extra est tribus personis communis. Sicut enim trium personarum est vna essentia: sic opera trinitatis sunt indiuisa. Vna ergo personarum diuina non potest assumere sine alia, secundum quod assumptio dicit actum assumentis. Actus enim ille ex diuina virtute procedit, quæ tribus personis est communis. Sed prout assumptio dicit terminum huius actus, sic vna persona potest assumere sine alia. Imo sic solus filius assumpsit, quoniã personalitates sunt distinctæ.

¶ An alia persona diuina, quàm filius posit assumere. 2. An plures personæ possint assumere vnam naturam numero, vel vna persona duas naturas. 3. Cur magis conueniat filio incarnari. Articulus 7.

NOmen igitur assumptionis duo includit, videlicet principium actus, & terminum eius. Dicitur enim assumere aliquid ad se sumere. Cùm ergo triũ personalitatem habeat, sicq; eadem ratio personalitatis in eis sit vna potestas, & vnaquæque propriam personalitatis in eis bus: quamuis proprietates personales distinctæ sint: sequitur quod eadem ratione qua filius potuit assumere, pater quoq; & spiritussanctus assumere possit. Nã quod pater dicitur innascibilis, intelligendum est de natiuitate æterna: qui si incarnaretur & filius fieret, non esset in eo personarum confusio. Temporalis enim filiatio non constituit diuinam personam, sed est aliquid consequens temporalem natiuitatem.

2. ¶ Quoniã itaq; in Christo non fit noua persona ex vnione carnis & animæ: Sed fit vna natura assumpta in diuinam personam per omnipotentiam diuinæ virtutis, quæ in tribus vna est. Idcirco plures imo tres personæ possunt assumere vnam naturam. Nam secundum Augustinum in Epistola ad Volusianum. In mysterio incarnationis tota ratio facti est potentia facientis. Impossibile tamẽ est, vt vnam personã vel vnum suppositum assumerent, secũdum Anselmum libro de conceptu virginali. Hac autem positione stante verum esset dicere, quod tres personæ essent vnus homo propter vnitatẽ naturæ assumptæ: quemadmodum verum est, quod tres sunt vnus deus ratiõe vnitatis essentiæ. Nam dictio vnus importat vnitatem naturæ, nõ personæ: tunc enim natura humana esset assumpta in vnitate nõ vnius personę, sed in vnitate singulari personarũ, sic quod sicut diuina natura habet naturalem vnitatem cũ singulis personis: ita natura assumpta haberet vnitatem trium cum singulis per assumptionem.

¶ Amplius cũ virtus diuina sit illuminata, & diuina persona incomprehensibilis & incomprehensa, non possumus dicere, quod filius sic vnam naturam assumpsit, quod aliam non posset assumere, nec ex parte actus assumptionis propter suę potentiæ immẽsitatem. Nec ex parte termini assumptionis, quia personalitas diuina comprehendi vel coarctari non valet à natura creata. Vna ergo diuina persona posset plures naturas assumere, nõ tamẽ vna persona esset plura suppositа seu multæ personę. Quoniã dictũ est, quod natura creata à deo assumpta nõ affert nouã vel propriã personalitatẽ. Imo si vna persona duas naturas humanas assumeret, non esset duo homines, sed vnus homo, ppter vnitatẽ suppositi habentis duas naturas humanas: quẽadmodũ homo duobus vestimẽtis indutus non dicitur duo vestiti, sed vnus vestitus. Nũ quã enim apud nos nomen ab aliqua forma impositũ plura liter dicitur, nisi ob pluralitatem suppositorum.

3. ¶ Præterea quoniam filius Dei est exemplat & ars atque conceptus mentis paternæ, ad cuius mutationem omnia facta sunt in esse naturali ac mobili, sic decuit per eũdem omnia reformari per personalem vnionem, sicut omnia per ip-

sum creata consistunt. Item verbum seu filius Dei cū sit sapientia & veritas patris, habet specialem conuenientiam cū humana natura, quæ rationalis est, & cuius perfectio in veritatis cognitione consistit, & in participatione sapientiæ dei. Decuit ergo ponissime filium dei hominem assumere atq; re dimere. Rursus finis incarnationis est impletio prædestinationis, videlicet vt homines ad adoptiuā dei filiationē perducantur; ad quam maxime decet eos reduci per filium verum & naturalem. Homo etiam peccauit scientiam inordinare desiderans, cōuenientissime ergo ad veram scientiam reducitur per eum, de quo Ecclesiastici primo habetur: Fons sapientiæ verbum dei in excelsis.

¶ *An humana natura fuit magis à filio dei assumptibilis quàm aliqua alia natura. 2. An verbum assumpserit personam. 3. An deus assumpserit hominem. Articulus. 8.*

Dicitur autem aliquid assumptibile, quasi aptitudinē habens vt assumatur ab alio. Natura verò creata non est à deo assumptibilis per aptitudinē passiuam naturalem, quia assumptio talis, omnem naturalem dignitatem ac modum transcendit. Natura ergo assumptibilis est à deo secundum congruentiam quandā, quæ in natura humana secundum duo pensatur, scilicet secundum dignitatem, quoniam homo est intellectualis naturæ, potens immediate per operationem deum attingere cognoscendo atque amando. Et secundum necessitatē, nam propter originale peccatum indiguit homo liberatore. Cum ergo rationabilibus desit cōgruentia dignitatis, Angelis autem congruentia necessitatis: sequitur quod sola natura humana sit assumptibilis. Quanuis secūdum absolutam dei potentiam aliæ naturæ assumi possint à deo. Irrationales tamē creaturæ quoniam congruentiam non habent, vt deum agendo contingant, multo minus congruēciam habent, vt ad esse personale diuinum assumantur.

2. ¶ Præterea id quod assumitur, necesse est præintelligi assumptioni, assumptio autē naturæ humanæ à verbo terminatur ad esse personale verbi, nec præsupponit aliquam personalitatē. Imo si personalitas aliqua præesset, oporteret eā corrumpi, cum nō sint in Christo duæ personæ. Assumpsit ergo deus naturam humanā & nō personā. Sed Damascenus testatur, deus assumpsit naturam humanam in individuo, quod nō est

est aliud ab increato suppositō seu verbi persona.

3. Insuper hoc nomen homo designat naturam humanā, prout nata est esse in supposito, seu eum qui habet naturam humanam. Cum ergo id quod assumitur, non sit terminus assumptionis, sed eam secundum intellectum præcedat, cōstat quod talis locutio: Deus assumpsit hominē, & sibi cōsimilis, non sit propria nec extendenda, sed pie exponēda cū à sacris doctoribus posita inuenitur. Vnde Felix Papa & martyr, ait quod etiā in Ephesina Synodo introducitur: Credim⁹ in dominū nostrū Iesum Christū de virgine matre natū, quia ipse est sempiternus dei filius, & nō homo à deo assumptus vt alter sit præter illum. Et ergo filius dei quanuis sit homo, nō tamen est homo quem assumpsit, sed cuius naturam assumpsit.

¶ *Verum fuisset conueniens, quod deus assumpsisset naturam humanam separatam. 2. Vel in omnibus fuit individuis existentem. 3. Vel in aliquo non procreato ex primo parente. Articulus. 9.*

Quanuis præterea natura humana esset realiter à singularibus separata, sicut Platonici asserunt: nō tamen fuisset conueniens eam à verbo assumi. Nam illa assumptio terminatur ad esse personale verbi. Sed contra rationem talis naturæ communis est, sic in persona quacunque individuari. Item natura talis separata non haberet nisi operationes naturales atque communes, secundum quas homo nec demereretur, neque meretur. Christus autē venit vt pro nobis suo merito satisfaceret deo. Rursus natura talis separata non est sensibilis nec materialis, sed tātum intelligibilis, secundum Platonem. Christus autē venit vt inter homines conuersaretur. Iuxta illud Baruch quarto: Post hæc super terram visus est, & cum hominibus cōuersatus est. Quidam tamen affirmant, quod Plato non posuit hominem separatum, nisi in intellectu diuino.

2. ¶ Porro non congruebat, vt filius dei naturā humanam in omnibus existentem assumeret: sic enim tolleretur pluralitas suppositorum speciei humanæ, cum natura non multiplicetur nisi prout in diuersis suppositis inuenitur. Secundū hanc quoque positionē, omnes homines essent in dignitate æquales, & sic Christ⁹ nō esset primogenit⁹ omnis creaturę.

3. ¶ Amplius sicut asserit Augustinus, decimoquarto de Trinitate, potuit deus assumere hominem aliūde quàm ex Adā. Sed melius iudicauit, vt de genere victo, victorē susciperet,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et hoc propter tria. Primo ad declarandū iustitiam: quatenus ille vinceret qui fuerat victus. Secundo, propter dignificationem naturæ humanę, quæ per dei incarnationem sublimis effecta est. Tertio, quia per hoc dei potentia manifestatur præclarè, quod ex natura corrupta atque infirma, assumpsit id quod in tantā virtutem ac dignitatem est promotum.

¶ An filius dei assumpserit verum corpus. 2. An corpus terrenum. 3. An animam & intellectum assumpserit. Articulus. 10.

DEnique cum iam ostensum sit, quod verbum veram naturam humanā assumpsit, consequens est quod verum corpus assumpserit, quoniam corpus est de ratione hominis. Item si non assumpsit verum corpus, ergo nec verè passus & mortuus est, nec veraciter genus humanum redemisset. Rursus cū Christus sit veritas, nō decuit in operibus eius esse fantasticū quicquam vel fictum.

2. ¶ Ex eisdem quoque rationibus patet, quod corpus terrenum, id est carnem & sanguinē, & non corpus cœleste, vt asserit Valētinus, assumpsit. De ratione enim atque essentia hominis est corpus non quidē cœleste, sed terrenū, videlicet caro & ossa. Corpus quoque cœleste non est mortale atque passibile. Dicitur tamen de cœlo Christus venisse, vel ratione naturæ diuinæ, quæ nouo modo in mundo esse cœpit, quamuis cœlum non reliquit. Vel ratione carnis, quoniam de spiritu sancto formata est. Vnde in Synodo Ephesina legitur verbum sancti Theophi. dicentis, quod sicut quandoque eminēs artifex in vili materia artis atque prudētię suæ potestatē demōstrat: sic omniū optimus artifex dei verbū nō aliquam preciosam naturā corporis cœlestis apprehendēs, ad nos venit, sed in loto magnitudinem suæ artis ostendit.

3. Porro animam Christus assumpsit cum ipse dixerit: Potestatem habeo ponendi animam meam. Et: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Anima enim magis indiguit redemptore quàm corpus, quoniam magis infecta erat peccato. Sed & anima est de ratione naturæ humanæ, quā Christus tam vere assumpsit, quàm vere eam redemit. Non ergo defuit Christo anima, vt Arrius & post eum Apollinaris mentitus est. Quod verò scriptum est: Verbum caro factum est, per carnē intelligitur homo, quemadmodum Esaiæ quadragesimo dicitur: Videbit omnis caro salutare dei nostri. Maluit autem Euangelista exprimere carnem, quàm animam, ad

ad insinuandum magnitudinem humiliationis & dilectionis verbi dei ad nos, vel quia caro min⁹ assumptibilis videbatur.

¶ Insuper vt ait Augustinus libro de hæresibus: Apollinaristæ dixerunt Christo defuisse animam rationalē seu mentem, & loco mentis ipsum verbum carni fuisse vnitum. Hoc autē prorsus absurdum est. Christus enim legitur miratus, quod sine ratiōe nō fuit. Et si rationalē nō habuit animam, ergo nec vetus homo fuit, nec vere hominē liberauit, quod enim assumpsit hoc redemit, secundū Damascenum, animā ergo & intellectum seu animam intellectualem assumpsit.

¶ Verum verbum assumpserit carnem mediante anima. 2. An animā mediante spiritu seu mente. 3. An anima fuerit ante corpus assumpta. 4. An tota natura sit assumpta mediantibus partibus. 5. An per gratiam facta sit vnio naturæ humanæ cum verbo. Articulus. 11.

MEdium autem dicitur per respectum seu ordinem ad principium & finem. Est autem duplex ordo, videlicet temporis, & sic filius dei non assumpsit corpus mediante anima, sed vtrunque seu totam naturam simul. Alius est ordo naturæ, qui duplex est, scilicet ordo dignitatis & causalitatis. Dicuntur enim angeli medium inter deum & nos, quoniam digniores sunt nobis. Cùm ergo sit anima dignior corpore, & quodammodo eidē causa vt assumptibile sit à deo (nam corpus sine anima non haberet congruentiam assumendi à deo) ideirco filius dei dicitur potest assumpsisse corpus mediāte anima, quantū ad ordinē dignitatis. & etiam aliqualiter secundum ordinē causalitatis. Vnde in epistola ad Volusianū ait Augustin⁹. Ipsa magnitudo. Vnde in epistola ad Volusianū ait Augustin⁹. Ipsa magnitudo diuinæ virtutis animā sibi rationalē, & per eādē corpus totum humanum totūmq; hominem in melius mutādo coaptauit.

2. ¶ Porro quoniam intellectus qui spiritus & mens vocatur, ita se habeat ad cæteras animæ vires ac partes quemadmodum anima ad corpus. Nam ostensum est animam non esse assumptibilem, nisi eam quæ per operationem deum attingere potest, vtpote rationalem. Ideirco eo modo filius dei assumpsit animam mediante mente seu spiritu, sicut assumpsit carnem per animam. Et hoc in libro de agone Christiano Augustinus testatur.

3. ¶ Insuper Origenes posuit omnes animas & etiam animā Christi simul ante mundū corporalem creatas. Sed hoc

 stare

stare nō potest de anima Christi. Vel enim statim in sua creatione vnita est verbo, & postea in virginis vtero incarnata, & sic non esset eiusdem naturæ cum animabus nostris quæ simul creantur & infunduntur. Vel aliquando per se subsistens fuisset, & sic in vnione cum verbo propriam personalitatem amisisset, & per consequens corrupta fuisset. Dicendum est ergo cum Leone Papa & Damasceno, quod vno instanti Deus assumpsit carnem & animam. Aduertendum autem, quod de plenitudine Christi omnes accipiunt (sicut Ioannis primo habetur) per fidem quam habēt in ipsum quæ admodum ad Romanos. 3. dicitur: Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credūt in ipsum. Sicut verò nos credimus in eum vt incarnatum: sic antiqui crediderunt in eum vt nasciturum. Habentes enim eundem spiritū credimus. 2 ad Corinth. 4. Fides autem in Christum, virtutem iustificandi habet ex proposito gratiæ Dei, iuxta illud ad Romanos. 3. Ei qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei. Cùm ergo propositum illud æternum sit, poterant homines per fidem Christi iustificari anima verbo nondum vnita.

¶ At verò quoniam caro non est caro humana, nisi per rationalem animam: nec ipsa caro congruentiā habet vt assumatur à filio Dei (vt dictum est) nisi per ordinē ad animam: Ideo caro Christi, nō est prius vnita verbo quàm animę, sed vt Damascenus dicit tert. libro, simul Dei verbū, caro, simul animarum anima rationali & intellectuali.

4. ¶ At verò sicut ex præinductis innotescere potest, illud secundum ordinem dignitatis à verbo per prius assumptum est, quod dignius perfectiúsque existit. Cum ergo tota natura humana qualibet sua parte præstantior sit, constat quod filius Dei per prius assumpsit totam naturam & partes mediāte deo. Vnde. 5 libro ait Damasc. In Domino nostro Iesu Christo non partes partiū intuemur, sed quæ proxime componuntur, videlicet humanitatem & diuinitatem. Ipsa tamē assumptio à partibus humanitatis incœpisse videtur: & ita secundum quid Deus assumpsit totam naturam mediantibus partibus. Et ergo in lib. de agone Christiano Augustinus dicit: Inuisibilis & incommutabilis veritas per spiritū animā, per animam corpus, & sic totum hominem assumpsit.

5. ¶ Potro

5 ¶ Potro in Christo ponitur gratia vnionis, quæ est ipsum esse personale verbi naturæ humanæ communicatum. Per hanc autem gratiam non est facta vnio naturę humanæ cum verbo: sed ipsa est terminus huius vnionis. Ponitur quoque in Christo gratia habitualis ad specialem sanctitatē hominis Christi respiciens. Per hanc autem non est incarnationis vnio facta: sed ipsa est huius vnionis effectus. Si verò voluntas Dei aliquid gratis donans vel faciens gratia appelletur, sic vnio hæc per gratiam facta est, non sicut per medium, sed sicut per causam efficientem.

¶ Vtrum in Christo fuerit gratia habitualis. 2. An etiam virtutes 3. An fides. 4. An spes. 5. An dona. 6. An donum timoris. Articulus 12.

FVit verò in Christo & est gratia habitualis. Nam eius humanitas fonti gratiarum, scilicet Deo, propinquissime est vnita: & ergo influentiam gratiarū plenissime recepit. Item operationes per gratiam perficiuntur. Omnis autem actio Christi perfectissima fuit. Habuit ergo gratiā habitualē. Rursus cū Christus sit caput ecclesię media torúque hominū, inest ei gratia superabūdans, per quā membris suis influere possit, quatenus de plenitudine eius omnes recipiāt. Vnde Esaiæ. 11. de Christo conscriptū est: Requiescet super eū spiritus domini. Fruitio ergo creata animæ Christi & omnis actus eius meritorius à gratia habituali processit.

2. ¶ Præterea sicut gratia est in essentia animæ, eam perficiens: ita virtutes sunt in potētijs animæ, & eas perficiunt. Sicut ergo potētiæ ab essentia animę fluunt: sic virtutes à gratia deriuantur ac pullulant. Ideoq; sicut gratia habitualis Christo excellentissime conuenit: sic omnes virtutes in eo consistunt: tamen singulari altioriq; modo quemadmodum virtus Heroica, secundū Plotinū, est in hominibus animi purgati.

3. ¶ At verò obiectum fidei est veritas prima nō visa. Christus autem à suæ conceptionis exordio comprehensor fuit deum per speciem videns. Non ergo habuit fidem, quanuis virtutes morales habuerit. Fides enim imperfectionē includit circa suum obiectum, scilicet cognitionis defectum, non autem virtutes morales.

4. ¶ Quemadmodū verò fidei obiectum est veritas diuina non cognita: sic spei obiectum est bonum diuinū nondum adeptū, sed expectatū. Christus autē à principio Dei fruitionem

nem adeptus est. Non ergo habuit spem, quę est virtus theologica, habens Deum pro obiecto. Habuit tamen spem quorundam aliorum, quæ nondum erat sortitus, videlicet immortalitatis ac glorię corporis. Et ergo in psalmo expressa Christi cantatur: In te domine speraui.

5. ¶ Insuper dona sunt quædã perfectionis virium animæ, quibus reddũtur bene mobiles à spiritusancto. Anima autem Christi vbique & semper perfectissimè mouebatur à spiritusancto. Et ergo dona Christo conueniunt. Nam dona perficiunt ipsas virtutes. Vnde super illud Esaiæ. 4. Apprehẽdent septem mulieres virum vnũ, dicit Glosa: Septem dona spiritussancti Christum.

6. ¶ Considerandum verò quod timor duo concernit, scilicet malum terribile, & eum, qui per suam potestatem tale malum infligere potest, sicut timetur rex, inquantũ occidere potest. Christus ergo habuit timorẽ non prout timor respicit malum terribile, vtpote malum pœnæ vel culpę, quorũ nullum sibi inesse potest aut potuit, sed inquantũ timor cõcernit eminentiam maiestatis diuinæ: sic Christus timorem habuit: quia reuerentialem habuit affectum ad potestatẽ & perfectionem diuinam. Virtus enim & donum præsertim respiciunt bonum. De ratione igitur doni timoris nõ est illud malum, sed bonum excellentiæ alicuius.

¶ Verum in Christo sint gratiæ gratis datæ. 2. An prophetia 3. An plenitudo gratia. 4. An talis plenitudo sit propria Christo. 5. An gratia Christi sit infinita. 6. An posset augeri. 7. Quomodo se habeat ad vnionem. Articulus. 13.

GRatiæ autẽ gratis datæ præcipuè ordinãtur ad spiritualis doctrinæ ac fidei propalationẽ, vt donũ linguarum, &c. Cùm ergo Christus sit fidei ac spiritualis doctrinę summus magister primúsq; doctor, habuit ea quibus fidẽ suã atq; doctrinã manifestare valebat, id est, gratias gratis datas: aliter inutilis fuisset eius doctrina.

2. ¶ Deniq; prophetia quasi procul videns vocatur, scilicet ea cognoscens & loquens, quæ longe sunt à sensibus hominum. Potest autẽ aliquis dici propheta, quia ea cognoscit ac nuntiat, quę illis procul sunt cũ quibus ipse versatur, quamuis alijs non sint procul, vt si quis in episcopatu Leodien. constitutus, illic annunciet suis quæ geruntur in Asia, quæ tamen Asi-

anis præsentia sunt. Deus ergo atque beati in patria quamuis talia noscant & alijs nuncient, non tamen prophetæ dicuntur, quoniam conuersationem nobiscum non habent.

Christus verò quia viator fuit quantum ad corporis passibilitatem & cum hominibus vixit, propheta fuit, inquãtũ huiusmodi cognouit & annunciauit: quamuis eius cognitio perfecta & clara extiterat, maxime quo ad intellectũ tamẽ in parte imaginatiua quasdam similitudines habuit, in quibus speculari potuit diuina inquantum viator. Quod autem in Christo fuerit Prophetia, patet, quia de eo Deutero. 18. Moses scripsit. Propheram suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris tã quam me, & Ioannis. 4. dicitur: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua.

3. ¶ Porro perfectio siue totalitas dupliciter dicitur, scilicet intensiue & virtualiter. Intensiue, vt si aliquid sit tanta albedine album, qua maior esse non potest. Virtualiter, vt si aliquis habeat aliquid secundũ omnes suos effectus & gradus, vt si quis habeat omnia opera vitæ perfecte & plene, viuens vocatur. Vtroque autem modo fuit in Christo gratiæ plenitudo. Tanta enim in eo gratia fuit, qua maior esse nõ potest, nec recipi à creatura. Habuit quoque gratiam ad omnes gratiarum effectus, tanquam caput ecclesiæ, & vniuersale principium gratiæ in omnibus hominibus.

4. ¶ Plenitudo autem gratiæ dupliciter dicitur, scilicet ex parte gratiæ per modum nunc dictum, vt cum est tam intensa ac virtuosa vt maior atque potentior esse nõ possit. Et hęc plenitudo est propria Christo. Secundo dicitur plenitudo gratiæ ex parte habentis, vt dum homo tantam gratiam habet, sicut à Deo sibi præordinatum est atque præfixum, & ea quæ sibi conueniunt faciliter operatur, sicut ad Ephesios. 4. dicit Apostolus: Vnicuique nostrum data est gratia secũdum mensuram donationis Christi. Hæc igitur plenitudo non est propria Christo, sed alijs datur per Christum, quæ etiam maxima fuit in virgine matre.

5. ¶ At verò gratia vnionis Christi cum sit ipsum esse personale verbi, cui gratis vnita est natura humana est simpliciter infinita sicut persona verbi. Gratia verò habitualis in Christo cõsideratur dupliciter. Primo, inquantum est quoddã ens: & sic cum sit res creata & in anima Christi tanquam in subiecto, est finita. Alio modo secundũ propriam rationem:

Universidad de Deusto
Biblioteca

& sic dicitur infinita, quia habet quicquid ad perfectionē & excellentiam gratiæ pertinet: sicut ostensum est.

6. ¶ Considerandum quoque quod gratia Christi augeri non potest, nec ex parte subiecti: quod est anima Christi, cuius tota capacitas repleta est gratia, & quæ gratiam in summo gradu qui potest competere gratiæ, habet: nec ex parte gratiæ, diuina enim sapientia vnicuique formæ certam mensuram præfixit, quemadmodum Sapientiæ vndeci. dicitur, Omnia in numero, pondere, & mensura constituisti. Mensura verò præfigitur formæ secundum comparationem ad finem: sicut non potest esse maior grauitas quàm terræ, quia esse non potest locus inferior loco terræ. Finis autē gratiæ est vnio rationalis creaturæ cum Deo. Cum ergo anima Christi ad personam Dei vnionē quæ summa est, sit assumpta: sequitur quod gratia Christi ad hanc vnionem ordinata sit in summo gradu qui gratiæ potest competere. Gratia ergo Christi nullo modo valet augeri, præsertim cum fuerit vetus ac plenus comprehensor à suæ conceptionis initio. Quod verò Luc. ex primo scribitur: Iesus proficiebat ætate, & sapientia & gratia, non est intelligendum quantum ad ipsos habitus gratiæ ac sapientiæ, sed quantum ad effectus seu operationes habituum, quia secundum processum ætatis sapientiora virtuosioraque opera fecit.

7. ¶ Præterea sicut nunc sæpe prætactum est, gratia Christi habitualis est effectus gratiæ vnionis & sequitur eam. Primo, nam filius dicitur missus inquantum naturā humanam assumpsit: spiritussanctus verò dicitur mitti, inquantum mentem per gratiam & charitatem inhabitat. Quemadmodū autem filius prior est spiritusancto prioritate originis: sic missio filij prior est quo ad Christū missione spiritussancti, non tempore, sed ordine naturæ. Item sicut splendor ex lucis præsentia causatur, & lucem consequitur: sic gratia Christi habitualis ex diuinitatis presentia facta est & eam consequitur. Rursus nam gratia ordinatur ad actum, agere verò est suppositorum. Ergo in Christo prior est vnio personalis, quàm habitualis. Vnde Isaiæ quadragesi. secun. de Christo dicitur: Ecce seruus meus, suscepiā eum. Et postea subditur: Ponā super eum spiritum meum, quod ad habitualem gratiam pertinere certum est.

¶ Ab

¶ *An Christus sit caput ecclesiæ. 2. An sit caput hominum secundum corpus, vel animam. 3. An sit caput omnium hominum. 4. An etiam angelorum. Articulus 14.*

EO insuper modo quo tota ecclesia dicitur mysticum corpus ad similitudinē corporis naturalis: sic Christus dicitur caput ecclesiæ mysticè propter similitudinem capitis naturalis. Tria nanq; in capite sunt, quæ Christo spiritualiter competunt, scilicet ordo, quoniam caput est prima pars hominis: perfectio, quia in capite omnes sensus vigent: virtus, quoniam motus ac gubernatio omniū membrorum dependet à vi sensitiua atque motiua, quæ dominatur in capite. Hæc tria Christo spiritualiter cōperuntur. Nam gratia eius propter vnionem cum Deo est prior & altior. Est quoque perfectior, quia simpliciter plena est. Et virtuosior, quia alijs cunctis influere incessabiliter potest. Spiritussanctus autem qui inuisibiliter ecclesiam Dei viuificat, cordi comparatur: qui cor occultam influentiā habet in corpus. Christus verò capiti ꝑ manifeste eminet corpori, cōparatur. Propter causas prædictas, & quia visibiliter mundo innotuit.

2. ¶ Porro Christus est caput ecclesiæ tā ex parte animę suę suique corporis, quàm ex parte animarum & corporum hominum. Per prius tamen secundū animam quàm secundū corpus dicitur caput. Sicut enim anima Christi sortitur virtutem influendi hominibus, ex vnione ad Deū: sic corpus Christi prout vnitum est verbo mediāte anima secundū modum præhabitum potest influere. Tota verò Christi humanitas instrumentaliter influit. Verbum autem seu deus influit authoritatiue. Patiformiter animæ hominum primo recipiunt influentiam gratiæ Christi. corpora autem secundario per hoc quod deseruiūt animæ in obsequio dei, & item per hoc, quod vita gloriæ ab anima derivatur ad corpus. Iuxta illud Apostoli ad Romanos octauo. Qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Sic ergo Christus est caput ecclesiæ inquantum spiritualem sensum & gratię motum hominibus influit, & ea conseruat.

3. ¶ Denique membra corporis naturalis omnia simul sunt membra verò corporis mystici non sunt omnia simul, neque in esse naturæ, nec secundum esse gratiæ. Constituitur enim

corpus

corpus mysticũ,cuius Christus caput est,ex omnibus hominibus ab origine mundi vsque ad consummationem ipsius. Christus ergo est omnium hominum caput, non tamẽ aequaliter,sed secundum gradus diuersos. Primo enim & principaliter est caput beatorum, qui sibi vniuntur per gloriam fruitionis.Secundo eorum,qui sibi vniuntur per charitatem viæ. Tertio horum,qui sibi vniuntur per fidem duntaxat. Quarto eorum, qui sibi vniuntur in potentia reducenda ad actum. Quinto eorum, qui sibi vniuntur in potentia nunquam in actum reducenda.Cum autem reprobi ex hoc seculo migrando, desinunt esse membra Christi, quoniam non manent in potentia vt Christo adhereant. Hæc verò potentia fundatur in duobus. Principaliter namque fundatur in virtute Christi, quæ ad omnium salutem est sufficiens. Secundo in libertate arbitrij,quod gratiæ dei obicem ponit frequenter.

4. ¶ Amplius sicut vnus est finis atque felicitas angelorum & hominum, sic vna ex vtrisq; cõstitit ecclesia triumphans & vnum mysticum corpus. Multitudo enim electorũ secundum actus seu officia differens corpus mysticum appellatur. Cùm ergo Christus vt homo propinquitatem ad deum influentiam habeat,non solum in homines, sed etiam in angelos quos ipse illuminat: constat, quod Christus sit caput non solum omnium hominum,sed omnium quoque angelorum. Et ideo ad Colossen.secundo loquẽs de Christo Apostolus Qui,est inquit,caput omnis principatus & potestatis. Et ad Ephesios primo : Constituit eum deus super omnem principatum & potestatẽ & virtutem & dominationẽ. Est autem Christus caput angelorum ratione animæ , hominũ verò secundum corpus & animam, tam eius quàm hominum aliorum, vt dictum est.

¶ An gratia quà Christus est caput ecclesiæ, sit eadem cum gratia habituali, 2. An Christo sit proprium esse caput ecclesiæ. 3. An diabolus sit caput omnium malorum. 4. An etiam antichristus. Articu. 15.

AGnoscendum præterea, quod vnũquodque agit secundũ quod est in actu. Ens enim in potẽtia vt tale,non agit. Nam agere præsupponit esse. Per id ergo quo aliquid est in actu,per id operatur. Ignis namque per eundem calorem est in se calidus & alia calefacit. Cum ergo gratia Christi habitualis fuerit summa atque complo-

cõplera per eãdem gratiã qua Christ' in se gratus est Deo & gratiã habens,aliis gratiã influit, & eos Deo acceptos gratos sibi efficit.Sicut Ioannis.1.habetur:De plenitudine eius accepim' omnes. Sequitur ergo quod vna & eadẽ sit gratia habitualis in Christo, & illa per quam est caput ecclesiæ, influens membris suis ex suæ gratiæ plenitudine spiritualem sensum, motumque viuificum. Itaque gratia personalis seu habitualis & gratia capitis in Christo sunt vna gratia, sola ratione distincta.

2. ¶ Demque caput influit membris duplici influxu,videlicet intrinseco per hoc, quod vis motiua & sensitiua interior ex eo descendit: & extrinseco,inquantum per exteriores sensus,qui in capite radicantur, homo in agendis foris dirigitur. Christus igitur solus est spirituale caput ecclesiæ,tãquam vniuersale caput intrinsece influens, scilicet gratiam, & spiritualia dona tribuẽs. Prælati verò ecclesiæ dici possunt capita ecclesiæ particularia & extrinsece influẽtes , prædicãdo , docendo,corrigendo. Gratiam enim conferre non possunt , sed ad eam corda subditorum disponere moliũtur. Christus quoque est caput ecclesiæ secundum omnẽ locũ, omneq; tempus, & propria authoritate: alij verò tanquam vicarij Christi & secundum certum locum,vt inferiores prælati : vel secundum omnem locum , non tamen secundum omne tempus, vt Papa qui est caput omnium tempore sui pontificatus.

3. ¶ Insuper diabolus caput malorum vocatur , inquantum eos ad suum finem , videlicet auersionem à Deo conatur inducere interius suggerendo , quanuis directe nõ influat mẽti,& ergo dicitur rex super omnes filios superbiæ, Ioh.14. Auersio autem à Deo rationem finis sortitur , prout speciem sortitur. Antichristus autem à seculo confregisti iugum iupisti vincula,dixit: Non seruiam. Seruitus quippe libertati opponitur.

4. ¶ Præterea in capite materiali, vt dictum est , tria sunt: scilicet ordo, cum sit principium corporis: virtus, nam influit corpori : & perfectio , nam sensus in eo potissime vigent. Antichristus igitur non est caput omnium malorum, quo ad duo prima . Non enim est principium vel primum inter homines, nec omnib' influit. Sed illis duntaxat imprimet quos seducet. Antichristus ergo est caput malorum ratione tertij, vtpote propter perfectionem malitiæ, quæ in ipso erit. Nam

plenus

plenus erit omni malignitate ac fraude diaboli. Vnde ipse atque diabolus non sunt duo capita sed vnum: quoniã Antichristus caput vocatur pro eo, quod malitia dęmonis in ipso plenissime erit, & sicut deus secundum Apostolum caput est Christi: sic dæmon caput erit antichristi filij sui.

Vtrum Christus habuit scientiam præter diuinam. 2. An habuit scientiam beatorum. 3. An habuit scientiam infusam 4. An etiam acquisitam. Articulus 16.

FIlius igitur dei, quoniam rationalem animã vere assumpsit, scientiam creatam præter diuinam & increatam scientiam habuit. Anima nanque sine scientię habitu imperfecta ac nuda esset quod animę Christi non conuenit, quæ omnium animatum redemptrix existit. Item res est propter suam operationem, nam per operationem cõiungitur fini. Si ergo Christus non haberet cognitionẽ rationali animæ conuenientem, frustra haberet animam. Habuit ergo creatam scientiam Christus. Tamen omnia cognouit per diuinam scientiam operatione increata, quę est diuina essentia. Nam in deo sunt idẽ operari & esse atq; cognoscere, secundũ Philosophũ duodecimo primę Philosophiæ.

2. ¶ Amplius quoniam per Christi humanitatẽ omnes beati ad dei beatificam fruitionem perducũtur, cum ipse sit omnium per naturam assumptã saluator: cõstat, quod visio seu scientia beatorũ Christo excellentissime inerat, tanquã causę atque principio beatitudinis aliorum. Ipse enim semper cõpræhẽsor fuit. Vnio nanque personalis maior est vnione fruitionis & causa eius. Ab eodem ergo instanti, quo Christi natura humana fuit verbo vnita, ipse Christus vt homo extitit verus ac perfectus compræhensor. Hanc autem scientiã beatorũ habuit homo Christus per lumẽ gloriæ sicut beati.

3. ¶ At vero præter increatam scientiam Christi & præter scientiam beatorum, id est, præter cognitionem qua Christus vt homo cognouit verbum & omnia in verbo, sicut & sancti in patria, ponitur in Christo scięntia infusa seu indita, qua cognoscit res in propijs naturis per species concreatas & rationali animæ connaturales ac proportionatas. Nulla enim naturalis perfectio defuit animę Christi. Vnde sicut secundũ Augustinum verbum dei à principio indidit mentibus angelorum species rerũ intelligibiles, per quas angeli omnia cognitione vespertina cognoscunt præter cognitionẽ matutinam,

tinam, qua res cognoscũtur in verbo: sic verbũ animę Christi sibi vnitę à principio indidit species intelligibiles naturales.

4. ¶ Denique nihil eorum Christo defuit, quę deus in nostra natura plantauit, secundum Damascenum. Ideo Christus habuit intellectum agentem & eius operationem, sicut habuit intellectum possibilem eiũque actum. Operatio autẽ intellectus agentis est à fantasmatibus species intelligibiles abstrahere, & in intellectu possibili eas reponere, vt tertio de anima dicitur. In Christo igitur erant species intelligibiles intellectui suo possibili ab intellectu agente impressæ: quod est scientiam acquisitam, quam animi nominant, experimentalem in ipso esse. In Christo igitur fuit scientia acquisita, quæ habetur per modum humanum naturaleque lumen: non solũ ex parte recipientis, sed etiam causæ agẽtis. Dicit autem sanctus Thomas tertia parte quæstione octaua huius oppositum se alibi scripsisse. Scientia verò infusa inerat Christo per lumen supernaturale. De hac autem experimentali & acquisita Christi scientia dicit ad Hæbręos. 5. Apostolus: Didicit ex his quæ passus est, cõpassionem. Et sumitur hic discere pro experiri. Christus enim non didicit ab alijs scientiam acquisitam, sed per propriam adinuentionem eam adeptus est.

¶ Vtrum anima Christi comprehendat diuinam essentiam. 2. An omnia cognoscat in verbo. 3. An cognoscat infinita. 4. An clarius videat deum qualibet alia creatura. Articulus 17.

PAtet demum ex præostensis, quod in Christo vtraque natura proprias ac naturales proprietates retinuit. Sibi autem diuino intellectui proprium est, vt diuinam essentiam plene compræhendat: infinitum enim à finito comprehendi non valet. Cùm ergo sit anima Christi pura creatura nõ potest compræhendere, id est, perfectẽ & omnino sicut cognoscibilis est, cognoscere diuinam essentiam, nec verbum cui vnita est. Imõ à tali compræhensione in infinitum distat & deficit. Quod autem Isodorus ait, Trinitas sibi soli cognita est & homini assumpto, ideo dixit, quoniam Christus, vt homo quodam eminentissimo modo deum præ omnibus sanctis cognoscit.

2. ¶ Amplius vnusquisque beatorum in patria omnia videt in verbo, quæ ad ipsum pertinent. Cùm ergo Christo homini cuncta subiecta sint: & ipse constitutus sit omnium iudex, oportet concedere, quod Christi anima omnia in verbo cognoscit

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnoscit quæcunque sunt, fuerunt, vel erunt, vel cogitata, vel prolata, vel acta. Aliqua verò sunt quæ nunquã fuerunt, vel erunt, nec sunt. Et hæc in duplici differẽtia sunt. Quædam enim eorum sunt in sola potentia dei: & talia omnia non cognoscit anima Christi, quia sic cognosceret diuinã virtutem perfectè & compræhensiuè. Virtus namque cognoscitur per eorum notitiam, in quæ potest. Quędã autem sunt in potentiæ creaturę, & talia omnia anima Christi in verbo cognoscit. Compræhendit enim in verbo omnis creaturę essentiam, & per consequens potentiam, & cuncta quæ in potentia creaturæ consistunt. Quod autem filius dicit se horã iudicij ignorare, ideireo dicit: quia non pandit eam discipulis. Dicitur enim deus aliquid nescire, quia facit illud nesciri. Origines verò, id quod filius dicit se horam iudicij nescire, exponit de Christo secundum corpus eius, quod est ecclesia. Christus enim vt homo hanc horam sciuit vtique. Nam vt Chrysostomus arguit, si Christo vt homo est, datum est esse omnũ iudicem, multò magis datum est ei hanc horam cognoscere.

3. ¶Denique scientia est verorum, falsum enim non scitur. Ens autem & verum conuertuntur. Et ergo scientia non est nisi entium. Entia autem duplicia sunt. Quædam enim sunt actu, & hæc dicuntur simpliciter entia. Alia sunt entia in potentia, quæ fieri possunt. Anima igitur Christi nõ cognoscit entia actu infinita, quia nunquã est dare entia actu infinita. Cognoscit tamen entia secundum potentiam infinita. Scit enim omnia quæ secundum potentiam creaturæ fieri possunt quæ infinita sunt saltem quantũ ad cogitationes entium peruorum: & talia scit scientia simplicis intelligentię sicut & deus infinita simpliciter cognoscit. Quanuis ergo capacitas animæ Christi finita sit tamẽ infinitatis modo cognoscit, quia non sunt simpliciter infinita secundum actũ atq; essentiam.

4. ¶Præterea secundum diuersam participationem luminis gloriæ, à deo in beatos manantis, deus magis, vel minus datur cognoscitur. Cum ergo sit anima Christi diuinę luci vicinius vnita, cõstat quod diuinã veritatẽ & naturam præ alijs lucidius intuetur. Imò eo modo quo gratia Christi est infinita, id est tanta qua maior esse nõ potest secundum intellectum, præhabitum, tali modo visio qua anima Christi deum videt tanta tamque præclara est, qd' maior aut clarior esse non potest quanuis diuinę potestatis in agẽdo nullus sit terminus.

¶ An

¶ *An Christus per scientiam infusam sciuit omnia. 2. An potuit ea vti sine conuersione ad fantasmata. 3. An hæc scientia fuit collatiua. 4. Quomodo habuit se ad cognitionem angelicam, 5. An fuit habitualis & distincta per habitum. Articulus. 13.*

DVplex proinde potẽtia passiua ponitur in omni natura creata, videlicet naturalis, quæ per naturale agens perduci potest in actum, & obediẽtialis secũdum ordinem creaturę ad deum, qui potest creaturæ potentiam ad supernaturalem actum reducere. Hęc ergo duplex potentia fuit in anima Christi, & vtraque ad actum perfectę reducta est. Nil enim in Christo imperfectũ à deo relictum est. Itaq; per scientiam infusam seu inditam anima Christi primo omnia cognouit; ad quorum notitiã perduci potuit virtute intellectus agentis: vt sunt ea quæ ad humanas scientias pertinent. Secundo autem Christus per istam scientiam omnia nouit, quæ diuina reuelatione hominibus innotescunt, siue ad donum sapiẽtiæ, vel prophetiæ aliũdue quodcunque donum spiritussancti pertineant.

2. ¶Denique quod anima rationalis indiget se conuertere ad fantasmata dum intelligit, ex obligatione eius ad corpus procedit: videlicet quia non plene corpori dominatur, sed in agendo ab ipso dependet. Cum ergo Christus fuerit cõprehensor, anima eius perfecte suo corpori dominabatur, nec in aliquo ab ipso dependebat, quemadmodum post resurrectionem animæ beatorum. Et ergo anima eius nõ egebat se conuertere ad fantasmata conuertere, intelligendo secundum scientiam infusam seu inditam.

3. ¶At verò hæc scientia Christi indita non fuit discursiua seu collatiua, quasi per ratiocinationẽ inuenta, vt cum proceditur ex cognitione alicui* noti ad ignoti notitiã. Erat enim ei ex cognitione alicui* noti ad ignoti notitiã. Erat enim à deo infusa. Fuit autem discursiua secundum vsum, inquantum cõplacuit habenti. Poterat enim Christus ex vno concludere aliud, sicut & fecit dum ex responsione Petri intulit: Ergo libri sunt filij. Dicit autem Damascenus tertio libro, quod in Christo non fuit consilium, neque electio: & hoc secundum quod dubitationem includit.

4. ¶Insuper scientia Christi infusa maior fuit scientia infusa angelorum, quãtum est ex parte causæ influentis. Nam & ad plura se extẽdit & certior est, eò quod lumen intellectua

Je inditum animę Christi eminentius extitit. Ex parte autem subiecti, scilicet animæ Christi eminẽtius extitit. Ex parte autem subiecti, scilicet animæ Christi, erat aliquo modo minus inquantum discursiua collatiuaq; fuit.

5. ¶ Adhuc autem est in recipiente secundum recipientis naturam. Est autem omni animæ rationali cõnaturale, vt quandoque actu intelligat, quandoque in potentia. Inter potentiam verò & actum mediat habitus. Christus ergo habuit scientiam habitualem, qua vtebatur quando & quomodo voluit. Quod non est intelligendũ de scientia fruitionis, illa enim semper in actu fuit & est, sed de scientia Christi per ipecies cõcreatas: quæ fuit secundum modum humanæ naturæ. Modus autem naturæ animæ rationalis conueniẽs est, species à deo influxas in minori simplicitate recipere, quàm recipiantur ab angelis. Et ergo diuersas naturas specificas cognouit anima Christi diuersis habitibus. Habitus enim & scięna distinguũtur per obiecta. Scientia igitur indita Christi fuit distincta diuersis habitibus.

¶ An per scientiam experimentalem seu acquisitam Christus omnia cognouit. 2. An in ea profecit. 3. An ab hominibus quippiam didicit. 4. An ab angelis aliquid recepit. Art. 19.

Sicut ostensum est, Christo inerat scięntia acquisita, ne intellectus agẽs in ipso otiosus maneret. Sicut autem per sciẽtiam inditã Christus omnia nouit ad quæ intellectus possibilis in potentia est: sic per scientiam acquisitam anima cuncta cognouit, ad quæ se virtus & lumen intellectus agentis extẽdit. Quamuis omnia illa per se non fit experta nec sensit: scientia nanque rerum acquiritur non solùm per experiẽtiam ipsarum, sed etiam aliunde: potest enim intellectus vnum oppositũ cognoscere per aliud, & causam per effectum, atque econtra, & similia ex similibus.

2. ¶ Porro ex præinductis patet, quod anima Christi in scientia fruitionis nullo modo profecit: in scientia autem habituali infusa profecit non secũdum essentiam habitus, sed secũdum effectum. Scientia verò experimentalis seu acquisita quam quidam Christo inesse negãt, & sanctus Thomas quãdoq; negauit, sed in tertia parte quæstione. 11. tertiæ tractat eamque Christo inesse concedit: Hæc, inquam, scientia in Christo aucta est, non solum secundum effectum, videlicet per vsum pleniorem, sed etiam quantum ad habitum, secundum quod

quod per abstractionẽ specierum intelligibilium à fantasmatibus nouæ species recipiebantur in intellectu possibili.

3. ¶ Præterea in quolibet genere primum mouẽs est immobile in suo genere. Cùm ergo sit Christus doctor atque magister omnium hominum in hunc mũdum venientium, nõ decuit eum ab hominibus aliquid discere: quamuis ex rebus in scientia acquisita profecit. Res enim sunt quædam verba diuinæ virtutis, quæ dixit & facta sunt. Verba autem hominum transitoria & volubilia sunt.

4. ¶ Insuper anima Christi ab angelis illuminata nõ est, nec per eos profecit: sed sicut supernaturaliter fuit verbo vnita: sic supernaturaliter ab eodem impleta est scientia infusa & gratia. Vnde septimo Hierarchiæ cœlestis capitulo Dionysius ait, q̃ suptemi angeli ad Iesum quæstionem faciunt & ab eo addiscunt. Quod autem Lucę vicesimo secundo legitur Christus in agonia iam factus ab angelo confortatus fuit, nõ erat per modum instructionis, sed ad demonstrandum veritatem naturæ assumptæ verè passibilis secundum Bedam.

¶ An anima Christi habuit omnipotentiam. 2. An habuit omnipotentiam quo ad immutationem creaturarum. 3. An quantum ad proprium corpus. 4. An quantum ad executionem voluntatis. Art. 20.

Ait autẽ Dionysius quarto capitulo de diuinis nominibus: Diuinitati proprium esse, fore increatũ scriptum. Anima ergo Christi cum sit quędã creatura finita est, nec omnipotẽtiam habet, nam omnipotentia aliud non est nisi infinita potentia. Nil autem creatũ est simpliciter infinitum.

2. ¶ At verò immutatio triplex est, scilicet naturalis, miraculosa. Et secundum eas creaturæ dicuntur in nihil vertibiles sicut ex nihilo factæ sunt. Anima quoque Christi considerator dupliciter. Primo secundum potentiam suæ naturæ conuenientem, vel ratione propriæ speciei, vel ratione gratiæ sibi concessæ. Secundo prout est instrumentũ diuinæ virtutis verbi increati cui vnita est. Anima igitur Christi secundum primam cõsiderationem habuit potestatem ad gubernandũ proprium corpus, ad disponendum & gubernandum actus humanos, & ad illuminandum omnes intellectuales creaturas. Hæ enim operationes sequuntur perfectionem virtutis naturalis, vel gratuitę animæ Christi. Sed anima Christi secũ

dum aliam considerationem habet potentiã respectu immutationis omnium creaturarũ: quarum immutatio ordinabilis est ad finem incarnationis, videlicet ad reparationem rerum cælestis, humaniq; generis. Sed sicut solius deitatis est, rerum naturas creare: sic ei proprium est, habere potentiã vertendi creata in nihilum. Patet ergo quod anima Christi non habet omnipotentiã respectu immutationis creaturarum.

3. ¶ Amplius autem in anima Christi prout est verbo vnita proprium & coniunctum instrumentum vnita, omnipotentiam habuit quantum ad proprium corpus: ita, quod corporis augmentũ, fames, sitis & omnis alteratio eiꝰ rationis subdebatur imperio. Vnde tertio libro asserit Damascenus: Omnia naturalia in Christo erant voluntaria. Sed considerando animam Christi secundum primum modũ, videlicet propriam virtutem: sic non habuit potestatem omnipotentem super proprium corpus, sicut nec super alia entia.

¶ Præterea anima Christi dupliciter aliquid voluit, scilicet, vel sicut per se implendum: & sic nihil voluit, nisi quod per se potuit, aliter insipiens fuisset. Secundo, aliquid voluit tanquã diuina virtute implendum, vt resuscitationem Lazari atque similia. Et quantum ad talia, non habebat omnipotentiam quantum ad executionem proprij corporis, sed potuit ea per virtutem verbi cui instrumentaliter deseruiuit.

¶ Vtrum Christus assumpsit corporis defectus. 2. An necessitatem quaque subiacendi defectibus talibus. 3. An istos defectus contraxit 4. Vtrum omnes assumpsit. Articulus 21.

TRiplici autem ratione Christus assumpsit corpus naturalibus infirmitatibus defectibúsque subiectũ, scilicet fami sitι, morti, &c. Primo vt talia patiendo pro hominibus satisfaceret. Nam illa ex primi parentis peccata secuta sunt. Ad cuius delectionem Christus aduenit. Secundo, vt veritatem humanitatis assumptæ ostenderet. Tertio, vt nobis patientiæ & imitationis exempla præberet. Quemadmodũ ad Hebræos duodecimo ait Apostolus: Sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris. Poterat tamẽ secundũ Augustinum in epistola ad Dioscorum, anima Christi sua beatitudine ab omni passione ac læsione corpus eius seruare intactum, eo quod gloria animæ in corpus redundat: sed vt Damascenus affirmat, beneplacito diuinæ voluntatis permittebatur

batur caro Christi operari ac pati.

2. ¶ Præterea duplex est necessitas, scilicet coactionis, quæ est ab agente extrinseco & contrariatur voluntati atque naturæ: quorum vtrunque est principium intrinsecum. Alia ergo necessitas est, quæ naturalis vocatur consequens naturalia rei principia, sicut necesse est ignem calefacere, & mixtum corrumpi. Hanc vero secundam necessitatẽ subiacendi morti aliisque defectibus corporis Christus sponte assumpsit. Si autem loquamur de necessitate coactionis, prout corporali naturæ repugnat: sic corpus Christi secundum propriam naturam necessitati passionum istarum subiacuit: sed prout talis necessitas voluntati repugnat: sic in Christo non fuit, nec quoad voluntatem diuinam, nec quantum ad voluntatẽ humanam absolute acceptam, quæ scilicet rationem deliberatiuam consequitur, sed solum secundum naturalem motum voluntatis, videlicet, prout naturaliter mortem nocumentaque corporis refugit: & sic patet, quomodo Christus oblatus dicitur, quia voluit, quamuis hoc contra naturalem motum suæ voluntatis fuerit, secundum Damascenum.

3. ¶ Denique prædictos defectus contrahere aliud non est nisi eos simul cum eorum causa accipere. In verbo namque contrahendi includitur ordo effectus ad suã causam. Hi vero defectus sunt pœnæ originalis culpæ, quæ in Christo non fuit. Nam ipse naturam humanam in ea puritate assumpsit, quam in statu originalis innocentiæ atque iustitię habuit, secundum Augustinum. Itaque Christus hos defectus non contraxit, sed sponte suscepit.

4. ¶ Porro quoniam Christus venit naturam humanam sanare, idcirco plenitudo gratiæ atque scientiæ ei necessaria fuit, vt homines illuminaret & deo gratos efficeret. Venit autem sanare naturam humanam originali culpa infectam. Et ergo illos defectus assumpsit, qui in omnibꝰ vniuersaliter reperiuntur vt pœnę originalis culpæ: scilicet famem, mortem, &c. Defectus autem qui perfectioni scientiæ & virtutum repugnat: vt sunt ignorantia, concupiscentia, formes: & qui in omnibus non sunt, sed ex particulari causa proueniunt: vt lepra, vel febris Christus nequaquã assumpsit. Vnde Damascenus testatur, ꝙ Christus naturales & indeterminabiles defectus assumpsit, id est, eos qui omnibus sunt cõmunes & perfectioni gratię atque scientiæ non repugnant. Hos autẽ de-

fectus in suscipiendo curauit eos in alijs, & non solum eos sed etiam illos, qui superadditur naturæ infectæ. Nam hi ex illis primis defectibus oriuntur.

¶ *Verum in Christo fuerit peccatum. 2. An fomes peccati. 3. An ignorantia. 4. An passibilitas animæ. 5. An dolor sensibilis. Articulus. 22.*

CHristus verò peccatum non assumpsit. Nam peccatum ad redemptionem cooperari non potuit, nec ad eam vtile fuit. Vnde & Christus in Adam non fuit secundum rationem sensualem: quoniam non est secundum naturalem virtutem seu ordinem generatus. Erat tamen in Adam secundum corpulentam substantiam, quia veram carnē ex eius posteritate accepit. Nos vero in Adā existimus secundum seminalem rationem corpulentam quę substantiam, secundum Augusti. 10. super Genesim ad litteram.

2. ¶ Præterea ad fomitē pertinet inclinatio sensitiui appetitus in id, quod est cōtra rationē. Cum ergo in Christo fuerit omnium virtutum perfectio & gratiæ plenitudo, vt dictum est, sequitur quod fomes in eo locum non habuit. Erat enim pars eius sensitiua rationi perfectè subiecta, nec aliquid earo, vel sensus eius appetit, nisi secundum ordinem & modum rationis. Insuper fuit in Christo plenitudo omnis scientiæ. Nō ergo erat in eo ignorātia. Potest tamē natura humana in Christo cōsiderari duplicitèr. Primo secundum se, vel secundum rationē suæ speciei: & sic Damascenus tertio libro ait, quod deus ignorantem & seruilem naturam assumpsit. Secundo prout vnita est verbo: & sic non competit ei ignorantia.

3. ¶ Aduertendum autem, quod anima corpori formaliter vnita dupliciter patitur, videlicet passiōe corporali per hoc q̄ est forma corporis, vt cum corpus vulneratur aut lædituꝛ. Cum ergo anima Christi fuerit naturaliter forma corporis eius, constat eam fuisse passibilem per accidens passione corporali. Secundo patitur anima passione animali, quæ maxime consistit in ipsis affectionibus appetitus sensitiui, quibus secūdum alias operationes anima pati dicatur. Nam sentire & intelligere quædam passiones interdum vocātur. Affectiones vero appetitus sensitiui in Christo vere fuerunt, sicut & alia ad humanæ naturæ veritatem spectātia. Patet ergo quod anima Christi passione animali passibilis extitit. Aliter vero passiones seu affectiones fuerunt in Christo, quam in nobis.

Primo

Primo quātum ad obiectum. In nobis enim sepe mouentur ad illicita, nunquā autem in Christo. Secundo quia in nobis sæpe præueniunt rationis iudicium. In Christo autem non oriebantur, nisi secundum rationis dispositionem, liberum q̄; arbitrium. Tertio, quia in nobis impediunt & allicitūr sibi rationem. In Christo autem nunquā rationem male inclinare vel impedire valebant. Vnde cum passio in sensualitate sistit propassio dicitur: cum autem rationem peruertit, passio perfecta vocatur.

4. ¶ Ex his innotescit, quod in Christo fuerat verus dolor. Nam dolor est cum lædituꝛ corpus, & lesio ipsa percipitur. Quoniam ergo corpus Christi passibile fuit, & omnes vires naturales ac sensus in ipso veraciter erant: certū est, quod verus dolor in ipso extiterit. Sicut testatur Propheta: Vere languores nostros ipse tulit. Sunt autē aliqua verba sancti Hilarij, quæ videntur dolorem à Christo negare non vtiq; quantum ad veritatem dolotis, sed quantum ad necessitatem ipsius illam præsertim, quæ est ex reatu peccati, qui in Christo non fuit.

¶ *An in Christo fuerit tristitia. 2. An timor. 3. An admiratio 4. An ira. 5. An simul fuerit comprahensor atque viator. Articulus 23.*

DEniq; dolor sensibilis atque tristitia in hoc conueniunt, cū vtriusq; subiectū est appetitus sensitiuus. Sed differunt, quia doloris obiectū & motiuū est lesio corporalis. Obiectum vero & motiuū tristitiæ, est malum seu nocium interius apprehensum per rationem, vel imaginationem. vt dum homo de perditione diuitiarum, vel imaginationem. vt dum homo de perditione diuitiarum, vel amicorum, vel alterius rei temporalis, quam sibi vtilem apprehendebat intra se, tam proprium malum, videlicet motē, vel pœnam, quàm alterius. vt dum discipulorum, vel Iudeorum peccatis condoluit. Et ergo tristitia in Christo fuit, quemadmodum de eo scriptū est: Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Hæc autem tristitia animæ Christi immoderata nō fuit sed intra rationem permansit. Et ergo propassio potius, quā passio appellatur. Nam de inordinata tristitia loquitur Isaias de Christo quadragesimo secundo capitulo: Non erit tristis neque turbulentus, & Salomon in Prouerbijs: Non cōtristabit iustū, quicquid ei acciderit, scilicet quia ex nullo sibi euemente perturbatur ratio eius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. ¶ Denique sicut tristitia est de malo præsenti: sic timor est de malo futuro, vt cum aliquid apprehenditur vt nocium & futurum. Malum verò sensibile futurum nõ inducit timorem, nisi habeatur aliqua spes euadendi. Si enim nõ sit possibile vitari, vel si certum sit homini, ipsum sibi venturum, non proprie timorem, sed tristitiam causat. Christus autem præsciuit, quicquid sibi futurũ fuit. Non ergo timor fuit in eo, quantum ad incertitudinem futuri euentus: sed quo ad hoc, quod appetitus naturaliter fugit corporis læsionem. Per tristitiam quidem dum præsens est: per timorem autẽ, dum est futura. Vnde Marci. 13. dicitur Cœpit Iesus pauere & tædere. Quod autem Prouerbiorum. 28. scribitur Iustus quasi leo cõfidens absque terrore erit, intelligendum est de terrore, qui est passio perfecta à ratione auertens, & non solùm propassio. Et hoc modo Hilarius negat in Christo fuisse timorem.

3. ¶ Porro admiratio est de aliquo nouo atque insolito. Mirantur enim homines dum vident effectum, & nesciunt causam. Christo autem nil erat nouum, quantũ ad scientiam diuinam & increatam, nec quantum ad scientiam beatam, qua omnia vidit in verbo, nec quo ad scientiam infusam seu indi-tam qua per species concreatas cuncta cognouit. Relinquitur ergo, quod admiratio non inerat Christo, nisi quo ad scientiam acquisitam seu experimentalem secundum quam per nouam abstractionem specierum à fantasmatibus, receptionemque formarum per sensus aliquid de nouo cognouit.

4. ¶ Amplius ira, quæ est vitium & passio inordinata, in Christo non fuit: sed ira per zelum, quæ est appetitus vindictæ secundũ ordinem rationis. Hæc enim ira rationem non impedit, sed eam concomitatur & adiuuat secundũ Gregorium. Et ergo Ioannis tertio dicitur in Christo esse impletum, quod in Psalmi. legitur Zelus domus tuæ comedit me.

5. ¶ Cognoscendum quoque, quod comprehensor aliquis dicitur, eo quod iam deo fruatur: & viator, secundum quod beatitudinem obtinere conatur. Beatitudo autem consistit principaliter in anima, secundario autem in corpore. Quoniam ergo Christus secundum mentẽ deo semper perfectissime vnitus erat per fruitionẽ visionemque claram: sequitur quod secundum mentem rationalem fuerat comprehensor. Sed quia corpus eius nondum sortitus erat dotes corporum beatorum: ideirco quantum ad id quod corpori proprium est viator

viator erat. Vnde Ieremiæ decimoquarto de Christo scriptũ est: Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?

¶ *An sequentes propositiones sint veræ. 1. Deus est homo. 2. Homo est deus. 3. Christus est homo dominicus. 4. An ea quæ conueniunt filio hominis possint prædicari de filio dei, & econtrario. 5. An etiam quæ conueniunt naturæ diuinæ, dicantur de natura humana, & econtra in abstracto. Ar. 24.*

REprobatis autem atque omissis hæreticorum variis modis, quibus istam propositionẽ: Deus est homo, concedunt, dicendum est hanc propositionem propriè & simpliciter concedendã esse ac veram. Nomen enim significans naturam communem in cõcreto, potest supponere pro quolibet sub natura illa contento, vt homo pro quolibet homine. Itaque hoc nomen Deus supponere potest pro persona filij dei. De quolibet autem alicuius naturæ supposito potest verè ac proprie prædicari nomen illam naturam in concreto significans, vt homo de Petro & Paulo. Quoniam ergo persona filij, pro qua supponit hoc nomen Deus est suppositum naturæ humanæ, est enim assumpta ad esse personale verbi: ideirco verè & proprie hoc nomen homo prædicatur de Deo: prout hoc nomen deus supponit pro persona filij. Vnde hæc propositio, Deus est homo est in materia naturali. Non autem per accidens prædicatur homo de Deo, sed per se sicut de sua hypostasi: nõ vtique ratione formæ significatæ hoc nomine Deus, sed propter suppositum verbi, quod humanæ naturæ est hypostasis.

2. ¶ Denique eadem ratione ista est vera ac propria: Homo est Deus. Homo namque supponere potest pro qualibet persona naturæ humanæ hypostasi, & per consequens pro persona verbi seu filij Dei, quæ est naturæ assumptę suppositum. Cum verò dicitur Christus Iesus, semper supponitur atque significatur suppositum æternum & increatum, quod est verbi hypostasis. Vtriusque enim naturæ in Christo est vnum ac idem suppositum.

3. ¶ Deus verò & dominus non denominatiue, sed essentialiter Deo conueniunt, & essentialiter de ipso prædicantur ideo ista impropria est: Christus est homo dominicus, & Augustinus eam in libro retractionũ retractat. Signaretur enim

per talem denominationem, quod natura humana non est verbo verè in vnitate personæ coniuncta. Ista tamen propositio est concedenda: Christus est homo diuinus. Nam Dionysius nominat Christum diuinissimum Iesum. Hoc enim nomen diuinus essentialiter solet dici de his, de quibus prædicatur sicut hoc nomen Deus, dicitur enim, diuina essentia, diuina sapientia, sicut essentia Dei.

4. ¶ Porro cum vtriusque naturæ sit in Christo vna persona, ideo siue dicatur homo siue Deus, vna persona supponitur vtriusque naturæ. Vnde ea quæ humanæ naturæ sunt, prædicantur de Deo, & econtrario, licet Deus est passibilis, id est homo est æternus, immensus, omnipotens. Dicit enim Damascenus, 3 libro: Deus susceptis ea, quæ carnis sunt idiomata, id est proprietates, dū Deus passibilis nominatur, & deseruit gloriæ crucifixus vocatur. In talibus tamen propositionibus non solum considerare oportet, quid de quo dicitur: sed etiam propter quid vnumquodque de alio dicitur. Non enim humana deo conueniunt ratione naturæ diuinæ, neque diuina homini ratione naturæ humanæ.

5. ¶ At verò quoniam vtriusque naturæ cōiunctio in Christo non est facta in vnitate naturæ, vt Eutyciani putabāt: sed in persona saluis vtriusque naturę proprietatibus, atque vtraque natura in se integra permanēte: propterea quæ sunt naturæ diuinæ, non dicuntur de natura humana, neque econtra in abstracto. Non enim dicere possumus quod natura diuina sit passibilis, vel natura humana æterna.

¶ An istæ propositiones sint verę. 1. Filius Dei factus est homo. 2. Homo factus est Deus. 3. Ille homo (Christum demonstrando) incepit esse, vel fuit semper. 4. Christus secundum quod homo, est creatura. 5. Christus secundū quod homo, est deus. 6. Christus secundū quod homo, est hypostasis vel persona. Articulus. 25.

AMplius vnumquodque dicitur illud esse factū, quod de nouo prædicatur de ipso, vt si Petrus nunc incipiat fieri albus, dicitur albus factus. Cùm ergo Deus dicatur veraciter homo non ab æterno, sed ex tempore, constat hanc verā esse, Deus factus est homo. Non tamē Deus dicitur factus simpliciter, quia natura humana in eo nō habet subsistentiam propriam, sed ad esse personale verbi assumpta est. Quamuis etiam Deus dicatur homo factus, nō est tamen

tamē mutatus in diuinitatis naturā. Quāuis enim in his quæ absoluta dicuntur de aliquo fieri sit mutari, tamen quæ relatiue dicuntur vel propter relationem cōueniunt, sine mutatione de nouo alicui competunt. Nam potest mihi aliquis fieri sinistet vel dexter sine mutatione facta in me. Sic nanque dicimus Deo, Domine refugium factus es nobis. Esse autem vel fieri hominem conuenit Deo ratione vnionis, quæ est relatio quædam. Propterea sine mutatione dei, non tamen sine mutatione humanitatis, Deus factus est homo.

2. ¶ Porro dum dicitur, homo factus est Deus, tripliciter potest intelligi. Primo, vt dictio factus referatur ad subiectū vel prædicatū: sicque est falsa, quia nec ille homo nec Deus est factus, sicut patebit: sic autem non quæritur de propositione huiusmodi. Secundo, vt dictio factus compositionem determinet, & sit sensus: factum est, vt homo sit Deus. Et sic est vera, nisi quis dicat quod homo supponat non simpliciter sed pro suppolito. Iste tamen non est proprius sensus. Tertio potest intelligi prout dictio factus ponit fieri circa hominē per respectum ad deū & sic falsa est. Cum enim sit vna persona hominis & Dei in Christo significatur, quod suppositū hominis factum sit deus: hoc autem falsum est. Nam suppositum hominis in Christo est ipsum verbum seu verbi persona, quæ non est facta vel factum Deus. Terminus namq; in subiecto positus tenetur materialiter, id est, pro supposito in prædicato autē locatus tenetur formaliter, id est, pro natura. Et ideo cū dicit Hō factus est deus, hō supponit pro suppolito.

¶ Denique teste Hieron. ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis. Propter quod nec in nominibus communicare debemus hæreticis. Ariani autem dixerunt Christum puram creaturam & patre minorem. Ne ergo eis videamur fauere, non debemus simpliciter dicere Christum esse creaturam, sed cum determinatione seu additamento. Si verò sancti doctores inueniantur Christum dixisse creaturam sine additamento, tales propositiones non sunt extendendæ, sed exponendæ. Vnde propositiones quæ dubitationem includunt ob quam naturam Christo conuenient, non sunt sine determinatione enunciandæ de Christo. Non enim simpliciter dicendum est Christus incorporeus vel impassibilis, propter vitandum Manichei errorem: qui Christum asseruit non verum, sed fantasticum corpus assumpsisse.

3. ¶ In-

Universidad de Deusto
Biblioteca

3. ¶Insuper propositio ista: Hic homo (Christum demonstrando) incœpit esse, non est simpliciter cõsedenda: quia (vt dictũ est) hic homo imo & homo in subiecto positus, supponit pro persona. Persona autem Christi cum sit increata, non incœpit esse. Item talis propositio neganda est, ne videamur Arrianis fauere, qui dixerunt Christum non esse patri coæternum. Cum autem aliquis Catholicorum talem propositionem inuenitur concessisse, piè exponendum est, scilicet per determinationem ratione naturæ assumptæ.

4. ¶At verò propositio ista: Christus secundum quod homo, est creatura, conceditur, prout illa reduplicatio sumitur ex parte naturæ. Sic enim propriè intelligenda est. Sed si reduplicatio fieret ratione suppositi, tunc falsa esset propter causas præhabitas.

5. ¶Conformiter ista propositio: Christus secundum quod homo, est Deus, falsa est: si reduplicatio hominis fiat pro natura. Natura enim humana à diuina natura permansit in Christo distincta. Si verò reduplicatio fit ratione suppositi, vera est. Sed quoniam terminus in reduplicatione positus proprie tenetur formaliter & pro natura, ideirco ista: Christus secundum quod homo, Deus est magis proprie est neganda, quàm concedenda.

6. ¶Adhuc autem ista propositio: Christus secundum quod homo, est persona, vera est: si reduplicatio fiat ratione suppositi. Si verò sit ratione naturæ, tunc distinguenda est. Vel enim est sensus, quod natura humana in Christo habeat esse personale proprium: & sic falsa est. Vel, quod habeat esse personale in aliquo, & ita est vera. Habet enim esse personale ipsius verbi. Omne enim quod in humana natura subsistit, persona est.

¶An Christus sit vnum, vel duo. 2. Vtrum in ipso sit duntaxat vnum esse. Articulus 26

BOëthio insuper teste: Omne quod est, inquãtum est, vnum est. In Christo autem est vna vtriusque naturæ persona. Et quauuis natura diuina in abstracto accepta, prædicetur de Christo, sicut de qualibet diuina persona, quia in Deo sunt idẽ esse atq; essentia: natura tamẽ humana nõ proprie prædicatur in abstracto de Christo, sed solũ in cõcreto, prout significat habentẽ naturã. Ideirco Christus non est dicendus duo vel pura, sed verè absolutéque vnus.

2. ¶Amplius vnum & ens conuertuntur. Quod ergo verè est vnum, non habet nisi vnum esse. Et ergo cum in Christo sit natura humana, ad esse increatum verbi in vnitatem personæ assumpta, non est in eo nisi vnum esse simpliciter dictum. Ea enim quæ ad naturam pertinent, distinguuntur in Christo: habet nanque duos intellectus, duas voluntates, sicut & duas naturas. Sed quæ personã respiciunt, nõ numerantur, sed sunt vnum in Christo: sicut & persona in eo vna consistit. Esse verò immediate concernit personam, esse enim est suppositorum. Veruntamen trium diuinarum personarum non est nisi vnum esse propter vnitatem naturæ quæ non diuersificatur à suo esse.

¶Vtrum distinguantur in Christo voluntas diuina & humana. 2. An in humanitate Christi sit alia voluntas rationis, & alia sensualitatis. 3. An in ipso fuerunt plures voluntates rationis. 4. An liberum arbitrium. 5. An voluntas humana fuit diuinæ conformis per omnia. 6. An erat in Christo aliqua voluntatum contrarietas. Art. 27.

FVERVNT quoque nonnulli, qui non nisi vnam voluntatem in Christo ponebant. Appolinaris enim, qui dixit in Christo non fuisse animam intellectiuam, solam diuinam voluntatem in eo asseruit. Similiter Eutyches, & omnes qui vnam solam in Christo naturam ponebãt, vnam duntaxat voluntatem ei attribuant. Post modum autem Macharius Antiochenus patriarcha, & Cyprus alexandrinus & Sergius Constantinopolianus, atque eorum sequaces, quamuis in Christo faterentur vnam personam duasque naturas, non tamen ponebant in eo nisi vnam voluntatem. Opinabantur enim, quod in Christo humana natura nunquam mouebatur proprio motu, sed solum prout mouebatur à voluntate diuina. Hæc autem positio falsa est. Nam sicut præhabitum est, filius dei assumpsit humanam naturã perfectam & integram, cum his quæ ad essentialẽ eius pertinent perfectionem. Et ergo quemadmodum natura humana in Christo habuit intellectũ humanum: ita habebat propriam voluntatem. Vnde in Sexta Synodo apud Constantinopolim celebrata dicitur, quod in Christo oportet duas voluntates naturales & duas operationes naturales prædicare. Voluntas tamen Christi humana semper sequebatur diuinam, & ei per omnia subdita fuit.

1. ¶At

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. ¶ At verò sicut ad veritatem atque perfectionem naturæ humanæ pertinet rationalis appetitus, id est, voluntas: sic & appetitus sensitivus, qui dicitur rationalis per participationem. Et ergo in Christo erat appetitus sensitivus, id est, voluntas sensualitatis, qui rationali voluntati in omnibus erat subiectus, vt dictum est.

3. ¶ Sciendum autem, quod voluntas quandoque accipitur pro potentia: & sic in Christo erat sola vna rationis voluntas. Interdum verò sumitur pro actu, & sic in Christo erant duæ voluntates rationis, id est, duo actus voluntatis, quorum vnus erat circa ipsum finem, & talem voluntatē vocat Damascenus Thelesin, & magistri nominant eam vt naturam. Finis enim appetitur propter seipsum. Alia verò voluntas est eorum, quæ sunt ad finem: talia nanque non appetuntur, nisi per comparationem ad finem, hanc igitur voluntatem Damascenus nominat Bulesin, & magistri vocant eam voluntatem vt rationem.

4. ¶ Porro secundum Philosophum in Ethicis voluntas est proprie circa finem. Electio autem eorum quæ ordinātur ad finem: electio verò est proprius actus liberi arbitrij. Idcirco sicut in Christo ponitur voluntas & ratio, id est electio, ita in eo oportet ponere liberum arbitrium. Damascenus tamē dicit in Christo non fuisse electionem, videlicet prout electio dubitationem includit. Quamuis dubitatio de ratione electionis non sit, eligere enim conuenit deo. Iuxta illud Apostoli ad Ephesios primo: Elegit nos in ipso ante mundi cōstitutionem: libertas ergo arbitrij competit Christo sicut beatis.

5. ¶ Præterea sicut prædictum est, diuina dispensatione factum est, vt in Christo corporalis natura passionibus & morti subdita esset, vireſque animæ operarentur & mouerentur secundum propriam naturā. Appetitus autem sensitivus qui voluntas per participationem vocatur, naturaliter refugit malum & pœnā. Voluntas quoq; vt natura quæ est de ipso fine ea refugit, quæ secundum se mala existunt. Et ergo ambę istę voluntates in Christo aliud poterāt velle, quām deus. Præsertim, quoniam deus volebat Christum pati, non quasi passio talis esset propter seipsam appetibilis: sed propter ordinē ad humanam salutem. Et ergo voluntas vt natura refugiebat eam: Sed voluntas vt ratio, scilicet quæ est eorū quę sunt ad finem, non refugiebat eam. Nam ideo Christus dixit: Nō sicut

cut ego volo, sed vt tu. Et secundum hanc voluntatem Christus in omnibus volunt id quod Deus.

6. ¶ Verumtamen non fuit in Christo contrarietas voluntatum, contrarietas enim non est nisi de eodem & secundum idem. Voluntas autem sensualitatis, quæ pœnam nolebat, est alia à voluntate rationis, quæ eam volebat. Similiter voluntas vt natura non resistit voluntati rationis, quia non secundum eandem rationem mouebatur cum voluntate rationis. Ipsa enim mouebatur in aliquid secundum se consideratum. Voluntas verò rationis ferebatur in rem per respectū ad finē. Vna quoque potentia animæ Christi non impedriebat nec retardabat actum alterius. Placuit enim Christo, vt quilibet appetitus suus moueretur secūdum naturalem & propriam inclinationem. Erat autem in Christo agonia passione inflāte. Factus enim in agonia prolixius orabat, & hoc quantum ad partem sensitiuam. Prout agonia designat timorem infortunij imminentis, secundum Damascenum libro secundo. Sed quantum ad partem rationalem non extitit agonia in ipso, prout agonia importat concertationē voluntatem ex diuersis rationibus procedentem. Talis quippe agonia ex rationis debilitate contingit, quæ non valet cognoscere quid sit simpliciter melius. Hoc autem à Christo longe erat.

¶ Virum in christo sit vna vtriusque naturæ operatio. 2. An sit in eo tantum vna operatio secundum naturam humanam. 3. Virum per operationem humanam aliquid meruit sibi. 4. An & nobis aliquid promeruit. artic. 28.

SCiendū præterea, quod sicut præfati hæretici vnā duntaxat in Christo voluntatem ponebant: ita dicebant in ipso fuisse vnā diuinitatis & humanitatis operationē, sic quod natura humana non habuit propriam operationem, quasi ipsa esset actiuum operationis principium, sed solùm mouebatur à verbo, velut instrumentum ipsius. Vnde quamuis Christus vt homo comedit & ambulauit atq; similia fecit, omnia tamen hæc attribuebant diuinæ naturæ, tanquam efficiens principio. Hæc autem positio falsa est. Nam quamuis instrumentum moueatur à principali agente, habeatq; eandem operationem cum eo quantū ad id, quod à principali causa sortitur: nihilominus habet propriam operationem, quæ sibi secundum propriam cōuenit formam: sicut secuti ex se competit scindere, sed facere scannum, prout ab arti-

ab artifice mouetur. Et ignis ex propria natura calefacit, sed formam claui inducere competit sibi ex influentia fabri. Et talis operatio non attribuitur principali agenti, nisi prout vtitur operatione alterius: Sic in Christo natura humana quibusdam aliqua operabatur ex virtute diuinæ naturæ, vt est ambulare super aquas, sanare infirmos, quæ etiam competunt verbo tanquam principali agenti: tamen quædã operabatur ex propria natura atque virtute, quæ sunt distinctæ operationes ab diuina. Et in hoc patet hæresis Seueri. Veruntamẽ natura diuina vtebatur operatione humana tanquam actione sui instrumenti, & natura quoque humana sortiebatur virtutem agendi ex virtute diuina. Propter quod Dionysius secundo capitulo de diuinis nominibus vocat operationem Christi Theandricam, id est dei virilem.

2. ¶Porro operatio illa propriè nominatur humana, quæ procedit à ratione per voluntatem, quæ rationis appetitus consistit. Aliæ autem operationes nõ sunt humanæ propriè, sed conueniunt homini vel ratione elementi prædominãtis, vt moueri deorsum, vel ex virtute animæ vegetatiuæ vel sensitiuæ. Operatio verò secundum elementum prædominans, & animam vegetatiuam rationi nequaquam subijcitur. Operationes autem animæ sensitiuæ rationis imperio aliquo modo subduntur, idcirco humanæ per participationem vocantur. Cũ verò inferius à superiori suo mouetur, est eadẽ actione vtriusq; ex parte actiui principij. Sed dum mouetur inferius secundum propriam naturã, actio est diuersa. Et ergo in quolibet puro homine est alia operatio, quæ est secundũ elementum prædominans, vegetatiuamq; animam, quàm illa quæ secundum partem intellectiuam. Operatio quoq; partis sensitiuæ in homine est diuersa ab actione rationis, quo ad id quod sensus rationi non subditur. Nunc enim est sermo de vnitate operationis ex parte actiui principij. Ista autẽ operationum diuersitas in Christo locum non habuit in toto. Nam in eo non erat aliquis motus sensitiuæ partis rationi nõ subditus. Sed & cæteræ inferiores atque naturales suæ operationes ad ipsius voluntatẽ quodãmodo pertinebant, inquantũ voluntas eius extiterat, quod caro quę sibi sunt ꝓpria pateretur & ageret: & sic tales operatiões in Christo erãt aliqualiter humanę.

3. ¶Deniq; nihil post deũ est sibijpsi simpliciter alicuius boni causa, sed deus omniũ bonorũ principiũ est. Homo verò sibijpsi

sibijpsi causa quodãmodo dicitur quorundã bonorũ, inquantum per gratiã hęc meretur. Dignus ergo est habere aliquid ex se, quàm per modum meriti. Omnis autem nobilitas atq; perfectio conuenit Christo. Ea igitur sine merito habuit, quę alij per meritum habent: nisi sint talia, quorum carentia magis deroget perfectioni Christi, quàm meritũ accrescat. Et ergo nec gratiam, nec sapiẽtiam nec beatitudinem meruit: sed glorificationem corporis, ascensionem, & alia ad exteriorem excellentiam spectantia meruit sibi, inquantum viator.

¶Insuper Christus alijs meruit. Habuit nanq; gratiã nõ tantum singularis personæ vel particularem, sed vniuersalem ac plenam, & sicut totius ecclesię caput, & sic gratiam & merita effundit atq; communicat membris suis.

¶Vtrum Christus sit patri subiectus. 2. An etiam sibijpsi. Art. 29.

HAbet proinde in Christo natura humana triplicem subiectionem respectu diuinæ naturæ. Primã secundum bonitatem. Diuinitas enim substantialiter bona est, humanitas participatiue. Secundã quantũ ad virtutem, prout diuinæ dispositionis potestati subiacuit. Tertiam quo ad voluntatem, quia per omnia patri obediẽs fuit. Propter has ergo subiectiones dicitur pater filio maior, & filius patri subiectus. Tales tamen propositiones semper intelligendæ sunt cum quadã determinatione, & non simpliciter: quemadmodum dictũ est de hac propositione: Christus est creatura, videlicet, vt referatur subiectio ad naturã humanã.

2. ¶Deniq; filius seipso maior vocatur & sibijpsi subiectus, non quod sit alia verbi atq; naturæ humanæ persona in Christo, vt dixit Nestorius, sed quia duarum naturarum vna est filius, vt dixit Nestorius, sed quia duarum naturarum vna est forma serui vocatur. Quoniam increata & dignior alia, quæ forma serui vocatur. Quoniam verò Christus est nomen personæ æternæ & increatæ: ideirco simpliciter ei conueniunt, quæ sibi ratione suæ personæ conueniunt, quæ autem propter naturam assumptam ei competunt cum aliqua determinatione ipsi ascribenda sunt, ad vitandum errandi occasionem.

¶An Christo conueniat orare. 2. An orare competat sibi secundum suam sensualitatem. 3. Pro quibus sibi orare conueniat. 4. An omnis eius oratio fuerit exaudita. Articulus 30.

ORatio autem est explicatio propriæ voluntatis cotã deo, vt impleatur ab eo. Christus verò vt homo nõ erat omnipotẽs, sed à deo virtutẽ & operationẽ

accepit, præsertim supernaturalium operũ, sicut ostensum est antè. Et ergo orare conuenit Christo ratione voluntatis eius, inquantũ est homo, quemadmodũ Luc. 6. dicitur: Exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.

2. ¶ Porro Christus non orauit secundum suam sensualitatem, quasi oratio eius sit actus suæ sensualitatis. Sensualitas nanque sensibilia non transcendit, oratio verò est ascensus mentis in deum. Item oratio ordinationem importat, petitio aliquid ad Deum refert, optans illud ab eo impleri. Ideoque oratio est actus rationis. Rationis quippe est ordinare. Sed dicitur Christus secundum sensualitatem orasse, quia ratio non quam sensualitatis aduocata orando expressit, quòd sensualitas affectauit. Primo, vt ostenderet se veram humanam naturam cum omnibus suis naturalibus affectionibus assumpsisse. Secundo, vt ostenderet nobis licere aliquid secundum naturalem affectum velle, quod deus non vult. Tertio, vt ostenderet hominem debere semper Deo propriam voluntatem subijcere.

3. ¶ Præterea Christus orauit pro se tam secundum voluntatem simplicem, quæ dicitur vt natura: vt cum orauit pro ablatione mortis, quam naturaliter horruit: quàm secundum voluntatem deliberatam, quæ vocatur vt ratio, vt dum dixit Pater clarifica filium tuum. Gloriã enim corporis sui simpliciter desiderauit.

4. ¶ Oratio quoque est voluntatis interpres & nuncia. Voluntas verò non dicitur perfecta atque simpliciter humana, nisi sit ex deliberatione rationis. Nam voluntas simplex quæ est vt natura, est potius quædam velleitas, quã voluntas, qua per eã appetitur aliquid quasi conditionaliter, scilicet si aliud non obstaret. Christus autem secundum deliberatam voluntatem nihil volut vel orauit, nisi quod deo placere cognouerat. Quicquid ergo voluntas Christi humana simpliciter deliberata volebat, impletum est. Et ergo eius oratio fuit semper exaudita. Dicit enim Apost. de Christo ad Hebr. quarto: Cùm clamore valido & lachrymis orationem offerens exauditus est pro sua reuerentia.

¶ *An Christus sit sacerdos. 2. An simul & hostia. 3. De effectu sacerdotij eius. 4. Ad quos effectus hic pertineat. 5. De æternitate sacerdotij Christi. 6. Quomodo dicatur sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Articulus 31.

AD sacerdotem verò pertinet diuina tradere populo, atque populi preces deo offerre, sicq; inter deum & populum mediatorem consistere. Hoc autẽ maximè conuenit Christo. Et ergo pontifex noster & sacerdos vocatur iuxta illud ad Hebræos quarto: Habemus pontificem, qui pertransiuit cœlos, Iesum filium Dei. Et quia sacerdos inter deum & populum mediat, quod est angelorum officium, ideo angelus appellatur secũdum illum Malach. 2. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore eius requirent, quia angelus Dñi exercituum est. Christus verò etiã vt homo, erat angelis maior propter vnionem cum verbo. Sed dicitur modico ab angelis minoratus propter passibilitatem sui corporis. Christus quoque propter omnium gratiarum plenitudinem dicitur rex, sacerdos, & legislator fidelium. Propter quod Esaiæ 33. scriptum est: Dñs iudex noster, dñs legifer noster, dñs rex noster, ipse veniet & saluabit nos.

2. ¶ Amplius secundum Aug. primo de Trinitate: Omne visibile sacrificium inuisibilis sacrificij quo se spiritus Deo offert, est sacramentum, id est, sacrum signum. Et ideo omne quod ad hoc Deo exhibetur, vt spiritus hominis dirigatur ad Deum, dici potest sacrificium. Indiget itaq; homo sacrificio propter tria. Primo propter remissionem peccati. Secundo, vt conseruetur in bono, pro quo in veteri lege offerebatur pacifica hostia. Tertio, propter perfectam vnionem sui Deo, quod erit in gloria. Vnde in veteri lege offerebatur holocaustum, quasi totum incensum. Quoniam igitur per Christi hostiam, quasi totum incensum. Quoniam igitur per Christi hostiam humanitatem peccatorũ remissionem & conseruationem in bono, consummatam quoque vnionem cum Deo sortimur atq; acquirimus: ideo Christus vt homo nõ solùm fuit sacerdos, sed etiam hostia perfecta, id est, hostia pro peccato, hostia pacificorum & holocaustum. Et hoc, secundum quod eius necessio referrut ad propriam suam voluntatem: non autem ad voluntatem occidentium ipsum.

1. ¶ At verò in peccato sunt duo, videlicet, macula culpæ, quæ deletur per gratiæ infusionem, & reatus pœnæ qui remouetur per satisfactionem. Per passionem autẽ Christi gratia nobis præstatur, qua ad Deum conuertimur. Ipse quoq; pro nobis satisfecit, quoniam languores nostros tulit. Et dolores nostros portauit. Idcirco sacerdotium Christi plenam vim habet expiandi peccata. Vnde effectus sacerdotij Christi

 est ex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

est expiare peccata.

4. ¶ Præterea sacerdos inter Deum & populum mediator consistit. Ille verò mediatore eget, qui per seipsum accedere non potest. Christus autem vt homo per seipsum accedit ad deum, semper viuens ad interpellandũ pro nobis, secundum Apostolum ad Heb. 7. Et ergo effectus sacerdotij Christi nõ est nisi respectu aliorum & non ad seipsum. Ipse enim peccatum non habuit, nec adiutore egebat: Nisi forte quo ad impassibilitatem sui corporis, quam sibijpsi sua passione promeruit; non tamen prout passio erat satisfactiua, sed prout ex propria voluntate patri obediendo mortem sustinuit, ideo enim deus exaltauit eum.

5. ¶ Præterea in sacerdotis officio duo considerantur, videlicet oblatio & sacrificij consummatio, per quam illi pro quibus sacrificium offertur, effectum sacrificij cõsequuntur. Christus autẽ passus est pro nobis propter bona futura, cœlestia atque æterna, & ob hanc rationem dicitur sacerdotium eius æternum.

6. ¶ Deniq; sacerdotium Christi legale sacerdotium in multis excellit, quia peccata aufert & æternaliter manet. Et hoc significatum est per sacerdotium Melchisedech, qui decimas sumpsit ad Abraham, in cuius Abrahę lumbis quodammodo decimatus est sacerdos legalis. Vnde sacerdotium Christi dicitur secũdum ordinem Melchisedech, propter eminentiam veri sacrificij, quo ad sacrificium legis. Sciendum tamẽ, quod in sacerdotio Christi duo pensantur, scilicet ipsa oblatio & oblationis effectus. Quãtum ad primum, sic sacerdotium Leuiticum expressius significauit sacerdotium Christi quàm sacrificium Melchisedech, propter sanguinis effusionẽ in lege. Sed quantum ad effectum oblationis Christi, qui est vnitas ecclesiæ: sic sacerdotium Melchi, expressius significauit sacerdotium Christi. Obtulit nanq; panem & vinum, per quæ vnitas designatur ecclesiæ, quam Christus collegit. Et ergo sub speciebus panis & vini sacrificium Christi frequẽtatur. Dicitur autem Melchisedech sine patre & matre, neque initium dierum neque finem habens, quoniam eius genealogiæ initium & finis in scriptura sacra non legitur.

¶ *An Deo competat filios adoptare. 2. An soli patri hoc competat. 3. An homini proprium sit adoptari à deo. 4. Vtrum Christus dici possit filius adoptiuus.* *Articulus 32.*

Quem-

QVemadmodum denique homo dicitur aliquem adoptare in filium, eo quod ad suam hæreditatem eum admittit, sic dicitur Deus hominem adoptare in filium, in quantum ex sua bonitate ad æternæ beatitudinis participationem eum admittit. Sed in hoc præeminet adoptatio Dei quoniam eum quem adoptat ad prædictam participationem, idoneum efficit. Homo autem eum, quem adoptat non agit idoneum ad adoptionem, sed eum qui iam idoneus est, adoptat. Et sicut per creationẽ communicatur bonitas Dei omnibus rebus quandam secundum similitudinem nita per adoptionem diuinam communicatur hominibus similitudo naturalis filiationis, quemadmodum ad Romanos octa. habetur: Quos præscicuit conformes fieri imaginis filij sui.

2. ¶ Porro filius naturalis & adoptiuus differũt, quod filius naturalis non est creatus vel factus sed genitus. Sed filius adoptiuus est factus non genitus nisi spirituali generatione, quæ est gratuita non naturalis. Cùm ergo creare seu facere commune sit toti Trinitati, adoptare non solum competit communne sic toti Trinitati, adoptare non solum competit Deo patri, sed toti super beatissimæ Trinitati, cuius opera ad extra sunt indiuisa.

3. ¶ Amplius filiatio adoptiua similitudo est filiationis naturalis. Filius autẽ Dei est verbum patris, Verbo autem intellectuali assimilari potest aliquid tripliciter. Primo secundum rationẽ formæ, & nõ secundum intelligibilitatem, quemadmodum in domo forma domus exterius factæ similatur formæ domus in mente artificis, secundũ speciem, & nõ secundum intelligibilitatem. Nã forma domus materialis nõ est secũdum se intelligibilis, & hoc modo omnis creatura assimilatur verbo Dei, quia per ipsum est facta. Secundo assimilatur aliquid verbo secundũ rationem formæ & intellectualitatis, vt scientia discipuli verbo scientiæ magistri, & sic creatura rationalis secundum suam naturam assimilatur verbo Dei. Tertio assimilatur creatura verbo æterno secundum vnitatem, quam habet cum parte quæ fit per charitatem ac gratiam. Talis quoque assimilatio complet rationem adoptionis, sic enim Deo assimilatis debetur æterna hæreditas. Ideo adoptari soli intellectuali cõpetit creaturæ, & non omni, sed charitatem habenti.

4. ¶ Insuper sicut in Christo est vna duntaxat hypostasis, & ita vna filiatio. Filiatio nanque concernit personã. Cùm ergo

 sit

sit Christus filius naturalis, nullo modo dicendus est filius adoptiuus. Vnde cum ait Hilarius, quod Christi humanitas adoptatur, sumitur adoptari pro vnm. Similiter quod dicit Augustinus in libro de prædestinatione sanctorum. Eadē gratia ille homo est Christus, qua alij facti sunt Christiani, intelligendum est quantum ad principium gratiæ, scilicet quia sine meritis ille homo est Christus Dei filius sicut alij Christiani. Gratia autem habitualis Christi non facit eum filium adoptiuum, sed est effectus filiationis naturalis in anima Christi. Quanuis ergo Christus secundum quod homo dicitur seruus, non tamen filius adoptiuus, quoniam seruitus atque abiectio pertinent tam ad naturam, quàm ad personam. Filiatio autem personam tantummodo respicit.

¶ *An Christus sit prædestinatus. 2. An sit prædestinatus secundum quod homo. 3. An prædestinatio Christi sit exemplar & causa nostræ prædestinationis.* Articulus 31.

PRædestinatio demum est æterna Dei præordinatio eorum, quæ per gratiam fiunt in tempore. Est autem per gratiam vnionis in tempore factum, vt homo esset deus, deusque homo. Vno ergo duarū naturarum in Christo sub prædestinatione cadit. Et ideo Christus dicitur esse prædestinatus. Iuxta illud Apostoli ad Rom. 1. Qui prædestinatus est filius dei in virtute. Quidam verò intellexerunt hanc prædestinationem esse ad naturam humanā referendam. Sed hoc improprie dictum est, nam prædestinatio ad suppositū pertinet. Natura quoq; humana dici nō potest filius Dei, qui secundū Apostolum dicitur prædestinatus. Aptius ergo alletitur, quod filius Dei sit prædestinatus, nō prout in diuina sed prout in humana subsistit natura.

2. ¶ Ex quo elucescit hanc esse verā, Christus secundū quod homo, est prædestinatus filius Dei in virtute. Duo enim considerantur in prædestinatione, videlicet actus prædestinantis, qui antecessionē includit, & effectus tēporalis ipsius prædestinationis, qui est aliquod donum gratuitū. Propter vtrumq; autem istorum Christus secundum quod homo, dicitur prædestinatus. Nam natura humana non semper extitit diuinæ vnita, sed vnio hæc per gratiam in tempore facta est.

3. ¶ Insuper prædestinatio Christi nō est exemplar vel causa nostræ prædestinationis quo ad actum prædestinantis. Ille enim actus est idem quod deus, & vno actu deus Christū, & nos prædestinauit. Sed quo ad effectum vel terminum prædestinationis. Christus enim prædestinatus est vt sit filius naturalis. Nos verò prædestinamur, vt simus filij adoptiui. Filiatio autē naturalis exēplar, & causa est prædestinationis nostræ, Item quia de plenitudine gratiæ Christi omnes accepimus, & per eum effectum prædestinationis à deo sortimur, videlicet gratiam & gloriam. Vnde in libro de prædestinatione sanctorum asserit Augustinus. Est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse saluator, ipse mediator dei & hominum homo Christus Iesus. Deus enim præordinauit ab æterno nostra saluatem reparari per Iesum Christum.

¶ *An vna & eadem adoratione sit adoranda Christi diuinitas atque humanitas. 2. An adoratio latriæ sit exhibenda carni Christi, imagini eius, cruci eius, & matri. 3. De adoratione reliquiarum sanctorum.* Articulus 34.

DVo quoque possunt attendi in eo qui honoratur, videlicet ipsum totū subsistēs, & ea quæ in ipso sunt. Honor autem nō impenditur propter & per se, nisi toti subsistenti. Nā si pars alicuius, scilicet manus, aut pes, honoretur, hoc non est propter se, sed prout est alicuius totius. Et sic totū honoratur in parte. Causa autē honoris est excellentia honorati. Si ergo in vna persona sint plures excellentiæ honorati, sicut ergo in vna persona sint plures excellentiæ, vtpote, virtus, scientia, atque præsatio, erunt plures honorationes vnius secundum ordinem ad causas honorationis. Sed ex parte personæ quæ honoratur, erit honoratio vna. Itaque vna est adoratio, qua totus Christus adoratur, propter vnitatem personæ. Sed possunt dici plures adorationes secundum causas honorandi diuersas, scilicet propter sanctitatem increatam, & creatam, & gratiam, &c.

2. ¶ Quoniam igitur adoratio nō competit propriè nisi subsistenti, humanitas Christi sensum propriè non dicitur adorāda: sed tamen eo modo quo adorari potest: respondendū quod adoratio humanitatis Christi dupliciter potest intelligi. Primo, vt adoratio eius sit illius, cuius est ipsa, scilicet verbi: & sic deberetur ei adoratio latriæ. Sic enim adorare Christi humanitatem, aliud nō est nisi adorare verbum incarnatum. Quemadmodum adorare vestem regis, est adorare regem vestitum. Secundo potest adoratio humanitatis Christi intelligi, quod sit ratione ipsius humanitatis omni gratia plenę. Et sic deberetur ei adoratio dulię. Christo ergo duplex adoratio

 fieri

fieri potest, scilicet latriæ ratione naturæ diuinæ: & dulíæ, propter naturã humanã. Nec hoc est inconueniens, quia & deo patri cõpetit adoratio latrię ratione creationis, & adoratio dulíæ ratione dominationis & gubernationis, secundum Glosam super illud Psalmi: Dñe Deus meus in te speraui. Vade Damascenus tertio libro dicit. Adoratur autem caro Christi in incarnato Dei verbo, non propter seipsam, sed propter vnitum secundum hypostasim verbum.

¶ Præterea secundum Philosophum in libro de memoria, & reminiscentia, duplex est motus in imagine. Vnus prout imago est res quædam, & ille est alius à motu, qui fertur in id, cuius est imago. Alius, prout imago est figura alterius, sicque vnus est motus in ipsam imaginem, & rem cuius est imago. Imago ergo Christi primo modo non adoratur, prout est res quædam sculpta vel picta. Reuerentia enim nõ deberet nisi rationali creaturæ, quæ est subiectum virtutis. Sed secundo modo adoratur adoratione latriæ, sicut & Christus. Imo sic vtriusq; est vna adoratio. Et quanuis in scriptura nouæ legis nõ sit hic ritus adorandi crucem descriptus, Apostoli tamen instituerunt hunc cultum & seruandum sanxerunt. Nã 2. ad Thessa. 2. dicitur: Tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam. Vnde & sanctus Lucas depinxisse fertur Christi imaginem, quæ Romæ habetur.

¶ Amplius reuerentia propter duas rationes impenditur irrationali creaturæ: vel, quia rationalem naturam repræsentat, vt imago, vel statua regis: vel, quia ei aliquo modo coniungitur, vt purpura Cæsaris. Crux ergo in qua Christus suspensus est, propter ambas causas adoratur. Et non solum crux, sed & alia quæ sunt Christi, & claui, lancea, vestes, propter contactum corporis sui adorantur hoc modo, secundum Damasc. 4. lib. Non tamen adoramus imaginem horum sicut imaginem crucis, quia crux per se repræsentatiua est Christi, non ista. Veruntamen adoratio dulíæ, quæ humanitati Christi debetur, singularis est atque excellens & hyperdulia nominatur.

¶ Pariformiter matri Christi, cum sit pura creatura, non exhibetur adoratio latriæ sed dulíæ, non qualiscunque sed excellentis, quæ hyperdulia dicitur: cum ipsa sit mater creatoris & virgo. Quanuis verò rationalis creatura sit Dei imago, nulla tenus tamen adoranda est latriæ cultu, ad vitandum erroris occasionem, quia scilicet secundum seipsam est capax venerationis, & ideo si adoraretur, esset occasio quod propter seipsam sic honoraretur.

¶ Potro sanctorum reliquias adorare debemus cultu dulíæ propter amorem eorum, & honorẽ Dei qui eas honorat per multa miracula.

¶ *An Christo sit proprium esse mediatorem Dei & hominum. 2. An hoc ei conueniat ratione naturæ humanæ. Artic. 35.*

Officium verò mediatoris est, eos cõiungere inter quos mediat: Extrema enim vniuntur in medio. Cùm ergo sit Christus perfectus & summus reconciliator, redemptor, & satisfactor generis humani, patet, quod ipse solus est simpliciter mediator Dei, & hominum. Alij verò secundum quid inquantum cooperantur ad aliquorum salutem.

2. ¶ Denique in mediatore duo pensanda sunt, scilicet ratio medij per hoc quod distat ab vtroque extremo, & officium cõiungendi, per hoc, quod ea quæ vnius sunt, defert ad alium. Christus autem secundum diuinam naturam non distat à patre & spiritusancto, sed nec defert nostra ad patrem, inquantum est Deus. Et ergo esse mediatorem quantum ad vtrumque, competit Christo, propter naturam humanam. Per hanc enim distat à Deo, & interpellat pro nobis.

¶ *De sanctificatione matris Christi. 2. An habuit gratiæ plenitudinem. 3. An caruit omni peccato. Artic. 36.*

DE sanctificatione autem virginis gloriosæ, iam determinauit ecclesia ac credit, quod ab originali peccato in conceptione præseruata fuit. Insuper ab omni actuali peccato immaculata permãsit. Decuit enim beatissimam illam omni carere macula culpæ, qui fontẽ sanctitatis Dei filium, deum verum cõcipere, gignere & sua carne vestire ac alere erat diuinitus præelecta. Vnde Augustin libro de natura & gratia dicit de sancta Maria: Propter Christi honorem nullam volo habere mentionem cum agitur de peccatis, Chrysost. tamen videtur asscribere beneditissimæ virgini aliquam venialem culpam, sed in hoc ipse excesit.

2. ¶ Deniq; quo aliquid est alicui primo atq; perfecto, propinquius, eò est ei similius, & perfectius bonitatemque illius participat. Christus autem inquantum est Deus, est omnium gratiarum origo authoritatiue, & secundum quod homo instru-

strumentaliter. Mater ergo eius sacratissima ei similissima est atq; plenissime gratiarum perfectionem ab ipso præ cæteris est adepta. Imò dubitandum non est, quin & gratias gratum datas & dona eminentissime habuit, scilicet donum sapientiæ, gratiam virtutum & prophetiæ, quanuis non sit vsu actibus omnium, quas habuit gratiatum atq; donorũ, sicut nec Christus: Non enim Christus omnibus linguis prædicauit.

3. ¶ Insuper non solùm diuinissima virgo, sed Ieremias quoque, & Ioannes Baptista in vtero sanctificati fuerunt, quod de alijs nullis credendum est: Priuilegia enim specialia gratiæ dantur ad vtilitatem communem & plurium. Sed vtilitas nulla eueniret si gratia præfixa occulta maneret. Et ergo de his non est credendum, quod sint sanctificati in vtero, de quibus scriptura mentionem non facit, quanuis de incomparabili virgine dubium nullum sit, quin multo eminentius repleta sit gratia in vtero matris præ alijs.

¶ *An mater Christi fuit virgo in concepta. 2. An in partu. 3. An post partum. 4. Votum virginitatis vouam emisit. Artic. 37.*

BEata porro genitrix sine viri contagione concepit. Decuit enim filium Dei naturalem non habere genitorem, nisi Deum: & Christum, qui venit peccata auferre atq; corrupta reparare, cõdecebat sine corruptione & cum omni mundicia concipi. Vnde patet hæresis Ebionis & Fotini, dicentium Christum ex viro & fœmina natum.

2. ¶ Propter eandem etiam rationẽ Christi genitrix in partu virgo, id est, illæsa & integra remãsit. Vtero clauso manente. Vnde quod Ambrosius super Lucam de Christo ait, quod aperuit matris suæ vterum, non designat reserationem claustri virginei pudoris, sed exitus diuinæ adorandæq; prolis ex inuiolati hospitio ventris.

3. ¶ Insuper decuit atque Christifera genitrix post partum virgo permansit. Decuit enim vt sicut Christus est vnicus filius Dei patris, ita cõsisteret vnicus filius virginis matris. Ille vterum spiritusancto cõsecratum & ab eo impregnatum, non decuit violari vel tangi à viro.

4. ¶ Porro opera perfectionis ex voto eminentiora reddunt. Cum ergo Maria omni virtute claruerit, sequitur quod ne dum virgo fuit, sed quod virginitatem promiserit. Vnde Augustinus in lib. de sancta virginitate testatur. Sed quia in veteri lege damnabatur iterilitas, non est credendum quod virginita-

ginitatem spoponderit absolute, quanuis eam in desiderio habuit nisi postquàm desponsata est Ioseph, quo facto ipsa simul cum sponso suo virginitatem promisit, pari atque communi consensu. Nam & Ioseph secundum Hieronymum in libro contra Eluidium, virgo permansit. Fratres verò Christi de quibus Euangeliũ loquitur, consobrini eius fuerunt. Quatuor quippe modis in scriptura fratres dicuntur, natura, gente, cognatione, affectu.

¶ *An Christus debuit nasci de matre desponsata. 2. Virum inter Mariam & Ioseph matrimonium verum fuit. Articulus 38.*

BEne insuper decuit Christũ de virgine & desponsata generari. Primo propter ipsum Christum, ne scilicet tãquam illegittime natus ab incredulis abijceretur. Secũdo, vt eius generatio solito modo scripturæ pertitos texeretur. Tertio, vt eius aduentus lateret diabolum se cundum Ignatium. Quarto vt haberet nutritium, qui pauperem & tanquam colonus venire elegit. Item ex parte matris hoc decuit. Primo, ne velut adultera lapidaretur. Secundo, ne diffamaretur. Tertio, vt ei vir deseruiret. Item ex parte nostri. Nam per testimonium Ioseph certior facta est virginitas sanctæ matris. Secundo per hoc designatur ecclesia, quæ est virgo desponsata Christo. Potuit autem diabolus si permissus à Deo fuisset, per suam naturalem industriã cognouisse quod mater Christi extitit virgo: sed non erat permissus experiri hoc ipsum.

2. ¶ Denique duplex ponitur perfectio matrimonij, scilicet prima consistens in indiuisibili coniunctione animorum per quam vnus coniugum semper tenetur alteri fidem seruare, Et hæc est matrimonij forma. Et quantum ad hanc perfectionem, perfectum & verum erat matrimonium Mariæ, & Ioseph. Perfectio autem secunda matrimonij proles generanda & educanda. Et quo ad hoc prædictum matrimonium non fuit consummatum & plenum, nisi quantum ad prolis educationem.

¶ *De annunciatione Mariæ. 2. De nuncio. 3. Ordo annuntiationis. Articulus 39.*

ERat quoque conueniens Christi conceptionem nunciari virgini præelectæ, quatenus mens eius deo primo coniungeretur, sicque cum carne conciperet.

Propter

Propter quod libro de sancta virginitate dicit Augu. Beata Maria concipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christum. Christi nam materna propinquitas nihil ei profuisset, nisi felicius Christum corde quàm carne gestasset. Secundo, vt ipsa esset certior testis de incarnatione fil. Dei, ex annunciatione angelica. Tertio, vt separatam spontaneam se præberet ad opus diuinum. Quarto, vt ostenderetur esse spirituale matrimonium inter filium Dei atque humanam naturam. Et ergo à virgine exigebatur consensus loco totius humanæ naturæ.

2. ¶ Insuper annuntiatio ista per angelum facta est, diuina enim deferuntur ad homines per ministerium angelorum. Virginibus quoque cum angelis singularis cõuenientia est. Angelis enim semper connata virginitas est. Rursus sicut per dæmonem deceptus est homo: sic per angelum salus ei redemptio eius debuit inchoari. Missus est ergo ad Mariã Gabriël, qui de ordine archangelorum consistit. Estque probabile, quod in ordine suo sit summus. Quidam verò opinati sunt ipsum esse summum omnium supernorum spirituum.

3. ¶ Deniq; angelus in forma sensibili Mariæ apparuit tum ad certificandam Mariam, tum quia inuisibilis verbi incarnationem, venerat nũciare. Angelus quoque conuenienti ordine virginem allocutus est. Primo enim fecit eam attẽtam per inconsuetam salutationem. Secũdo instruxit eam de modo effectus. Tertio induxit eam ad consensum. Aug. autem in libro quæstionum veteris & noui testamẽti, videtur asserere quod virgo Maria dubitauit, cum dixit. Quomodo fiet istud? Sed illa non erat dubitatio incredulitatis, sed potius admirationis. Nil enim mirabilius est animo humili quam audire sux excellentiæ. Et secundum Ambro. ipsa non dubitauit.

¶ *An caro Christi fuit sumpta ex Adam, Abraham & Dauid.*
2. De genealogia Christi. 3. Cur de fœmina nasci elegerit. *Articulus 40.*

QVoniã Christus venit redimere naturã humanam primi parentis peccato infectam cõueniens fuit, vt ex materia ab Adã derivata carnem assumeret. Quæsitum est autem, quomodo Christus dicitur fuisse in Adam secundum corpulentam substantiam, scilicet quia ab ipso originata est caro eius, & non secundum rationem seminalem, quia non erat ex vitili semine conceptus, neque formatus.

¶ Spe-

¶ Specialiter quoq; dicitur Christus filius Dauid & Abrahę, quia ad hos duos specialiter facta est promissio de Christo. Secundo, nã Christus est sacerdos, propheta, & rex. Abrahã verò sacerdos fuit atq; propheta. Dicit enim dominus ad eũ in Genesim. Sume tibi vaccam triennem, &c. Et iterum, Propheta est, & orabit pro te. Dauid autem propheta fuit, & rex. Tertio, quia in Abrahã circumcisio est inceepta. In Dauid verò electio dei maximè est manifestata, & ex hotũ semine natus est Christus, qui est in salutem circuncisioni Iudæorum, & electioni gentilium. Virgo autem Maria secundum Gregorium Nazanzenum ex regali, & sacerdotali fuit genere.

2. ¶ Porro Lucas asserit Ioseph filium Heli, Matthæus verò filium Iacob. Nam Ioseph erat filius Iacob, secundum generationem atq; naturam. Erat quoq; filius Heli fratris Iacob, secundum legem & adoptionem quandam. Quamuis autem Damascenus affirmat. Mariam consanguineam fuisse sancti Ioseph secundum illam originem, qua dicitur Ioseph filius Heli, quoniam dicit eam ex Melchi exortam, credendum est tamen, quod etiam ex Salomone originem duxerit, secũdum aliquem modũ per illos patres, quod Matthæus enumerat, quos carnalem Christi generationem describit: Præsertim cũ dicat Ambro. Christum de semine Iechoniæ prodisse. De his autẽ dubitationibus, quæ genealogiam Christi concernunt, sanctus Thomas in tertia par. quæst. 28. elegãter locutus est.

3. ¶ Decuit verò Christum accipere materiam corporis humani ex fœmina, quia secũdum Augustinum, liberatio hominis in vtroque debuit sexu apparere. Oportuit (id est, decuit,) autem naturam in sexu masculino assumi, propter excellentiã sexus. Et ergo vt in fœmineo quoq; sexu liberatio ista patesceret, oportuit Christum nasci ex fœmina. Item ad insinuandum veritatem generationis humanæ in Christo.

¶ *An Christi corpus sit de purissimis sanguinibus Mariæ formatum. 2. An caro Christi fuit in antiquis patribus secundum aliquid signatum. 3. An erat in eis peccato obnoxia. 4. An fuit decimata in membris Abrahæ.* *Artic. 41.*

ADuertendum præterea, quod sicut in Christi generatione supernaturale fuit, quia virgo concepit & peperit: sic naturale erat, quod mater proli materiam ministrauit. Mater enim secundum philoso. præbet materiam in generatione fœtus. Materia verò corpo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris humani est sanguis mulieris, ad ampliorem digestionem per virtutem generatiuam viri productus, & ergo ex talis materia Christus est genitus. Vnde Damascenus tertio libro ait: Filius Dei construxit sibi ex puris & castissimis sanguinibus sanctę virginis carnem animatam anima rationali. In generatione itaq; Christi ex virgine non erat semen, nec materiale sanguis, quia nec illa necessario requiruntur ad generationem, secundum philosophum.

2. ¶ Porro sanguis non est actu caro, sed potentia. Cùm ergo sit corpus Christi ex sanguine virginis sumptum, non potest dici quod corpus Christi fuerit in Adã vel alijs patribus secundum aliquid signatum, videlicet quod de aliqua parte signata quæ fuit in illis, verum sit dicere, quod ex ea formata sit corpus Christi. Nam quicquid in virgine matre ex parentibus acceptum exiterat, erat actu pars eius. Et ergo Christi corpus fuit in Adam & patribus secundum originem, sicut & cæteri. Vnde Aug. 10. super Genesim ad litteram dicit. Quocunque modo Christus fuit in Adam & Abraham, alij homines ibi fuerunt, sed alij non fuerunt ibi secundum aliquid signatũ. Christus igitur fuit in Adã secundũ corpulentã substantiam, non materialiter sed effectiue, siue secundũ originem.

3. ¶ Denique quoniam Christus in Adam non fuit omnino eodem modo vt cæteri, ideo Christus nõ peccauit in Adam, nec caro eius peccato erat infecta. Item non est opinandum quod aliqua pars matrę corporis fuit in Adam & patribus, non tamen peccato obnoxia. Et de illa formatum sit corpus Christi, vt aliqui putant. Tota enim caro per concupiscentiã propagatur, & ergo tota inficitur. Hoc quoque patet ex eo quod Christus non fuit in patribus secundũ aliquid signatum.

4. ¶ Adhuc autem secundum intentionem Apost. Christus non est decimatus in lumbis Abrahæ, quemadmodum Leui pronepos Abrahæ. Christi enim sacerdotium dignius est sacerdotio Leutico, & secũdum ordinem Melchis. appellatur. Sed Apost. probat sacerdotium Melchisedech præcellere sacerdotio Leui per hoc, quod Abrahã decimas dedit Melchisedech. Leui existente in lumbis Abrahę, aut sui, qui enim decimas dat seipsum imperfectum fatetur, & perfectionem attribuit. Nam nouem quæ sunt numerus impar, resciuat, & decimum quod est signum perfectionis numerorumq; terminus, alij præstat. Imperfectio verò hominũ est propter, peccatum

catum, cuius curatio fit per Christum. Melchisedech autem Christi figuram tenebat secundum Apostolum ad Hebr. 7. Per hoc ergo quod Abraham decimas dedit Melchisedech, figurauit se omnesq; nascituros ex semine suo curatione indigere, qui in originali peccato cõcipiuntur, videlicet qui in Abraham fuerunt secundum corpulentam substantiam, seminalemq; rationem. Sic autem Christus in eo non fuit. Sed Leui & alij patres. Vnde & ipsi in Abraham decimati dicuntur, id est, præfiguratã indigere illa curatiõe, quæ fit per Christum. sed Christus fuit in Abraham non quasi indigens curatione, sed tanquam vulneris medicina.

¶ Veram spiritussanctus fuit principium actiuum in conceptione Christi. 2. An Christus sit de spiritussancto conceptus. 3. An spiritussanctus possit dici pater Christi secundum carnem. 4. An virgo mater aliquid actiue egit in Christi conceptione. Articulus 42.

RAtionabiliter quoque fertur spiritussanctus author & causa conceptionis Christi, quamuis tota trinitas cuius indiuisa sunt opera, operata sit eam. Christi enim incarnatio ex diuina dilectione processit per solam gratiam sine meritis, spiritussanctus autem est amor patris & filij, & dator gratiæ præueniens merita.

2. ¶ Propter hoc ergo Christus conceptus dicitur de spiritussancto referendo efficaciã spiritussancti ad corpus assumptum: nõ tamen tenetur hæc propositio de propriè. Propriè autem dicitur aliquid de alio, quia est de substantia eius. Sed ex alio dicitur aliquid, quia producitur ab ipso.

3. ¶ Amplius quamuis cæteri homines dicantur filij Dei propter similitudinem naturæ vel gratiæ. Christus tamẽ inquantum homo, non dicitur filius spiritussancti, quamuis omni gratia eius repletus sit. Nomen enim quod de aliquo dicitur secundum rationem suam perfectam, non dicitur de eodem secundum rationem imperfectam. Sicut homo quia de Petro dicitur secundum propriam suam rationem, non prædicatur de eo secũdum quod homo depictus dicitur homo. Christus verò dicitur filius Dei secundũ perfectam rationem filiationis, vtpote eiusdem naturæ cum patre existens. Non ergo dicitur filius Dei, vel spiritussancti secundum rationẽ filiationis incompletam, videlicet prout est creatus, vel iustificatus. Spiritussanctus quoq; non est pater Christi secundum perfectam

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctam rationem patris. Pater nanq; vocatur qui de sua substantia gignit similem sibi in natura, Christus autē vt homo non est eiusdem naturæ cum spiritusancto & secundū quod deus nō est de spiritusancto, sed spiritussanctus de eo. Patet ergo quod spiritussanctus nullo modo dicendus sit pater Christi.

4. ¶ At verò virgo mater in conceptione Christi nil actiuè peregit, sed ministrauit materiam quam spiritussanctus formauit, mater enim in generatione se habet per modū patientis, & pater per modum agentis: sed in conceptione Christi spiritussanctus suppleuit vicem patris & seminis, quidam tamen oppositum æstimant.

¶ Vtrum corpus Christi primo instanti conceptionis fuit formatum. 2. An animatum. 3. An assumptum. 4. An illa conceptio erat miraculosa. Articulus 43.

TRia proinde in cōceptione corporis attenduntur, videlicet motus localis, sanguinis ad locum generationis, formatio corporis ex tali materia, & corporis formati augmentum. Cōceptio autem in formatione consistit, & illa formatio in Christi cōceptione erat in instanti propter infinitam virtutē spiritussancti. Et propter excellentiam verbi, quod non decebat assumere corpus imperfectum, sed primum & tertium erant in tempore. motus enim localis successiuus est & temporalis.

2. ¶ Præterea in eodem instanti quo corpus Christi formatum siue cōceptum est, est etiam animatum anima rationali: aliter illa conceptio non posset attribui filio Dei, non enim assumpsit verbum Dei nisi mediante, vt dictum est corpore.

3. ¶ Oportet etiam conliteri, quod in eodem instanti quo corpus Christi animatum est, sit anima Christi & corpus humul à verbo assumpta. aliter natura humana in Christo haberet huisset ante assumptionem subsistentiam propriam, quam si sibi reseruasset, non esset Christus verus deus & verus homo in vnitate personæ. Si verò illam amisisset, corrupta fuisset.

4. ¶ Porro secundum Ambrosium libro de incarnatione, in hoc mysterio multa fuerunt secundum naturam, videlicet quæ matrem cōcernunt. Naturale enim erat vt fœmina concideret, materiamque præberet. Sed considerando ea quæ ad virtutem actiuam huius incarnationis spectant, totum est supernaturale: vt quod spiritussanctus virginem fœcundā effecit, illæsam seruauit, &c. Vnumquodque verò potius iudicium

dum est secundum agens & formam, quam secūdum patiēs atque materiam, idcirco simpliciter dicēda est Christi conceptio miraculosa fuisse quātus secūdū aliquid fuerit naturaliv.

¶ An Christus in primo suæ conceptionis instanti fuit sanctificatus per gratiam. 2. An habuit vsum liberi arbitrij. 3. Potuit mereri. 4. An fuit in illo instanti comprehensor. Articulus. 44.

HAbitum insuper atq; ostensum est, quod vnio naturæ humanæ cum verbo in persona causa fuit gratiæ sanctificantis animam Christi. Sicut igitur Christus in primo instanti suæ cōceptionis maternæ extitit deus & homo: sic & in eodem instanti repletus est omni gratia habituali, animam eius & corpus formaliter sanctificante.

2. ¶ Adhuc autem quia naturam humanam cum omni sua naturali perfectione ornatam assumpsit. Idcirco mox in primo instanti vsum liberi arbitrij humani habebat. Liberū quippe arbitrium est facultas rationis & volūtatis. Intellectus autem seu ratio atque voluntas in Christo à primo conceptionis instanti perfectè erant, non solum in habitu: sed etiam secundum actum completum, vt dictum est.

3. ¶ Ex istis demum colligitur, quod Christus in primo suæ conceptionis instanti meruerit, habuit enim vsum seu actum voluntatis ac liberi arbitrij plenissimè gratia informatum atque ad deum conuersum.

4. ¶ Porro, quoniam Christus in primo suæ cōceptionis instanti gratiam sine mensura accepit, imò nec in gratia profecit, sed semper plenissimam habuit: sequitur, quod non tantam solùm gratiā habuit, quantā comprehensores in patria, sed omnibus ampliorem atque perfectiorem. Propter quod perfectus comprehensor extitit à cōceptionis principio. Nā gloriam animæ nō meruit, sed corporis: cuius immortalitatē & gloriam in primo instanti conceptionis promeruit, & etiam postea. Non enim incōueniens est idem sæpius promereri, & aliquid esse alicuius ex pluribus causis.

¶ An natiuitas sit naturæ, vel personæ. 2. An in Christo fuerint duæ natiuitates. 3. Quod virgo Maria est mater Christi & genitrix dei. 4. An Christus sit filius dei & hominis secundum duas filiationes. 5. De modo loco & tempore natiuitatis Christi. Art. 45.

NAtiuitas verò dupliciter alicui potest competere. Primo sicut subiecto. Et sic cum nasci sit idem quod generari, natiuitas pertinet ad suppositum siue hy-

postasim: esse enim atque subsistere suppositis conueni. Secundo sicut termino: & sic natiuitas est naturæ, nam terminus generationis & cuiuslibet natiuitatis est forma, ad quam intentio naturæ terminatur. Sed quia in deo sunt idem in re, natura atque persona: idcirco quandoq; natura propter sona ponitur, vt cum Augustinus dicit in libro de fide ad Petrum: Natura diuina & æterna non posset concipi & nasci, si secundum veritatem naturæ humanæ.

2. ¶ Denique motus diuersificatur & numeratur secundum terminos ad quos. Cùm ergo natiuitas sit via & velut motus ad naturam, tanquam ad terminum: constat, in Christo duas esse natiuitates ponendas: vnam æternam, per quam accepit à patre naturam diuinam. Aliam temporalē, secūdum quam à matre virgine sumpsit naturam humanam.

3. ¶ Ideoq; virgo benedicta mater Christi vera naturalis fuit & est & fuit, nam verè ex ea natus existit, quia nō corpus cuius te secum tulit, vt Valentius confinxit, sed ex purissimis glorio sissimæ puellæ sanguinibus carnem accepit & induit.

¶ Insuper iuxta præinducta, nomen quod in concreto naturam significat, potest supponere pro qualibet hypostasi illius naturæ, sicut hoc nomen homo, quia naturam humanam in concretiue significat, potest supponere pro Petro & Paulo, aliisque hominibus. Cùm ergo filius dei sit hypostasis atque persona naturæ humanæ in Christo, potest hoc nomē deus supponere pro illa hypostasi, id est, christo, seu verbo ac filio dei. Et ergo ista est vera: Maria est mater dei, cum sit mater Christi, qui est verus deus & vita æterna.

4. ¶ At verò filiatio concernit suppositum seu personam. In Christo autem non est nisi vna persona, & hęc est æterna. Propterea non est in Christo nisi vna realis filiatio. Relatio verò qua deus ad creaturam refertur, nō est realis in deo, sed in creaturis est reale correlatiuum. Vnde sicut deus est rerum dominus rerum creaturarum non propter realem relationem in ipso existentem, sed propter realem relationem creaturarum sic virgo sancta est realiter mater Christi, non propter realem relationem in Christo ad eam, sed propter realem relationē eius, vtpote maternitatem eius ad eum. Relationum enim relationum vna cointelligitur in alia. Quidam tamen ponunt duas filiationes in Christo, eo quod natiuitas filiationis sit causa.

5 ¶ Adhuc

5. ¶ Adhuc autem dolor patientium ex apertione meatuū contingit, per quos proles egreditur. Christus autē egressus est vterum virginis, ventre virgineo manente concluso. Nō ergo virgo mater cum dolore peperit, sed cum ingēti lætitia, iuxta illud Isa. 35. Germinans germinabit sicut lilium, & exultabit lætabunda & laudans. Nec erat in partu virginis obstetrix aliqua, secundum Hieronymum in libro contra Heluidium, sed vt Lucę secundo habetur, ipsamet virgo Maria infantem Iesum pānis inuoluit, atque in præsepio reclinauit. Quę sententia apocryphorum deliramenta conuincit.

6. ¶ Amplius, quoniam sancto Dauid de Christo repromissio specialiter fuerat facta: ideirco Christus in Bethleē Iudæ de qua natus est Dauid, nasci elegit. Quemadmodū Mich. 2 prædictum est: Et tu Bethleem Ephrata, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel. Item Bethleem interpretatur domus panis, congruenter ergo in ea est natus, qui de seipso testatur: Ego sum panis viuus. Quod autem scriptum est: Quoniam Nazaræus vocabitur, ex verbo Isa. 11. acceptum est, vbi legitur: Flos de radice eius ascendet, nazaræus namque flos interpretatur. Noluit quoque Christus Romæ nasci, ne propter potētiam ciuium putaretur sibi mūdum subiugasse, nec filius voluit esse Imperatoris, sed pauperculam matrem elegit, vt agnoscerent diuinitas orbem commutasse terrarum.

7 ¶ At verò Christus eo tempore voluit nasci, quod totus orbis descriptus est: quatenus ipse sua descriptione, qua suam subiectionem ac seruitutem parentes eius fatebantur, ipse nos cœlo asscriberet, & à vetusta seruitute redemptos in libertatem filiorū reduceret. Item cùm ipse sit princeps pacis nunc natus est dum maxima in mundo concordia fuit. Vnde Hieronymus super Isaiam dicit: Veteres recolam* historias, & inueniemus vsque ad 28. annum Augusti Cæsaris in toto orbe terrarum fuisse discordiam: otto autem Christo omnia bella cessabant, quemadmodum Isa. secundo fuerat prophetatum: Non leuabit gens contra gentem gladium.

¶ An Christi natiuitas debuit manifestari omnibus, vel solum aliquibus. 2. Quibus manifestari debuerit. 3. Quomodo seu per quos. 4. De ordine quoque huius manifestationis. 5. De stella. 6. De veneratione magnorum. Articulus. 46.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CHristus autem ideo venit, vt sua passione mundum redimeret. Non ergo eius natiuitas omnibus manifestanda fuit. Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent, secundum Apostolum. Item si omnibus patuisset, meritum fidei demeritum fuisset: fides enim ex auditu est, atque de his quæ non apparent.

2. ¶ Denique hoc deo solitum est, vt incerta & abdita sapientiæ nō statim omnibus, sed primo quibusdam reuelet, & per illos eadem aliis quoque denuntiet. Christi ergo natiuitas aliquibus manifestari debuerat, scilicet testibus præordinatis à deo. Quoniā vt Christi natiuitas omniū salus fuit, ideirco omnium conditioni hominum manifestata fuit, videlicet pastoribus qui erant Iudæi, magis qui erant gentiles, Simeoni & Annæ. Est autem credibile, q̄ non solū pastoribus & Magis indicia natiuitatis Christi apparuerint, sed etiam aliis, & alibi. Nam Romæ fulxit oleū, & in Hispania apparuerunt tres soles paulatim in vnum coeuntes.

3. ¶ Insuper non decebat, vt Christus per seipsum suam natiuitatem manifestaret, hoc enim magis impediuisset fidē veræ humanitatis eius, quām confirmasset, Debuit ergo fundamentis per omnia assimilati demptis defectu & vitio. Alia sunt creata eius natiuitatem manifestando ipsum esse deum comprobarunt. Porro vnumquemque illuminat prout capax existit. Cùm ergo Simeō &. Anna illa filia Phanuel iussu fuerunt igitur per interiorem spiritussancti instinctum de Christo edocti sunt. Pastores verò tanquam sensibilibus rebus occupati ac dediti, per angelos in sensibili forma apparentes instructi sunt, sed magis stella apparuit, quoniam magi & sapientes atque astrologi significationem stellarum potissime observabant. Item pastoribus tanquā fidelibus ac ratione vtentibus apparere debuit animal rationale, id est, res nō viuas & mota. Refert verò Chrisost. in Apocryphis legi scripturis, q̄ quædam in extremis partibus orientis iuxta oceanū semper am habebat ex nomine Seth de hac stella, & offerendis ma neribus. Hæc ergo gens diligēter obseruabat huius stellæ ortum, positis duodecim ex ploratoribus in quodā monte, quo postmodū stella apparuit, habens in se formā pueri, crucē in humeris baiulantis. Alij asserūt, quod Magi ita sancti sunt propheram Balaam, qui dixit: Orietur stella ex Iacob. Sed secundū Augustinū angelica admonitio facta est magis.

4. ¶ Præterea

4. ¶ Præterea rationabili ordine manifestata est Christi natiuitas, ipso enim die quo facta est, pastoribꝰ per angelos patuit. Secūdo apparuit Magis. 13. die eodē anno. Si enim venissent Magi anno secundo, vel tertio, nō inuenissent Iesum in Bethleē, quia vt Lucæ. 2. habetur: Postquā perfecerunt oīa secundum legem Mosi, Maria & Ioseph, offerēdo Iesum in tēplum, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth. Tertio autem manifestata est iustis in templo octauo die. Cuius ratio est, nam per pastores signantur apostoli, per magos pagani, per iustos Iudæi in fine mundi cōuertendi. Apostoli autem primo de Christo edocti sunt, deinde gēriles per eos tertio erudientur Iudæi in fine mundi. Chrysostomus demū super Matthæi. & Augustinus in sermone de Epiphania domini, dicunt stellam magis apparuisse per duos annos ante Christi natiuitatem. Alij autem dicunt, quod ipso die natiuitatis eis apparuit.

5. ¶ Porro stella quæ Magis apparuit, non erat stella cœlestis, mouebatur enim à septentrione in meridiem quādoque etiam stabat, sed & in diē apparuit, & interdū occultata fuit. Aliqui autem dicunt, quod spiritussanctus apparuit in specie stellæ, sicut in forma columbæ in Christi baptismate. Nonnulli quoque affirmāt, quod angelus qui pastoribus visus est, in specie stellæ magis apparuit. Sed probabiliꝰ dicitur quod erat stella de nouo creata in aere motum habens secūdum dei imperium. Quod vero Magi dixerunt: Vidimus stellam eius in oriente: non est intelligendum quod ipsis in oriente existentibus stella exiuit in Iudæa. Dicitur enim Matthæi secundo, quod stella quam viderant in oriente, antecedebat eos, vsque dū veniens staret suprà vbi erat puer. Stella ergo in oriente fuit & illic primo apparuit.

6. ¶ At vero Magi isti fidem gentium figurabant. Et ideo à spiritusancto inducti sunt ad Christum inquirendum. Non enim qualemcūque regem, sed cœlestem atq; saluantem quærebant. Vnde dixerunt: Venimus adorare eum. Offerebant quoque munera puero. Aurum vt regi, Thus vt deo, Myrrhā tanquam mortali.

¶ *De Christi circumcisione. 2. De appellatione. 3. Oblatione. 4. De matris eius purgatione.* Articulus 47.

MVltis demū rationibus Christus circūcidi dignatus est. Primo, vt se verum corpus habere ostenderet.

Secundo, vt legis præceptum commendaret. Tertio, vt fe-
lium Abrahæ comprobaret. Quarto vt Iudæis excusationē
auferret de sua perfidia. Quinto, vt obedientiæ virtutem
ostenderet.

2. ¶ Denique sicut nomina indiuiduorum imponuntur ab
aliqua proprietate eorum, videlicet ex parte loci, vel tempo-
ris, vel cognitionis, vel euentus, vel dispositionis: sic nomina
quæ hominib⁹ diuinitus imponuntur, designant donum gra-
tuitum à deo ipsis collatum. Quemadmodū Abrahæ dictū
est: Appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium
constitui te. Quoniam ergo Iesu Christo prout homo est, di-
uinitus datum est, vt sit mundi saluator, conuenienter voca-
tum est nomen eius Iesus. Imponebātur vero nomina in vo-
teri lege in ipso circumcisionis die, quoniam eodem die da-
tum est Abrahæ circumcisionis præceptum & nomen impo-
situm: qui enim ante circumcisionem decesserunt, sine nomi-
ne erant, & quasi non reputabantur fuisse. Propter quod Sa-
lomon de se Prouerbiorū quarto ait: Ego tenellus fui, & vni-
genitus coram matre mea, quanuis fratrem vterinum prius
se habuit, sed ille ante nominis impositionem obierat.

3. ¶ Amplius in Leuitico præceptum fuit, vt proles post dies
purgationis offerretur in templo, cū hostia quæ erat pro pec-
cato in quo concepta fuerat proles, & etiam ad consecratio-
nem aliquam prolis, quoniā tunc offerebatur in templo. Spe-
cialiter quoque de primogenitis iussum fuit, vt primogenita
domino offerrentur. Quia ergo Christus venit legem impie-
re, non soluere, factus enim ex muliere factus est sub lege, vt
eos qui sub lege erāt, redimeret: voluit in templo præsentari
hostiāmque pro se offerri, par turturum, aut duos pullos co-
lumbarum. Quæ tamen erat oblatio pauperum. Præceptum
namque fuit Leuit. 12. vt qui possent agnum offerrent.

4. ¶ Propter easdem autem rationes quibus Christus sine
omni culpa existens, voluit circumcidi & pro se sacrificium
fieri, etiam genetrix eius benedictissima atque purissima vo-
luit purificari secundum legem quānis splēdidissima illa ma-
culam prorsus nesciret.

¶ *De baptismo Iohannis. 2. Quod fuit à deo. 3. An contulit gratiam. 4. An alij præter Christum ab ipso debebant baptizari. 5. De cessatione huius baptismi. 6. Vtrum baptizati baptismo Ioannis rebaptizandi erant baptismate Christi. Articulus. 4.*

Decuit

DEcuit verò Iohannē baptizare, Primo, vt Christus
baptismum eius suscipiens, aquis vim abluēdi pec
cata tribueret. Secundo, vt Iohannes Christū ho-
minibus ad se venientibus annuntiatet, quēadmo
dū ipse dicit. Vt manifestaretur in Israēl, propterea veni ego
in aquis baptizans. Tertio, vt homines ad Christi baptismū
affinefaceret. Quarto vt pœnitentiæ baptismum prædicans,
homines Christi baptismo dignos efficeret.

2. ¶ Præterea iste baptismus Ioannis fuit à deo, quantum
ad ritū baptizādi. Nam familiari spiritu sanctī instinctu, Io-
hannes hoc fecit. Sed ipse effectus baptismi erat à deo per Io
hannem, nil enim ibi fiebat quod homo facere nequeat. Nā
solùm corpus lauabatur. Et ergo vocabatur baptismus Iohā-
nis, nō dei. Non est autem datum Iohanni facere aliquod si-
gnum, ne homines sibi principaliter tanquam Christo atten-
derent, & non solum vt præcursori.

3. ¶ Insuper tota prædicatio & vita Iohannis erat dispositio
ad Christū, Christus verò est gratiæ dator, nam gratia &
veritas per Iesum Christum facta est Ioannis primo. Baptis-
mus ergo Ioannis non præstitit gratiam, sed præparabat ad
eam, quemadmodū ipse ait Mat. 3. Ego vos baptizo in aqua,
ille vos baptizabit in spiritu sancto. Quod enim Christus
sponsus perfecit, hoc eius paranymphus Ioannes incœpit.

4. ¶ Eluceſcit autem ex his, quod non solùm Christus, sed
etiam alij baptizandi erant baptismo Ioannis, Cuius aliam
causam inducit Augustinus: Nam si solus Christus baptismū
Ioannis suscepisset, aliqui æstimassent baptismum Iohannis
dignioiem fuisse baptismate Christi.

5. ¶ Amplius baptismus Ioannis non statim cessauit Chri-
sto baptizato, sed postea, scilicet Iohanne incarcerato: non e-
nim statim cessauit, quia baptizando plures ad Christū trans-
misit eumque euidentius manifestauit.

¶ Adhuc autem secundum Magistrum secunda distinctione
quarti Sententiarū, baptizati à Ioanne, qui ignorabant spiri-
tumsanctum esse, & ponebant spem in Ioannis baptismate,
rebaptizandi erant Christi baptismo. Sed illi qui spem in Io-
hannis baptismate non ponebant, & patrem ac filium san-
ctumque spiritum esse credebant, rebaptizandi nō erāt. Sed
per impositionem manuum apostolorum, spiritumsanctum
receperūt. Hęc autem positio proprima sui parte vera est, vt

 multæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

multæ authoritates ostendunt, quantum autem ad secundã partem suam, pœnitus irrationabilis est. Nam baptismus Ioannis neque gratiam contulit, neque characterem impressit. Ex ergo fides, vel spes in Christum hunc defectum supplere nõ valuit. Item dum illud in sacramento omittitur, quod de necessitate est sacramenti, oportet non solum omissa supplere, sed sacramentum renouari. Sed de necessitate sacramenti est vt fiat nõ solùm in aqua, sicut fiebat Iohannis baptismus, sed etiam in spiritusancto. Iuxta illud Ioannis tertio: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, non potest intrare in regnum cœlorum. In illis igitur à Ioanne baptizatis quod deerat spiritussancti, non fuit tantum per manuum impositionem supplendum, sed per baptismi Christi acceptionem. Qui autem ab Apostolis, imo, vel à Iuda proditore baptizati erant, non rebaptizabantur, illi enim baptizabantur in virtute Christi. Vnde baptizati à Philippo diacono qui Christi baptismum donauit, rebaptizati nõ sunt: sed receperunt manuum impositionem per apostolos, sicut à sacerdotibus baptizati confirmantur per episcopos. Apostoli autem secundũ Augustinum ad Selentianum baptizati erant, vel baptismo Ioannis, nam quidam eorum eius discipuli: vel quod credibilius est, à domino Iesu Christo: qui etiam pedes eorum lauare non spreuit. Iohannes quoque Baptista à Christo secundum aliquos fuit baptizatus, & secũdum Hieronymum certum est, quod ad minus in spiritusancto baptizatus ab eo fuit.

¶ Vtrũ Christus debuit baptizari. 2. An à Ioh. debuit baptizari. 3. De tempore quo est baptizatus. 4. De loco illius baptismi. 5. De apertione cœli. 6. De spiritusancto in specie columbæ super Christũ descendente. 7. De voce patris super Christum: Hic est, &c. Articulus. 49

VOluit igitur Christus baptizari secũdũ Ambrosium, non vt mundaretur, sed vt mundaret: & vt totum vetus Adam aquis immergeret, secundum Gregorium Nazanzenum.

2. ¶ Baptizatus est autem Christus baptismo Ioannis quatenus eius approbaret baptismum, & vt sanctificaret nostrũ baptismum, atque vt nos suo exẽplo ad baptismum induceret.

3. ¶ Denique conueniens fuit, vt Christus tricesimo anno baptismum reciperet, nam ex tunc prædicare atque docere volebat. Prædicare vero & docere solis viris competunt per sectam

sectam ætatem habentibus. Item vt ostenderetur, quod baptismus nouæ legis reddit virum perfectum: & etiam quia Christo baptizato, legalia cessare cœperunt: & ideo ea ætate Christus baptizari volebat, quando certissimum fuit, quod ideo legem non soluit, quoniam eam implere non potuit.

4. ¶ Porro in Iordane Christ⁹ baptizatus rationabiliter fuit. Sicut enim per Iordanem filij Israel ingressi sunt terram promissionis: sic Christi fideles per eius baptismum introeunt patriam sœlicitatis cœlestis. Vnde sicut mare rubrum designauit Christi baptismum, quo ad liberationem à peccato & potestate diaboli: sic Iordanis fluentus eundem figurabat, quo ad introitum cœli.

5. ¶ At vero Christo baptizato aperti sunt cœli, quoniam in baptismo operatur virtus cœlestis. Item quia per baptismũ qui est fidei sacramentũ, nam in eo baptizandi finem profitentur per se, vel per alios, homo recipit gratiam spiritussancti, per quam contemplari debet cœlestia. Rursus quia per Christi baptismum omnia peccata donantur atque cœlestia regna aperiuntur. Apertio verò hæc cœli, non est intelligenda secundum materialem ruptutam, sed referenda est ad spirituales oculos, vel ad imaginariam Christi visionem, quem admodum Ezechiel cœlos se vidisse apertos commemorat.

6. ¶ Dicit quoque Chrysostomus: Omnia quę circa Christũ in baptismo accidebant, pertinent ad omnium baptizatorũ mysterium. Idcirco ad insinuandum quod in Christi baptismo confertur gratia spiritussancti, apparuit atque descendit spiritussanctus in Christum in specie columbæ, & mansit super eum, quanuis tunc nil gratiæ Christo accreuerit quippe qui à conceptionis suæ instanti omni gratia, sapientia, atque perfectione summè ornatus plenúsque extitit.

¶ Et quoniam baptizandus sine simulatione accedere debet: ideo spiritussanctus in specie columbæ apparuit, quia columba simplex est animal. Item ad designandum septem dona spiritussancti, quæ columba suis proprietatibus signat. Columba nanque iuxta fluẽta inhabitat: quatenus viso accipitre se mergat atque euadat. Per quod figurator donum sapientiæ, per quod sancti iuxta scripturæ fluenta residunt, vt dęmonis incursum euitent. Columba quoque meliora grana colligit, quo signatur donum scientiæ, per quod boni sanas sententias quibus alentur, congregare non cessant. Columba

 quoque

quoque alienos pullos fouet, quod ad donum cõsilij attinet per quod sancti alios verbo & vita pascunt. Item columba rostro non laceratquod ad donum intellectus respicit, quo sancti veras fidei sententias nullatenus lacerant. Columba quoque felle caret,quod donum pietatis concernit. Et in cauernis nidificat, quod ad donum fortitudinis spectat. Per quam fideles in Christi vulneribus commorantur. Item pro cantu gemitum habet,quo donum figuratur timoris,per quod sancti delectantur in gemitu pro peccatis.

6. ¶Porro in Christi operibus qui veritas est nihil esse cõdecet fictum. Et ergo illa columba non erat fantastica, sed vera, & de nouo creata secundum Augustinum: quæ peracto suo ministerio esse desinit.

7. ¶Præterea, quia noster baptismus in virtute & inuocatione patris & filij ac spiritussancti consistit, datur atque perficitur: ideo non solum spiritussanctus prædicto modo Christo apparuit, sed & vox patris audita est. Hic est,inquiens,filius meus dilectus. Et bene in voce apparuit pater. Nã ei est proprium verbum proferre,Missio verò includit aliquid amplius quàm apparitio, vtpote authoritatem mittentis super missum. Cum ergo filius & spiritussanctus à patre emanent, non solum apparere,sed etiam mitti dicuntur. Sed quoniam pater à nullo est non dicitur mitti,sed apparere.

¶Vtrum Christus debuit ducere vitam solitariam.2. An austeram.3. An abiectam.4. An secundum veterem legem. Articulus 50.

BEne autem congruit Christo, vt inter homines conuersaretur. Venit enim prædicare hominibus, & peccatores instruere atque sanare. Vnde de Ioan.19. ait Ego in hoc natus sum vt testimonium perhibeam veritati. Hæc autem conuenientius fiunt per conuersationem communem & mutuam quàm solitariam. Et quanuis Christus solicitatie conuersando omnes attrahere potuit,dedit tamen nobis exemplum, vt quandoque requiramus pereũtes.

2. ¶Denique quoniam Christus inter homines conuersari familiariter voluit,austeram vitam in parsimonia & abstinentia non elegit,sicut Iohannes. Sed in cibo & potu communiter habuit se:sicut & alij. Non enim in ipsa abstinentia consistit perfectio essentialiter, sed instrumentaliter, & secundum dispositionem, qua Christus nõ eguit,qui peccare nõ potuit sed

sed communiter se habendo in cibo, alijs fiduciam veniendi ad se præstitit.

3. ¶Insuper Christus pauperem vitam elegit,quoniã prædicatorem verbi diuini decet terrena despicere. Secundo, ne si diuitias haberet, eius prædicatio cupiditati ascriberetur. Tertio,vt eius inopia ditaremur. Quarto, vt quando in paupertate erat abiectior, tanto in eius operibus cognosceretur euidentius operata diuinitas.

4. ¶Præterea Christus secundum legem in omnibus est conuersatus. Nam circumcisus est, circumcisio autem protestatio est legis implendæ, iuxta illud Apostoli ad Galatas quinto: Testificor omni homini circumcidenti se,quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. Christus igitur secundum legis præcepta viuere voluit Primo, vt legem approbaret.Secundo, vt eam obseruando in seipso terminaret. Tertio,vt Iudæis calumniandi occasionem auferret. Quarto, vt nos à legis iugo ac seruitute redimeret.

¶Vtrum conueniens fuit Christum tentari.2. De loco qua tentatus est.3. De tempore huius tentationis.4. De modo tentationum.5. De ordine earum. Articulus 51.

PRoinde tentari Christus volebat, vt nobis cõtra tentationes opem impenderet. Item,vt nemo se à tentatore tutum existimet. Et item, vt nobis formam vincendi ostenderet, atque de sua misericordia fiduciã condonaret. Diabolus ergo Christum tentauit,quia eũ esse dei filium non certitudinaliter propter carnis infirmitatem, sed coniecturaliter propter miracula recognouit, secundum Augustinum.9.de ciuitate dei.

2. ¶At verò tunc diabolus hominem audentius accedit dum solus,quoniam Eccle.4. habetur:Si quispiam præualuerit contra vnum,duo resistent ei. Quoniam itaque Christus tentari volebat,in desertum exiuit, quasi ad locum certaminis,vt ibi tentaretur à Zabulo.

3. ¶Insuper post quadragesimale ieiuniũ, Christus tentari dignatus est:vt instrueret nos, quia per sacrum ieiunium armari oporteat contra inimici insidias. Secundo,vt ostenderet quod ieiunantes diabolus tentat:sicut & eos,qui alijs bonis intendunt. Tertio,quia esuries Christi fuit occasio dæmoni ad tentandum, videns namque Christum pati carnis infirma,suspicatus est non esse filium dei. Esuries verò Christi secundum

cundum Hilarium non fuit ex furreptione inediæ, sed quoniam verbum naturam assumptam sibipsi reliquit secundū dispensationem voluntatis diuinæ.

4. ¶ Porro diabolus de his vnumquemque primo tentat ad quæ videt eius affectū magis inclinatum. Et ergo sanctis ac perfectis hominibus non statim proponit magna peccata, sed minima: quæ secundum Gregorium sub specie virtutum se ingerunt: sicque ad grauiora paulatim conatur inducere, quēadmodū in primi hominis tentatione videmus. Primo nanque solicitauit animum Adæ de ligni vetiti esu, cum dixit, Cur præcepit vobis deus, ne comederetis de omni ligno paradisi? Secundo de inani gloria, cum subdit, Aperientur oculi vestri. Tertio autem tentationem protēdit ad extremam superbiam dicens, eritis sicut dij. Et hunc ordinem in Christi tentatione seruat. Nam primo de gula tentauit. Secundo de inani gloria. Tertio de magna superbia, dum omnia regna mundi promisit. Statuit autem diabolus Christum super pinaculum templi, sed ignorante diabolo, Christus se inuisibilem fecit, secundum Chrysostomum.

¶ An Christus debuit solis Iudæis prædicare. 2. An debuit eorum turbationem vitare. 3. An debuit publicè prædicare. 4. An debuit verbo vel scripto docere. Articulus 52.

FVit demum cōueniens, vt Christus prædicaret solis Iudæis, & post eū Apostoli eius ad tēpus, quoniā Iudæis specialiter facta erat de Christi aduentu promissio. Secundo, quia Iudæi erant Deo propinquiores propter legis notitiam. Tertio, vt Iudæis occasionē calūniandi Christumque negandi subtraheret. Quarto, quia principatum super gentiles Christus sua passione promeruit, secundum illud Apostoli ad Philippē. 2. Christus factus est obediens vsq; ad mortem. Propter quod & Deus exaltauit illum, & cætera.

2. ¶ Denique bonum commune non est propter alterius scandalum omittendum, præsertim dum scandalum alterius ex malitia oritur. Christus ergo, qui venit prædicare viam salutis toti populo, non debuit sanam doctrinam omittere propter pharisæorum & scribarum atque pontificum scandalū ex magna eorum pranitate exortum. Propter quod discipulis dixit. Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum. Debemus verò scandalum aliorum vitare, ne nostro dicto vel facto minus recto scandalizentur.

3. ¶ At

3. ¶ At verò Iohan. 18. Christus dixit: In occulto locutus sum nihil. Tota ergo Christi doctrina in publico fuit. Nam ea quæ seorsum discipulis dixit, sic dixit quod omnibus ea innotescere cōgruo tēpore voluit. Christus enim nō intēdebat doctrinam suam occultare ex inuidia vel inhonestate.

¶ Veruntamen aliqua eius dogmata in occulto erant, quantum ad modum proponendi, vt quæ in parabolis dixit: quod ideo fecit, quoniam turba nec digna fuit neque idonea nudā veritatem percipere. Quod tamen Matthæi deci. tert. dicitur Christus sine parabola non loquebatur eis, videlicet turbæ, referendum est secundum Chrysost. ad illum sermonem, alia nanque multa sine parabolis eius proposuit.

4. ¶ Præterea Christus librum nullum cōscripsit, cum enim sit doctor doctorum atque magister altissimus, excellentissimus modus docendi sibi cōpetebat, videlicet vt immediate in cordibus auditorum verba sua imprimeret, non inanimatæ materiæ. Vnde & apud gentiles, Socrates atq; Pytagoras, qui erant excellentissimi doctores, nil scribere voluerūt. Itē Christus liberos nō edidit, quatenus doctrina eius ordinate ad omnes veniret, videlicet primo ad Apostolos ab ipso, & per Apostolos ad nos, quæ enim à deo sunt ordinata sunt. Refert autem Augustinus primo de cōsensu Euangelistarū, quosdam gentilium qui Christum tanquam sapientissimum virū blasphemare vel culpare non audent, mirari, cur librum nullum compegit: vnde discipulos eius asserūt plus tribuisse suo magistro quàm erat, vt dicerent eum verbum quo facta sunt omnia, deiq; filium. Alij verò gentiliū asseruerunt Christum libros magica cōtinentes scripsisse, quibus miracula fecit & tamen illi gentiles qui se tales Christi libros legisse affirmant, tale nil agunt qualia Christū de libris huiusmodi fecisse mirantur. Asserunt quoque tales libros à Christo, Petro & Paulo tanquā epistolas missas: cū tamē Paulus Christo in mundo viuenti nunquā adhæserit, nec eius discipulus fuerit.

¶ Vtrum Christus debuit miracula facere. 2. Qua virtute ea fecit. 3. Quo tempore inceperit. 4. An per miracula talia sufficienter ostensa sit eius diuinitas. Articulus 53.

MIraculorum insuper virtus seu gratia, cōfertur diuinitus homini, propter duo. Primo, vt eius doctrina ostendatur esse à Deo, quemadmodum literæ signatur annulo regis, vt sciatur missa à rege. Secū

do,

do, vt cognoscatur Deus esse in homine per gratiam, per hoc quod operatur in eo. Quoniam ergo Christi doctrina supernaturalis fuit, ipseq; Christus filius dei naturalis non adoptiuus, vtrunq; illorum per miracula ostendi oportuit. Nam sicut conclusio naturalis scientiæ per rationem humanã probatur: sic fidei veritas per miracula quasi per diuinæ virtutis argumenta ostenditur: & ergo Christus miracula fecit.

2. ¶ Præterea vera miracula sola diuina virtute fieri possunt, nam Deus duntaxat ordinem naturæ potest immutare.

3. ¶ Ex istis elicitur, quod Christus ante trice. ætatis sux annum non fecit miracula: sed primum eius signũ fuit in nuptijs, conuersio aquæ in vinum. Nam miracula (vt dictũ est) ad snæ doctrinæ manifestationem spectabant: nõ autem cœpit prædicare, nisi in perfecta ætate, videlicet in 30. anno. Vnde Chrysostomus ait: quod in prima ætate nõ fecit miracula, quia putassent fantasiam esse eius incarnationẽ, & ante tempus opportunum crucifixissent. Et ideo Ioannes Baptista dixit: Vt manifestaretur (scilicet Christus,) in Israël propterea veni ego in aqua baptizans. Si verò Christus ante hoc tempus fecisset miracula, non fuisset necessaria manifestatio Ioannis de ipso.

4. ¶ Amplius Christi miracula eum esse verum Deũ ostendunt, fecit enim ea quæ omnem virtutem creatam transcendunt, & quæ alius nullus fecit: vt est illuminatio cæci nati, & alia quæ in Euangelio conscribuntur. Item hoc patet ex modo agendi, fecit enim miracula propria virtute imperando. Nam virtus exibat de illo & sanabat oẽs: Sed & quotquot fimbriam vestium eius tangebant, sani fiebant. Tertio patet hoc idem ex doctrina, quam docuit. Asserebat enim se esse Dei filium patri æqualẽ. Si verò hoc falsum fuisset, per miracula vera atque diuina confirmatum non fuisset, Deus nanq; falsitatis confirmator non esset.

¶ De miraculis Christi circa spirituales substantias. 2. Circa cœlestia corpora. 3. Circa homines. 4. Circa irrationabilia. Articu. 54.

HOc insuper quod per Christi incarnationẽ & mortem fideles à dæmonum potestate redimuntur, Christus signauit ab obsessis corporibus dæmones expellendo, quemadmodum Zacha. 13. dicitur: Spiritũ immundum auferam de terra. Et ergo inter cætera sua miracula voluit Christus obsessos à dæmonibus liberare. Præsertim

sum est quoq; ex verbis Aug. 9. de ciuitate Dei, quod Christ⁹ dæmonibus tãtũ innotuit, quãtũ voluit: & tãtũ voluit, quãtũ oportuit. Nã certitudinaliter nõ sciebãt eũ esse filiũ Dei, sed suspicatiue. Vnde patet, quod non ideo persuasit dæmon Iudæis crucifigere eum, quia Christum esse vel Dei filium non putauit, sed quoniã nõ præuidit se morte illius damnandum. De hoc nanque mysterio à seculis abscondito Apost. asserit, quod nemo principum huius seculi hoc cognouit: si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent.

2. ¶ At verò circa cœlestia corpora Christus miracula fecit, quia per hoc eius diuinitas magis innotuit. Nã inferiora corpora ab alijs causis à suo motu, actu, & ordine trãsmutari possunt: non autẽ cœlestia corpora, secundum Diony. in epistola ad Polycarpum. Eclipsim verò quæ in Christi passione fuit, dicit Hiero. accidisse per retractionẽ radiorum solis. Origenes autẽ per interpositionẽ densissimarũ plurimarũq; nubium. Nam & eclipsim & terræ motũ ponit nõ fuisse nisi in terra Iudææ & circa Hierusalem. Sed in his magis credendũ est Dionysio, qui eclipsim hãc vidit atq; per interpositionem lunæ inter solem & nos eam contigisse affirmat. Ponit itaq; Dionysius in epistola ad Polycarpum quatuor mirabilia, quæ in illa eclipsi fiebant. Primo, quoniam naturalis eclipsis fit solum tempore coniunctionis: tunc verò erat oppositio, erat lam tempore coniunctionis: tunc verò erat oppositio, erat enim luna quinta decima, quia & tunc pascha Iudæorũ fuit. Secundum mirabile fuit, quod cùm luna fuisset soli supposita circa sextam horam in medio cœli: tamen in vesperis restituta erat suo loco in oriente opposita soli: & sic ordo temporum non est turbatus. Tertium, quia Eclipsis naturaliter incipit ab occidente & peruenit ad orientem, quoniam motus lunæ in proprio orbe velocior est motu solis in circulo proprio, & ita pertransit solem ab occidente accidens, sed tunc luna iam pertransiuerat solem distans ab eo per medietatem circuli in oppositione existens: idcirco oportuit vt ab oriẽte reuerteretur ad solem, & primo attingeret eum à parte orientali illãmque primitus eclipsaret. Quartum miraculum fuit, quod in eclipsi naturali illa pars solis primo reappareret quæ primo obscurata fuit: luna enim directe pertransit solem veniendo ab occidente proprio motu: sed tunc luna miraculosè ab oriente in occidentem reuertens, non pertransiuit solem vt esset eo orientalior: sed cum peruenisset

ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad terminum solis redijt versus orientem, sicque partem vltimo occupatam primo reliquit, vnde & pars vltimo obliterata primitus fulsit. Quintum miraculum addit Chrysostomus super Matthæum: Quoniam naturalis eclipsis eius pertransit, hæc verò diu durauit, propter quod luna sub sole quatuit. Sed vt narrat Origines super Matthæum: Contra hoc dij huius seculi dicunt: Quomodo nullus Græcorum vel barbarus tã mirabile factum descripsit? Et dicit Origines, quidam nomine Flegon in Chronicis suis scripserit, istud in principatũ Tiberij Cæsaris accidisse: sed non ponit, quod luna fuerit plena. Potuit ergo hoc ideo euenisse, quod astrologi tunc non sollicitabantur de aliqua eclipsi, eo quod tempus aptum non foret: & ergo immutationem talem putabant ex aliqua passione aëris causatam. Sed in Aegypto, vbi propter aëris serenitatem nubes raro apparent, Dionysius & socij eius permoti sunt ad obseruandam atque scruandam istam eclipsim.

3. ¶ Præterea circa homines Christus multa miracula perpetrauit, vt se animarum saluatorem, omniumque ostenderet redemptorem. Fecit autẽ miracula in hominibus, nõ solum eorũ corpora immutãdo, sed etiã animas exterius allicicndo vel terrendo aut obstupefaciendo: sicut quando eiecit de templo omnes vendẽtes & ementes in eo, & secundum Origenem maius miraculum erat quàm conuersio aquæ in vinũ, quod tot milia ita compescuit. Radiabat enim quidam fulgor diuinus, sydereus atque cœlestis ex oculis eius, in quo resplendebat intus latens diuinitas, secundum Hieronymũ. Interdum abscondit se, non vtique formidando, vel post murum latendo, sed transiens per medium illorum ibit ipsis nõ sentientibus. Item dum dixit in passione, Ego sum, quo audito obstupefacti Iudæi abierunt retrorsum & ceciderunt.

¶ Rursus cum dei perfecta sint opera, ideo Christus omnes curauit in anima, quos curauit in corpore: quoniam sanitas corporis ad animæ referenda est commodum. Sed & in ipsum sanauit quos curauit, dempto cæco, de quo scribunt Marci octauo, quem successiue illuminauit, ad figurandam magnitudinem excitatis humanæ.

4. ¶ Amplius in omnibus creaturarum generibus Christus miracula fecit, vt se omnium rerum dominũ comprobaret: non tamen circa bruta animalia. Illa enim cõuenientiam habent

bent cum homine, nam eodem die sunt facta quo homo, & quantum ad sensitiuam naturam, est eadem ratio de vtrisq. In plantis autem fecit miraculum, dum eo iubente ficulnea aruit. Item in mari & aëre, quando præcepit vẽto & mari, & facta mox est tranquillitas magna. In piscibus quoque, dum copiosa piscium multitudo inopinabiliter capta est, & in pisce, in cuius ore Petrus staterem repetit.

¶ Multiplicatio autem panum non fuit per creationem, sed per conuersionem alicuius in panes.

¶ *De transfiguratione Christi. 2. An clarius illa fuit dos animæ. 3. De testibus transfigurationis. 4. De testimonio patris. Art. 55.*

VOluit autem Christus coram discipulis trãsfigurari, vt ostẽderet mercedem expectandam in patria dandam pro tribulationibus vitæ præsentis, quatenus per hoc animarentur & certificarẽtur in laboribus ac passionibus.

2. ¶ Porro dotes corporis glorioſi ex beatitudine animę deriuantur. Claritas autem Christi in transfiguratione ex eius diuinitate fœlicitateq; animæ originata fuit, & ergo claritas secundum essentiam fuit claritas gloriosa, non autem secundum modum essendi. Claritas nanq; gloriosa, sicut & alię dotes animæ, fuit qualitates manentes & fixæ. Hæc verò talis non fuit, sed statim dispatuit. Ideoque dicendum non est, sicut Hugo de sancto Victore asseruit, quod Christus dotes corporis in hac vita assumpsit, videlicet claritatis in transfiguratione, agilitatis ambulando super mare, subtilitatis egrediendo de matre virgine permanente, impossibilitatis in corpore, quod sub speciebus sacramentalibus dedit Apostolis. Claritas igitur ista non erat dos animæ, sed similis dotiquæ miraculosè assumebatur à Christo. Quemadmodum autem claritas illa corporis Christi significauit claritatem, quã nunc habet in patria: sic claritas vestium eius designat claritatem sanctorum, & nubes lucida figurauit spiritumsancti gloriã, vel virtutem paternam, qua sancti protegentur in gloria, secundum Origenem.

3. ¶ Deniq; quoniam Christus ad gloriam adducit tam sanctos qui fuerunt ante se, quàm eos qui post se fuerint: ideireo testium transfigurationis eius quidam eum præcesserunt, videlicet Moses & Helias, quidam post eum secuti sunt, scilicet Apostoli qui secum ad erant, Petrus, Ioãnes, & Iacobus.

Non est autem opinandum, quod Moses resurrexit, sola corpore aliquo assumpto apparuit, quomodo angeli apparere consueuerunt.

4. ¶ Insuper in transfiguratione atq; baptismo Christi, vox patris audita est: Hic est filius meus dilectus, ad ostendendum, quod Christus sit filius naturalis, cuius filiationis quandam similitudinem sortiuntur fideles per gratiam quæ in baptismo datur, atq; per lumen gloriæ quæ in Christi transfiguratione significabatur. Vnde & spiritussan. in nube lucida in trãsfiguratione apparuit, quia in gloria futura omnes sancti fulgebunt vt sol.

¶ Verum necesse fuit Christum pati pro mundi salute. 2. An possibilis fuit alius modus liberationis. 3. An ille modus fuit conuenientior. 4. An in cruce conuenienter erat Christum pati. 5. De generalitate passionis Christi. 6. An maxima fuit. Artic. 56.

NEcessarium verò fuit Christum pati, non necessitate absoluta, sed necessitate cõditionatâ, seu ex suppositione finis. Primo ex parte nostri, qui per eius passionem redempti sumus. Secũdo ex parte Christi, qui sua passione immortalitatem corporis meruit & gloriam exaltationis. Tertio ex parte Dei, qui Christi passionem per prophetas prædixit. Propter primum istorum Ioannis 3. dicitur, Oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, &c. Propter secundum Lucæ vltimo, Oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam. Propter tertium Lucæ 22. Filius hominis secundum quod diffinitum est, vadit.

2. ¶ Porro possibile & impossibile dicuntur dupliciter, scilicet absolute & ex suppositione. Cùm ergo nõ sit apud deum impossibile omne verbum, certum est, quod simpliciter loquendo seu absolute, non erat impossibilis alius modus liberandi. Sed ex suppositione, videlicet præsuppositis præscientia & præordinatione diuina, quæ falli, cassariq; nequit, Eadem simile est de omnibus à Deo præordinatis atque præscitis.

3. ¶ Præterea per illud fit aliud conueniens, in quo plura continentur quæ fini operis prosunt, & ideo passio Christi conuenientissimus modus extitit nostræ reparationis. Nam ex passione Christi cognoscimus charitatem patris, & filij circa nos. Item per passionem dedit nobis filius perfectum exem-

plum humilitatis, obedientiæ, constantiæ, patientiæ. Rursus per passionem non solùm pro nobis satisfecit à peccato purgãdo, sed etiam gratiam iustificantem, & gloriam animæ nobis pro meruit. Item per hoc, quod Christus tanta pro nobis sustinuit, imminet nobis maior necessitas peccata vitandi. Item hoc pertinet ad gloriam hominũ, quod sicut homo à dæmone victus fuit: sic homo dæmonem vicit.

4. ¶ At verò conuenientissimum erat Christum pati in cruce, vt daret exemplum perfectæ fortitudinis, per quam nõ solum non formidemus mortẽ, sed nec aliquod genus mortis. Inter omnia namque genera mortis nil erat execrabilius aut formidabilius hoc genere passionis. Secundo, quia primus homo in ligno peccauit, & ergo Christus in ligno redemit. Tertio, quia vt etiam aërem emundaret, voluit leuari in alto. Quarto, quia in alto moriens regni nobis cœlestis aditum disponit. Quinto, quia per quatuor cornua crucis signantur quatuor partes mundi, quas Christus redemit, qui totũ mundum venit saluare. Et ergo Ioannis duodecimo ait: Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.

5. ¶ Præterea passus est Christus omnes passiones generis humani non in specie, sed secundum genus. Nunc autem est sermo de passione ab extra illata. Passus quippe est à gentilibus & Iudæis, à viris & fœminis, puta ancillis Petrum accusantibus, à principibus quoque ministris & populo, à familiaribus & notis scilicet Iuda prodente & Petro negante. secundo patet hoc ex his, in quibus homo pati potest. Passus enim est Christus in amicis ipsum derelinquentibus, in fama per blasphemias, in gloria & honore per irrisiones & cõmmelias illatas, in vestibus sibi ablatis, in anima quoque per tristitiam atque tristitiam ac timorem. Tertio potest hoc considerari quantum ad corporis membra, in omnibus nãque membris & organis sensuum passus est.

6. ¶ Præterea sicut ostensum est, in Christo fuit dolor interior atque exterior: vterque autem in eo maximus fuit propter quatuor. Primo ex parte causæ, dolor enim exterior ex corporali lesione causatur, quæ læsio in Christo maxima fuit, tum propter generalitatem, quia in omnibus membris est læsum propter genus mortis, nam mors cõfixorum in cruce acerbissima est, configuntur enim in locis neruosis & maxime sensibilibus, scilicet manibus & pedibus. Põdus quoq;

pendentis corporis continuè auget dolorem. Tales etiã non statim moriuntur, sed diu cruciantur. Causa autem intentionis doloris Christi fuit totius mundi iniquitas, & maximè cæcitas ac cæcitas Iudæorum. Pro quibus omnibus soluit quæ non rapuit. Scandalum etiam discipulorum suorum. Secundo dolor augetur ex perceptibilitate corporis. Cùm ergo Christi corpus fuerit optimè complexionatum. Nam secundũ Chrysostomum quæ miraculosè fiũt, meliora sunt patet, quod sensus tactus maximè viguit in Christo, vires quoque apprehensiuę interiores perfectissimè in ipso fuerunt. Tertio patet ibi ex doloris puritate. In Christo enim tempore passionis nulla fuit redundantia consolationis superiorum virium ad inferiores, secundum Damascenum. Item quoniam Christus voluntariè mortem assumpsit, in tantum sustinuit, quod passio eius proportionata fuit fructui passionis, ob quem mors dignatus est. Et ergo vehementissimè passus fuit, quamuis aliqui martyres quãtum ad vnam causam doloris, bene grauius passi sint eo, videlicet quantum ad corporalem læsionem, vt Laurentius seu Vincentius. Vita verò corporalis Christi propter diuinitatem vnitam dignissima fuit, & ergo ob eius amissionem Christus doluit.

¶Vtrum tota anima Christi patiebatur. 2. An passio eius gaudium fruitionis impediuit. 3. De tempore quo passus est. 4. De loco passionis. 5. Cur inter latrones suspensus sit Christus. 6. An passio eius sit diuinitati attribuenda. Artic. 57.

TOtum itaq; respectu partium dicitur. Anima autem secundum essentiam simplex est, sed partes eius potestatiuæ dicuntur potentiæ eius. Potentia verò dupliciter pati potest, scilicet propriè, & à suo obiecto, vt dum tactus à calore affligitur. Secũdo ratione subiecti, in quo fundatur, vt dum pupilla pungitur, visus patitur ratione sui subiecti, videlicet organi in quo fundatur, in quo tactus propriè patitur. Anima ergo Christi tota quantum ad suam essentiam patiebatur, tota itaque coniungitur corpori, ellẽs tota in toto corpore atque in qualiber parte tota. Sed anima Christi quantum ad suas potentias, non tota patiebatur passione propria, scilicet ex parte obiecti. Ratio nãque superioris, cuius obiectum est deus vel rationes æternæ, quibus intendit, non patiebatur in Christo: sed in gaudio fuit beatæ fruitionis, quoniam tale obiectum non fuit animæ Christi natu-

ra passionis, sed gaudij. Sed inferiores omnes vires animæ Christi, quæ circa sensibilia operantur, patiebãtur proprie, scilicet ex obiecto, vt dictum est. Verum quoniam omnes vires animæ in eius essentia radicantur, anima Christi secundum potentias omnes passa fuit illo modo, quo potentia patitur ratione subiecti.

2. ¶Pariformiter tota anima Christi in fruitione fuit tempore passionis, quo ad totalitatem essentiæ animæ, quæ tota in gaudio fuit propter rationem superiorem, cuius subiectũ est. Vnde sicut passio attribuitur rationi superiori ratione animæ, sic gaudium ascribitur animę propter beatitudinem rationis superioris. Loquendo autem de totalitate animæ, quo ad suas potentias, sic non fruebatur anima Christi tota nec directe, quia bonitas diuina non est obiectum inferiorum virium animæ, nec indirectæ, quoniam beatitudo rationis superioris non redundabat ad vires inferiores, vt tactum est. Imò operatio ac passio vnius potentiæ aliam in nullo impediebat, secundum Damascenum.

3. ¶Denique aliqui dicunt, Christũ decimaquarta existente luna passum. Nam Ioannis decimotertio dicitur, quod Iudęi non introierunt prætorium, nec contaminarentur, sed mãducarent Pascha, quod luna decimoquarto offerebatur, vt scribitur Exod. 12. Sed sicut ex testimonio aliorum Euangelistarũ colligitur, Christus passus est luna decimaquinta, scilicet feria sexta, & luna quartadecima celebrauit pascha. Dicitur nanque Matth. 26. quod primo die azymorũ, id est, luna decimaquarta discipuli accesserunt ad Iesum, dicentes: Vbi vis maquarta discipuli accesserunt ad Iesum, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere pascha? Cùm autem Ioan. 13. dicitur: Ante diem festum paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius, &c. intelligendum est hoc fuisse quinta feria. Nam luna existente decimaquinta erat dies solennissimus paschæ apud Iudæos. Eundem itaque diem quem Ioannes nominat ante diem festũ paschæ propter naturalium distinctionem dierũ, Matthæus nominat primum diem azymorum secundum ritum festiuitatis Iudaicæ, quia solennitas incœpit à vespera præcedentis diei. Quod ergo dicuntur comesturi fuisse luna 15. quando, videlicet luna plenissima est, non est accipiendũ de agno paschali, qui immolabatur præcedenti nocte: sed pascha ibi vocatur cibus paschalis, id est, azymi panes, quos nõ edebant immundi. Et secundum Chrysostomum pascha ibi

accipi potest pro toto festo paschali, quod septem diebus celebrabat. Item quod Marcus asserit Christum crucifixum tertia hora, ad animam atque affectum Iudæorum referendum est, secundum Augustinum, qui illa hora clamabant: Tolle, crucifige. Pati quoq; voluit Christus in æquinoctio vernali, quia illo tempore mundum elegit recreare atque redimere, ejusdo creauit eundem.

4. ¶ Porro in Hierusalem voluit Christus pati. Tum quia ipse ille à Deo erat electus ad sacrificia offerenda, quæ Christus immolationem passionemq; signabant. Secundo, quoniã sit Hierusalẽ in medio terræ est, & ergo Christus in ea pati elegit, vt virtus suæ passionis ad omnes mundi se partes diffunderet. Tertio, quia cum locus ille esset sublimis ac regius, passio Christi ex eo reddebatur contumeliosior atque amarior. Christus autẽ semper elegit pro nobis quod durius est pati. Quarto, vt insinuaret causam suæ mortis ex sacerdotum, maximè pontificum, inuidia ortam. Voluit quoque Christus extra portas ciuitatis pati & mori. Nam hircus ac vitulus qui in veteri lege in eius figura offerebantur, in solennissimo officio, pro totius multitudinis expiatione, extra castra comburebantur, vt patet Leuitici decimosexto. Item, vt daret nobis exemplum egrediendi de conuersatione præsentis seculi nequam.

5. ¶ Insuper inter latrones Christus diuina ordinatione crucifixus est. Ipse enim pro nobis maledictum factus est, & pro nobis despici voluit. Item secundum Leonem Papam, per duos latrones quorum alter saluatur, alter damnatur, figuratum est futurũ Christi iudicium, quo alij vtpote reprobi, statuent ad leuam, electi ad dexterã. Quod verò ait Matthæus, quod latrones improperabant Christo, cum alius euãgelista dicat quod vnus latronum improperauerit ei, secundum Augustinum positus est numerus pluralis pro singulari. Sed secundum Hieronymũ primo vterque blasphemauit, sed vnus eorum visis miraculis credidit atque pœnituit.

6. ¶ Porro vnio duarum naturarum in Christo in vnitate personæ effecta est, saluis proprietatibus vtriusque naturæ. Diuina autem natura immobilis est & incõmutabilis. Quamuis ergo passio Christi deo possit attribui, nõ tamen diuinitati, nec Christo ratione diuinæ naturæ, sed solum propter humanam assumptam.

¶ An

¶ *An Christus à seipso vel ab alijs occisus sit. 2. Cur passioni se tradiderit. 3. An pater tradiderit eum ad patiendum. Artic. 58.*

CAusa dicitur præterea dupliciter. Primo, quia directè aliquid agit. Secundo, quia nõ impedit effectũ, quem impedire potest. Primo modo Christus occisus est ab alijs, secundo modo à seipso. Potuit namque interfectores suos reprimere tam à malo affectu, quàm ab iniquo effectu. Item quoniã potuit naturam suã corporalem seruare illæsam ab omni nocumento inflicto. Sic enim dominabatur anima eius corpori suo propter vnionem cum verbo, & ideo dixit: Nemo tollit animã meam à me, scilicet me inuito. Vnde vt Christus ostenderet se spõte pati, nec animam suã propter violentiam à corpore rapi, conseruauit naturã corporalem suam in omni suo vigore per totũ tempus passionis, ita vt cũ magna voce clamans obiret. Non enim obijt, nisi dum spõte permisit corpus suã virtute destrui. Et igitur citius obijt, quàm moris est alijs crucifixis. Et Cẽturio vidẽs, quod sic clamans expirasset, dixit: Verè filius Dei erat iste.

2. ¶ Insuper Christus ex obediẽtia patris mortuus est, quatenus sicut per vnius inobedientiam omnes periebamur, sic per Christi obedientiam omnes repararemur. Secundo, quia per obedientiam fit reconciliatio, cunctis enim sacrificijs ipsa præfertur. Tertio, quia per obedientiam peruenitur ad honorem ac palmam.

3. ¶ At verò patet dicitur Christum filium suum dilectum morti tradidisse. Primo, quia ab æterno ordinauit per eius passionem redimere seculum. Iuxta illud Esaiæ quinquagesimi tertio: Dñs posuit in eo iniquitatem omnium nostrum, & voluit conuertere eum. Secundo, quoniam inspirauit Christo voluntatem patiendi pro nobis, dando ei tantam charitatem Dei ac proximi. Tertio, quoniam passionem filij sui non impediuit. Sic ergo deus voluit Christum pati per modum Præcepti, cui filius promptissimè obediuit.

¶ *Cur Christus à gentibus passus sit. 2. An occisores eius eum meruerunt. 3. De grauitate excessus eorum. Art. 56.*

FIguratus verò est in Christi passione suę passionis effectus. Fructus namque passionis Christi primo in Iudæis pullulauit atq; receptus est, & per prædicationẽ Iudæorũ credentium ad gentes peruenit. Et ergo passio Christi à Iudæis exordium habuit, sed gẽtiles eum finalitter

Universidad de Deusto
Biblioteca

ter occiderunt. Quod autem Iudæi dicebant: Nobis non licet interficere quenquam, referendum est ad tempus festiuitatis illius paschalis secundum Augustinum, vel verius dicitur quod à Romanis interdicta eis extitit occidendi potestas.

2. ¶ Præterea sicut diaboli ita & maiores Iudæorum, videlicet sacerdotes & principes atque legisperiti, cognouerunt Iesum esse Christum in lege promissum. Videbant enim omnia de Christo prædicta in eo impleri, & certissima signa circumspexerant. Neutri tamen eorum sciebant mysterium diuinitatis eius. Et ideo Apostolus dicit, quod si cognouissent, nunquam dominum glotiæ crucifixissent. Sed illa eorum ignorãtia non eos excusat, quia affectata erat, atque ex inuidia orta est. Videbant nanque signa soli deo possibilia ab eo fieri, nec verbis quibus se filium Dei asseruit, credere voluerunt. Minores autem inter Iudæos, videlicet populus indoctus, nõ cognouerunt eum esse Christum. Et si interdum dubitabant, vel aliqui credebant, tamen à maioribus subuertebantur, ne crederẽt. Dicunt autem Chrysostomus & Beda, quod etiam maiores Iudæorum nonerunt eum esse filium Dei.

9. ¶ Itaque ex prædictis innotescit, quod peccatum sacerdotum ac principalium in populo Iudæorum Christũ occidentium, erat grauissimum. Tum ex genere peccati, quoniã Christum interemerunt. Tum ex malo affectu, quoniam propter inuidiam voluerunt aduertere eum esse Christum filium dei, quod tamen sciebant. Peccatum verò minorũ non fuit adeo graue, quia per ignorantiam aliquo modo excusabatur. Pilatus quoque minus peccauit quàm Iudæi, quia timore Cæsaris eum occidit. Milites verò quoniam de mandato præsidis eum peremerunt, minus omnibus peccauerunt. Sed & Iudas qui Christum ex inuidia prodidit, plus pilato eiusque militis peccauit.

¶ Vtrum passio Christi sit causa nostræ salutis per modum meriti. 2. An per modum satisfactionis. 3. An per modum sacrificij. 4. An per modum redemptionis. 5. An esse redemptorem sit proprium Christo 6. An nostram salutem causauerit passio eius per modum efficientiæ. Art. 60.

GRatia denique Christo homini collata est non solum tãquam singulari personæ, sed velut capiti vniuersalis ecclesiæ. Gratia ergo Christi sic se habet ad eum, & ad membra ipsius, quemadmodum gratia alterius

alterius ad seipsum. Sicut igitur alius quilibet gratiã habẽs si propter iustitiã patitur, sibipsi salutem meretur: sic Christus propter iustitiam patiendo non solùm sibi corporis glorificationem sed nobis quoq; salutẽ promeruit. Imo à primo suæ cõceptionis instante felicitatem nobis promeruit, quã tamẽ consequi nequibamus propter impedimẽta reatus peccatorum, propter quæ delenda Christus pati dignatus est.

2. ¶ Insuper per modum satisfactionis pro alio quis exoluit qui offenso impendit id, quod tantùm vel plus amat illatam iniuriam odiat. Et hoc modo pro nobis Christus patrem placauit, nostramque salutem effecit. Passio enim eius patri gratissima fuit, & gratior, quàm exigeret recompensatio totius generis humani. Primo propter feruorem suæ charitatis, ex qua morti se obtulit. Secundo propter dignitatem vitæ suæ, quam pro nobis ponebat, quæ fuit vita Dei & hominis. Tertio propter generalitatẽ & acerbitatem suæ passionis, quem admodum dictum est antè.

3. ¶ Amplius secundum Augustinum decimo de Ciuitate Dei sacrificium est omne, quod deo ad eius honorẽ impenditur, vt placetur. Suntque in omni sacrificio quatuor attenda, videlicet quis offerat, pro quo offerat, cui offerat & quid offerat. Quoniam ergo Christus seipsum pro nobis patri in ara sanctæ crucis obtulit ex charitate mira ad nos, quatenus reconsiliaret nos deo, patet quod sit causa nostræ salutis per modum sacrificij.

4. ¶ Amplius per peccatum obligatur homo duplici seruitute, videlicet culpæ & pœnæ. Qui enim peccat seruus est peccati, & debitor pœnæ luendæ. Quoniam igitur passio Christi sufficiens, & supersufficiens fuit ad satisfaciendum tam pro peccato hominis, quàm pro reatu pœnæ eius, sequitur quod passio Christi sit causa nostræ salutis per modũ redẽptionis.

5. ¶ Præterea ad redemptionem duo exiguntur, videlicet actus solutionis & precium solutum. Christus autẽ vt homo horum vtrumque Deo exhibuit, nam ipse obtulit, sed & seipsum obtulit patri. Et ergo horum vtrumque ad Christum immediate pertinet. Sed ad deum Trinitatem hæc pertinent tanquam ad primam principalemq; causam. Esse ergo redẽptorem immediate Christo est proprium, quamuis redẽptio Deo possit vt primæ causæ assciibi.

6. ¶ Conformiter ipsa deus trinitas, nostræ salutis est causa

Universidad de Deusto
Biblioteca

efficiens principalis, & passio Christi velut causa instrumentalis, ex diuinitate verbi Christo homini vnita efficaciam immeus immẽsam. Passio autem Christi ad diuinitatem relata agit per modum efficientis, relata ad voluntatẽ animæ Christi agit per modum meriti, relata ad Christi carnem per modum satisfactionis, prout per eam liberamur à pœnæ reatu. Agit quoque per modum redemptionis, inquãtum per eam liberamur à seruitute peccati. Per modũ verò sacrificij ipsi secundum quod per eam reconciliamur Deo.

¶ Quod per christi passionem redempti sumus à peccato. 2. A potestate diaboli, 3. An pœnæ reatu. Artic. 61.

PAssio igitur Christi nostra peccata deleuit tripliciter, scilicet per modum redemptionis, & sicut efficiens instrumentale, vt dictum est. Tertio autem per modum prouocãtis ad charitatem, per quam omnia peccata donantur. Ex hoc enim quod Christus nos ita præuenit diligendo nos, ac patiendo pro nobis, ad eum teamãdum accendimur sancto amore: qui operit multitudinem peccatorum. Sed quoniam passio Christi est causa vniuersalis & determinata nostræ salutis, oportet vt singulis per conuenientem modũ particulariter applicetur ad consequendum suum effectum. Hæc verò applicatio fit per fidem ac sacramenta ecclesiæ.

2. ¶ Præterea circa potestatem, quam dæmon exercuit in hominibus ante Christi passionem, tria pensantur. Primo hominis culpa, per quã homo meruit subdi diabolo. Secundo Dei iustitia, qui hoc iustè permisit. Tertio peruersa voluntas diaboli, qui homines à salute impedire non destitit. Quãtum autẽ ad primum istorum, liberamur per Christi passionem à potestate diaboli, prout passio eius dicitur remissio peccatorum. Quantum ad secundum, inquantum passio eius reconciliauit nos Deo. Quãtum verò ad tertium, per hoc dæmon potestatem suam in eum exercuit, qui peccatum nõ habuit, scilicet in Christum eius mortem procurãdo. Quia enim nõ debitor eum inuasit, debitores amisit, secundum Augustinum.

3. ¶ Denique per Christi passionem liberati sumus à reatu peccati directe & indirecte. Directe, quoniam passio eius sufficiens erat ad satisfaciendum pro vniuersis peccatis. Indirecte autem per hoc, quod passio eius est causa remissionis culparũ, in quibus fundatur pœnæ reatus. Sed hunc Christi pas-

sti passionis effectũ necesse est nobis applicari per modum præactum. In baptismo enim omnia peccata dimittũtur, per pœnitentiam verò dimittuntur peccata in virtute meriti passionis Christi.

¶ Quod per Christi passionem Deo reconciliati sumus. 2. Quod etiam per eam ianua regni aperta est. 3. An Christus per passionem sui exaltationem promeruit. Articulus 62.

REconciliari quoq; dicimur Deo per passionem Christi. Tum quoniã passio eius est deletiua peccati, tũ quia effectus sacrificij est illũ cui offertur, placare.

2. ¶ Denique clausio ianuæ regni est quoddam obstaculum ingressum vitæ æternæ impediens. Hoc autem obstaculum ex peccato causatur, tam originali quàm actuali. A peccato autem originali redempti sumus per mortem Christi, tam quantum ad culpam, quàm quo ad pœnæ reatũ, ipso præcium pro nobis soluente. A peccatis verò actualibus passio Christi nos liberat, per hoc quod Christo & merito suæ passionis cõiungimur, per fidem & charitatem ac sacramenta. Idcirco per passionem Christi aperta est nobis ianua regni. Nam ante passionem Christi nemo sanctorum beatitudinem adipisci valebat: quanuis pro proprijs culpis satisfeciisset. Reatus enim totius naturæ ex originali peccato prouenientis non nisi per Christum deleri potuit.

3. ¶ Porro meritum quandam æqualitatem iustitiæ signat. Sicut autem iustũ est, vt qui sibi plus vsurpat, vel tribuit quã debitũ est, diminutionẽ sustineat in his quæ sua sunt. Quemadmodum in veteri lege, qui vnam ouem furabatur, reddidit quatuor: Sic iustũ est, vt is qui minus sibi assumit, vel tribuit quàm posset & debitum est, additionem recipiat. Sicut qui se humiliat, exaltationem sortitur. Christus verò in sua passione humiliauit se infra suam dignitatem in quatuor. Primo, quantum ad passionem & mortem, cuius debitor nõ fuit. Secundo, quantum ad locum. Nam corpus positum est in sepulchro anima in inferno. Tertio, quantum ad confusionem & opprobria. Quarto quoniam traditus est potestati humanæ ac tenebrarũ. Idcirco per suam passionem meruit exaltationẽ in quatuor. Primo, quãtum ad resurrectionem gloriosam. Secundo, quantũ ad ascensionem in cœlum. Tertio quãtum ad concessum in dextera patris, & manifestationẽ suæ diuinitatis. Quarto, quo ad iudiciariam potestatem sibi collatã: quemad-

quemadmodum Iob.36.habetur. Causa tua quasi impij iudicata est,causam iudiciumq; recipies.

¶Quod conueniens erat Christum mori.2. An per mortem fuerat separata in eo vnio diuinitatis & carnis. 3. An vnio quoque diuinitatis & animæ.4. An Christus in triduo mortis fuit homo.5. An corpus eius fuit idem numero viuum ac mortuum.6. Vtrum mors Christi operata sit aliquid ad nostram salutem. Art.63.

AMplius autē Christus mortuus est. Primo,vt sic nos morte satisfaciendo à debita morte redimeret. Qui enim pro alio satisfacit, si pœnam alterius debitam ipse subit,plenissimè satisfacit.Secundo, vt veritatem naturæ humanæ ostenderet in se.Tertio,vt nos à mortis formidine liberaret . Quarto,vt daret nobis exemplum spiritualiter,moriendi mundo ac vitijs.

2. ¶Adhuc quæ ex gratia conferuntur,sine culpa non auferuntur.Gratia autem vnionis in Christo maior fuit gratia adoptionis in alijs. Cùm ergo vnio quæ est per gratiam adoptionis,nulli sine peccati demerito auferatur. patet,quod in Christo qui omnis peccati est expers, non sit ablata per mortem vnio diuinitatis & carnis,quæ est vnio secundum personam.Sed anima à corpore separata,permansit caro verbo secundum hypostasim seu diuinitatis vnita,secundum Damascenum tertio libro.

3. ¶Propter eandem verò rationem, anima Christi diuinitati vnita remānsit in triduo mortis. Quod autem Christus dixit Iohannis 10. Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam,& iterum sumo eam,secundum Augustinum dixit ratione carnis,quę in virtute verbi cui fuit vnita,animam suā posuit per separationem in morte.Diuinitas enim nō posuit animam,sed semper ei mansit coniuncta.Anima quoque Christi non posuit seipsam, quia separata à seipsa non fuit.

4. ¶Præterea remoto superiori remouetur inferius . Cùm ergo Christi corpus in triduo mortis non fuerit animatum, vel viuum non fuit Christus tunc homo. Itē de ratione mortis est,quod auferat esse substantiale . Et ergo Christus verè mortuus, non permansit homo . Et huius oppositum dicere error est contra fidem. Quidam verò verba erroris dixerunt sine sensu contrario fidei,vt Hugo de sancto Victore.qui asserebat Christum in triduo mortis fuisse hominem,quia posuit hominem esse animam rationalem . Magister quoque sententiarum tertio libro idem affirmat,sed alia ratione.Æstimauit quippe sufficere ad hoc,quod aliquid sit homo,vt habeat animam rationalem & corpus sibi vnita,siue caro & anima sint sibinuicem conuita,siue non.

5. ¶Insuper aliquid dicitur idem dupliciter.Primo simpliciter.Et sic illud est idem numero, quod est idē supposito . Sic quę corpus Christi fuit idem simpliciter viuum ac mortuum. Quia hypostasis verbi permānsit semper eius persona seu subsistentia.Secūdo dicitur aliquid idem totaliter . Et sic corpus Christi ante passionem & in triduo mortis non fuit numero idem,cum vita sit aliquid de essentia corporis viuentis.Nam animatum est eius essentiale prædicatū.Si ergo corpus Christi fuisset totaliter idem,nō esset Christus veraciter mortuus quod est hęresis Galamitarum,secundum Isidorum.Dicit autem Damascenus tertio libro quod corruptio vno modo importat separationem carnis ab anima . Et sic corpus Christi pertransit corruptum. Alio modo perfectam resolutionem in elementa.Sicque caro Christi non vidit corruptionem.

¶At verò de morte Christi possumus loqui , vel prout est in facto,vtpote secundum quod per innaturalem passionem aliquis tendit in mortem . Sic verò idem est loqui de Christi passione eiusq; morte.Et ergo sicut passio Christi fuit nostrę causa salutis:ita & mors hoc modo accepta Secundo considerabatur mors Christi vt in facto esse , prout videlicet separatio animæ à corpore facta est . Et ita mors Christi est causa nostrę salutis,non per modum meriti, sed efficientiæ propter vnionē verbi manentē. Vnde propter virtutē diuinitatis vnitæ salutiferum nobis fuit,quicquid circa corpus Christi mortuum factum narratur . Propriè autē mors Christi est causa destructionis nostræ mortis tā carnis quàm animæ. Propriè enim cōsiderabatur effectus secundū similitudinem suæ causæ.

¶Vtrum conueniens fuit Christum sepeliri.2.De modo sepulturæ Christi.3. An corpus Christi fuit in sepulchro resolutum.4. De tempore quo fuit in sepulchro . Articulus 64.

BEne quoque conueniens fuit, vt Christus sepeliretur. Primo,vt verè mortuus probaretur.Secundo,vt sepulti spes resurgendi daretur.Tertio,vt nos eius exēplo spiritualiter sepeliamur.

2. ¶Congruenter autem à nobilibus,vtpote Ioseph ab Arimathia,& Nicodemo principe Iudæorum Christus sepultus est.Iuxta

est. Iuxta illud Isaię: Erit sepulchrum eius gloriosum. Sepelierunt autem eum, sicut mos est sepelire Iudæis, scilicet aromatibus conditum, ne caro eius cito resolueretur. Per quæ mystice figuratur deuotio Christi fidelium. Et mystica aromatum quæ amara sunt, amaritudinem pœnitētiæ præsignabāt, per quam Christus manet in nobis & in mentibus nostris sepultus. Sepultus est etiam Christus in horto, ad insinuandū, quod per mortem ipsius liberamur à peccato & morte Adæ, qui in horto paradisi transgressus est. Positus verò est in monumento, ne si cum alijs sepeliretur, non ipse, sed alius resurrexisse putaretur.

3. ¶Denique non decuit corpus Christi in monumento resolui resolutio enim huiusmodi ex corporis infirmitate contingit, quæ non sufficit corpus seruare illæsum. Quoniam igitur corpus Christi post separationem mansit diuinitati vnitum, resolui non potuit.

4. ¶Porro in sepulchro iacuit corpus Christi per duas noctes, ad significandum, quod per eius mortem liberamur à duplici morte, videlicet carnis & animę. Sed quia mors Christi prouenit non ex peccato, sed charitate ipsius. Idcirco per vnam diem in sepulchro fuit. Quod verò dicitur Christus in sepulchro fuisse tribus diebus tribusque noctibus, intelligendum est ponendo partem pro toto. Secundum Augustinum verò decim. de Trinitate, Christus diluculo resurrexit, in quo aliquid lucis apparet atq; de tenebris aliquid remanet. Vnde quod Grego. asserit, Christū media nocte resurrexisse, non est referēdum ad æqualem diuisionem noctis in suas partes, sed propter has tenebras, quæ ad noctem pertinebant, hoc dixit.

¶ *Cur Christus ad infernum descendit. 2. Ad quem infernum descendit. 3. An totus ibi fuit 4. An aliquam moram ibi contraxit. Artic. 65.*

COngruum insuper fuit Christum ad infernū descendere. Primo, quoniam ipse venit nostrā pœnam portare. Ex peccato autē meruit homo non solum mortem corporis, sed & descensum ad inferos. Sicut igitur Christus mori voluit vt nos à morte eriperet: sic ad infernum descendit, quatenus nos ab hoc descēsu redimeret. Secundo, vt suos illic detentos educeret. Iuxta illud Zach. 9. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua. Tertio quatenus sicut potestatem

tem suam ostendit in terra, docēdo, & operando: sic in inferno eandem monstraret ipsum spoliando.

2. ¶Præterea anima Christi solummodo ad infernum iusto rum descendit secundum essentiam, sed ad quemlibet infernum descendit quātum ad effectum, damnatos de sua incredulitate atq; malitia confutando, in purgatorio existētes maiori spe confortando. Sed sanctos qui pro solo originali peccato tenebantur in limbo, visitauit, infundens eis lumen gloriæ æternæ: quatenus sicut visitabat eos secundum deitatem per spiritualem gratiam: sic secundum animam visitaret eosdem per loci descensum.

3. ¶Porro secundum Augustinum Christus totus fuit in sepulchro, totus in inferno. Nam masculinum genus ad personam refertur, ipsum autem verbum est persona animę & corporis Christi, & nec anima nec corpus pars est huius personæ increatæ. Quoniam ergo verbum māsit animæ corporiq; cōiunctum in triduo mortis, Christum totus fuit in inferno, & totus in tumulo.

4. ¶Amplius propter eandem rationem qua dictum est corpus Christi iacuisse in sepulchro per duas noctes & integrū diem, credendum est animam eius tāndem in inferno fuisse. Mox tamen dum infernum ingressus est Christus omnes sanctos in limbo lucæ gloriæ illuitrauit. Sed mansit cum eis, quatenus simul educeretur anima eius de inferno & corpus de monumēto. Vnde quod Christus latroni promisit: Hodie mecum eris in paradiso, de spirituali paradiso est dictum in quo omnes qui diuina gloria perfruuntur consistunt.

¶ *Vtrum Christus liberauit sanctos patres de inferno. 2. An etiam damnatos 3. An & pueros in originali peccato defunctos. 4. An eos quoque qui in purgatorio erant. Artic. 66.*

SAnctos prēterea patres Christus de inferno redemisse dicitur. Tum, quia de dolore, qui ex dilatione boni operati causatur, eos eripuit. Tum, quia beatitudinem ipsis infundit merito suę passionis, delens reatum pœnæ originalis peccati, propter quem dilationem gloriæ patiebantur, quamuis pro actuali peccato satisfecerunt.

2. ¶Insuper patuit, quod meritum passionis Christi applicatur hominibus per fidem charitate formatam & sacramenta. Et ideo Christus nec infideles, nec iniustos de inferno redemit, quāuis omnes aliquo modo visitauerit. Nā visitatio quā

doque

doque accipitur in malum secundum illud Soph. primo. Vltabo super viros desixos in fecibus suis.

3. ¶ Rursus quoniam nemo capax est fructus seu meritj passionis dominicæ, nisi aliquo modo sit Christo coniunctus. Ideireo pueri in originali peccato defuncti, non sunt liberati per Christum, non enim charitatem, vel gratiam habuerunt, nec fidem, quoniam nec fide propria, nec fide parentum, nec aliquo fidei sacramento Christo vniti fuerunt.

4. ¶ At verò passio Christi non vuq; temporalem, vel transitoriam habet virtutem, sed sempiternam, secũdum illud ad Hebræos primo. Vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos. Passio igitur Christi non habuit maiorem liberandi efficaciam tunc quàm nunc. Vnde quos Christus tales in purgatorio repperit, quales sunt qui modo in ipso purgantur tales atque tenentur non liberauit suo descensu, qui prædictum est) non operabatur nisi in virtute meriti suæ passionis. Illos tamen de purgatorio eduxit, qui sufficiẽter purgati fuerunt, vel educi Christo veniente meruerũt, dum in seculo isto vixerunt, videlicet propter specialem deuotionem dilectionem ac fidem ad Christi passionem: sicut ex epistola Augustini ad Euodium elici potest.

¶ De necessitate 2. De tempore 3. De ordine. 4. De causa rei surrectionis Christi, Articulus 67.

QVinque autem de causis necessarium fuit Christum resurgere. Primo propter commendationem diuinæ iustitiæ, cuius est eos erigere qui seipsos propter Deum humiliant. Secundo propter fidei imstructionem circa diuinitatem Christi, quæ per eius resurrectionem manifestata consistit. Tertio ad erigendam spem nostram, vt sperent id membra, quod credunt completum in capite. Quarto ad informationẽ spiritualis vitæ, quatenus nos spiritualiter resurgendo in nouitate vitæ ambulemus. Quinto ad consummationem nostræ salutis, resurrexit enim propter iustificationem nostram.

2. ¶ Præterea congruum fuit ad instruendum fidem, quarto die tertia Christus resurgeret. Si enim antè surrexisset posset videri quod verè mortuus non fuisset. Non enim potest esse, quin in homine non mortuo infra tres dies aliqua signa vitæ appareant. Si verò resurrectionem vsque ad finem mundi distulisset, diuinitatis suæ cognitio latuisset. Et ergo ob eam

ob eam declarandam oportuit eum cito resurgere. Ponitur quoque triplex status sanctorum. Primus sub figuris legis. Secundus sub fidei veritate. Tertius in æterna iucunditate. Et ergo tertia die Christus surrexit. Quemadmodum autem ante Christi passionem dies à tenebris ad lucem computantur, propter futuram tũc hominis reparationem: sic post Christi mortem dies à nocte sumit initium.

3. ¶ Præterea resurrectio duplex est, scilicet imperfecta quæ est solum ab actuali morte, vt viuere incipiat, quocũque modo qui mortuus fuit. Alio modo dicitur resurrectio perfecta per quam mortuus nõ iam duntaxat à morte, sed & à necessitate, imo & possibilitate moriẽdi eripitur. Christus ergo dicitur primitiæ resurgentium, vel primus resurgens, loquẽdo de resurrectione perfecta, non autem loquendo de resurrectione imperfecta. Nam Helias vnum mortuum & ipse Christus tres ante passionem suscitauerunt, qui iterum omnes dormierunt. Sed de his qui cum Christo surrexerunt, est duplex opinio, an iterum mortui sint. Quod si dicantur non denuo mortui, tunc non surrexerunt ante Christum. Si autem quis asserat, quod dormierunt iterum in morte, sicut Augustinus videtur sentire efficaciterq́ne probat in epistola ad Euodium: tunc dici potest, q́ tempore mortis Christi surrexerint.

4. ¶ Amplius cum patris ac filij vna sit virtus, sicut pater suscitauit Christum: sic & Christus inquantum Deus, suscitauit seipsum. Loquendo autem de anima & corpore secũdum virtutem eorum propriam & creatam, vnum non reuniuit se alteri. Sed considerando vtrumque prout verbo mansit vnitum sic eadem ratione diuinitatis vnitæ resumpsit corpus quod deposuit. & anima resumpsit corpus quod dimisit.

¶ Vtrum Christus post resurrectionem habuit corpus verum. 2. An gloriosum. 3. An integrum. 4. De cicatricibus corporis sui. Art. 68.

SIcut Damascenus testatur, illius est resurgere, quod cecidit. Sicut ergo Christus ante passionem verum corpus habebat: ita oportet quod cum vero corpore resurrexit si verè resurrexisse credatur. Quod autem corp⁹ eius ianuis clausis ad discipulos introiuit, diuina virtute fuit. Sciendum quoque, quod corpora beatorum erunt spiritualia, id est, spiritui per omnia subdita, eiusq́ voluntati in cunctis subiecta. Et ergo in potestate habentis corpus gloriosum est, vt se permittat videri, vel quod non videatur. Sic er-

go Christus post resurrectionem ratione corporis glorioſi quando voluit, videbatur, & quando voluit, nō videbatur: vt delicet quia corpus eius non immutauit visum alterius, ꝓbatiuis præsentis. Quod tamen habebat non solùm ex conditione corporis glorioſi, sed propter deitatem vnitam. Cuius virtute conferri potest corpori non glorioſo, vt videatur & non videatur, secundum volūtatem propriæ animæ. Sicut de beato Bartholomeo habetur. Vnde Christus ab oculis discipulorum euanuit, non quod corrumperetur, vel resolueretur in aliqua inuisibilia: sed quoniam propria voluntate desijt ab eis videri, vel eo præsente, vel propter dotē agilitatis se abscondente.

¶ Rursus Christus post resurrectionem non mutauit proprij vultus effigiem, quantum ad lineamenta naturalis figuræ. Accepit autem in resurrectione gloriæ claritatem, non tamē discipulis in forma glorioſa apparuit: sed in eius potestate fuit, vt ex suo aspectu formaretur in visu intuentium quæcunque forma ei placuerat.

2. ¶ At verò Christus in corpore glorioſo surrexit. Nam resurrectio eius est nostræ futuræ resurrectionis, in qua corpora glorioſa habebimus, exemplar & causa. Secundo, quoniam per suam passionē meruit corporis glorificationem. Tertio quia quod corpus Christi ante passionem glorioſum nō fuit, anima eius beata atq; glorioſa existente, ex diuina dispensatione fuit: quatenus impleretur nostræ redemptionis mysterium. Illo ergo completo per mortē, cōfestim gloria animæ Christi redūdauit in corpus sibi denno copulatum. Et ergo glorioſum mox fuit in ipsa resurrectione. Aduertēdum autē q̄ dicitur corpus esse palpabile non solùm ratione resistentiæ, sed ratione spissitudinis suæ. Ad rarum verò & spissum quuntur graue & leue, calidum, frigidum atq; contrarias, quæ ad corruptionem disponunt. Ideirco vt ait Gregorius, necesse est corrumpi naturaliter loquēdo, quod tactu humano est palpabile. Si verò sit corpus tactui quidem resistēs, sed præter tactas qualitates quæ sunt tactus obiectum, non habens, vt est corpus cœleste, illud non potest dici palpabile. Sed corpus Christi post resurrectionem ex elementis constabat, præter tactásque qualitates habebat: & ideo naturaliter palpabile fuit. Quod autem incorruptibile fuit, ex beatitudine animæ redūdauit. Quoniam secundum Augustinum in epistola ad Dioscorum,

corum, tam potenti natura fecit deus animam, vt eius plenissima fruitione seu beatitudine redundet in corpus plenitudo sanitatis, id est, incorruptionis vigor.

3 ¶ Adhuc autem Christus in corpore integro, id est, cuncta habente, quæ ad naturalem hominis consistentiam, veritatemq̄ pertinent, resurrexit. Et ergo post resurrectionem carnem & ossa ac sanguinem habuit: sicut & ante. Cuius oppositum ponit Euthices constantinopolitanæ vrbis episcopus, asserens corpora beatorum vento ac aëre subtiliora futura. Quod verò dicitur caro & sanguis regnum dei non possidebunt, non de carnis sanguinisque natura, sed corruptione & culpa accipi par est. Vnde totus sanguis qui de Christi corpore fluxit, in eo resurrexit. Similiter omnes particulę corporis eius. Sanguis autem qui in quibusdam ecclesijs pro reliquijs conseruatur, non emanauit de corpore Christi, sed de quadam imagine eius percussa.

4 ¶ Præterea Christus in suo corpore cicatrices retinere manerēq̄ voluit. Primo, in signum sui triumphi. Secundo, ad confirmationem discipulorum ac fidei. Tertio, vt deo patri pro nobis eas ostēdat. Quarto, vt omnes electi semper in patria videant, quā misericorditer atque amorose redēpti sint. Quinto, vt ea in die iudicij ingratis ac perfidis ad eorum cō fusionem & ad suam commendādam iustitiam repræsenter, secundum Ambrosium in libro de Symbolo. Hæc ergo cicatrices perfectioni & integritati corporis Christi non derogāt sed corpus eius ornant atq; perficiunt, & in æternum in Christo manebunt, secundum Gregorium.

¶ *Quibus Christus post resurrectionē apparere debuit. 2. An discipulis videntibus eū resurgere decuit. 3. Cur cum discipulis post resurrectionem conuersatus sit. Articulus. 69.*

LEx denique diuinitus instituta hoc exigit, vt ea quę naturalem cognitionem trāscēdunt, nō immediate omnibus reuelentur, sed primo quibusdā superioribus, & per illos alijs. Resurrectio autē Christi quia ad futurā beatitudinem ordinatur, naturalem atque communem notitiam superat. Ideoque resurrectio Christi omnibus manifestati non debuit, sed quibusdam electis, testibus scilicet præordinatis à deo, atque per illorum prædicationem alijs reuelari.

¶ Propter eandem quoque rationem non decuit, vt aliquis di

Universidad de Deusto
Biblioteca

sepulorum Christum videret resurgere. Resurrexit enim ad vitam immortalē ac dei formem. Sed Dionysio teste, ea quæ supra hominem sunt, hominibus per angelos ex diuinæ sapientiæ ordinatione panduntur. Et ergo angeli qui Christi resurrectionem conspexerunt, eam discipulis reuelauerunt, pōmoque fœminis, quatenus sicut fœmina viro mortis inuentrix intulit: sic à fœmina vitæ ostium, id est, Christus resurgēs nūciaretur viris.

2. ¶ Ascensionem tamen Christi discipuli viderunt, quia ascensio quantum ad terminum à quo non excedit naturalem notitiam, sed quo ad terminum ad quem. Et ergo discipuli conspexerunt qualiter eleuabatur à terra, non autem qualiter recipiebatur in cœlo. Sed resurrectio quantum ad vtrunq; terminum naturalem excessit notitiam. Quantum enim ad terminū à quo, anima redijt de inferno, & corpus exuit de claustro sepulchri: terminus vero ad quem, erat vita gloriosa. Et ergo resurrectionem nullo modo viderunt.

3 ¶ Porro post resurrectionem Christi duo erant manifestanda discipulis, scilicet veritas resurrectionis: & hæc satis ostiū est eis per hoc, quod Christus frequenter apparuit: Et gloria resurgentis: quæ & ipsa requirebat, vt Christus non continue, sed sæpe conuersaretur ac esset cum suis, ne omnino putarent ad talem vitam resurrexisse qualem ante habebat: vt esset cum eis, non solum per præsentiam corporalem, sed etiā per carnis mortalitatem. Et ideo Christus per illos dies quadraginta non semper erat cum discipulis. Verum vbi moretur corporaliter fuit, nescitur, cum scriptura illud non asserat, atque in omni loco ac tempore sit dominatio eius.

¶ An Christus in alia effigie apparere debuit. 2. An per argumenta probare debuit suam resurrectionem. 3. De sufficientia argumentorum illorum. Artic. 70.

RESurrectio inuper Christi ita debuit manifestari hominibus, sicut reuelantur diuina: videlicet secundū capaciratem seu dispositionem ac modum illorum, quibus reuelabatur. Vnde habentibus mētem bene dispositam reuelantur diuina secundum apertam veritatem. Aliis verò cum quadam imperfectione, & ergo ipsi percipiebant eam cum quodam errore. Et ideo Christus post resurrectionem quibusdam apparuit in propria effigie, aliis qui iam hæsitabant & nutabant in fide, in effigie aliena. In qua tamen fallacia,

fallacia, vel falsitas nulla fuit, quia per alienam effigiē introducti sunt ad veram Christi notitiam. Dicit autem Augustin. in epistola ad Hieronymum, quod si, vel vnum mendacium in sacra scriptura recipiatur, insimabitur tota scripturæ authoritas. Quod vero de Christo habetur: Finxit se longius ire, falsitate nullā continuit. Non enim quælibet fictio est mendacium, secundū Augu. sed illa, q̄ ad nihil significandū assumitur.

2 ¶ Denique argumentum vno modo vocatur ratio rei dubiæ faciens fidem. Sicque Christus resurrectionem suam nō probauit argumentis: quoniam tale argumētum procedit ex aliquibus per se notis. Secundo argumentum vocatur, quodcunq; sensibile signum inductum ad veritatis declarationē. Et ita Christus per varia argumenta discipulis se veraciter resurrexisse ostendit. Meritum autem fidei inde procedit, q̄ homo ex diuino præcepto credit, quę non videt. Et ergo illa ratio fidei meritum tollit, quæ facit per scientiā videri id quod creditum proponitur: qualis est ratio demonstratiua.

3 ¶ Præterea Christus suam resurrectionem manifestauit testimonio & argumento. Testimonio quidem, tam angelorū quām scriptoræ. Argumento quoque, ostendēs se habere corpus verum ac solidum puta palpabile. Itē, q̄ esset corpus humanum & idem numero, ostēdendo propriam suam effigiē, & cicatrices. Rursus ex parte animæ corpori reunitæ idem ostenditur. Primo per opera animæ vegetatiuæ comedendo atq; bibendo. Per opera quoq; animæ sensitiuæ ad interrogata respondendo, & seipsum ostendendo: in quo probauit se audire ac videre. Item per opera animæ intellectiuæ, disserendo de scripturis, & sensum eis aperiens. Diuinā vero naturā suam ostendit in miraculis, captura piscium, ascensu in cœlum, atque similibus.

¶ Quod resurrectio Christi sit causa nostræ resurrectionis. 2. Quod eadem causa sit nostræ iustificationis. Ar. 71.

EST autem primum in quolibet genere causa secundorum eiusdem generis. Sicut primum lucidum est causa lucis in alijs. Cùm ergo sit Christus primitiæ resurgentium & primis resurgens ex mortuis, secundum Apostolum: patet, quod eius resurrectio sit causa nostræ resurrectionis. Item primis agēs primitus agit in id quod sibi magis cōiunctū est. Quoniam ergo verbū dei fons vitæ est, primo viuificat naturā quā assumpsit in vnitatem personæ, & a-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lios per eam. Vnde diuina volũtas seu virtus est causa prima ac principalis nostræ resurrectiõis. Sed resurrectio Christi est causa secũdaria ac instrumẽtalis eiusdẽ, estq; resurrectio Christi causa nostræ resurrectionis: nõ propriè meritoria, sed efficiens & exemplaris, cui configuranda erit resurrectio nostra futura.

2. ¶ At vero quoniam resurrectio Christi agit vt instrumentum diuinæ virtutis verbi naturæ humanæ vnitæ: ideirco non solum est causa resurrectionis corporum, sed & animarum etiam exemplaris. Debemus enim spiritualiter cũ Christo resurgere ad imitationem suam, erigendo nos ab inferioribus ad superna. Verbum enim dei causa est gratiæ, per quam est vita atque resurrectio animæ: sicut & animæ, quæ est causa corporeæ vitæ.

¶ An conueniens fuit Christum ascendere. 2. Secundum quam naturam ascendit. 3. An propria virtute ascendit. 4. An ascendit super omnes cœlos corporeos. 5. An super spirituales creaturas. 6. De effectu huius ascensionis. Articulus. 72.

PRæterea locus proportionandus est locato. Quoniã ergo corpus Christi ad vitam immortalem & gloriosam surrexit, non competebat ei locus mansionis in terra, quæ est generatiõis corruptionisq; locus: sed in cœlo, quod est corp⁹ incorruptibile atq; perpetuũ. Et ideo congruum fuit Christum cœlos ascendere, tum propter fidẽ augendam, propter spem roborandam, propter charitatem accendendam ad appetendum diuina. Et sicut per 40. horas mortuus iacuit: sic per totidem dies in terris post resurrectionem moratus est.

2. ¶ At verò ascensio ista conuenit Christo secundum diuinam naturam, quantũ ad causam ascensionis. Humana nãq; natura virtute diuinæ naturæ ascendit. Sed quantum ad conditionem ascendentis, sic ipsa ascensio competit Christo ratione naturæ humanæ. Diuinitas enim immobilis est atq; immensa. Nil ergo est ea sublimius quo ascendere valeat.

3. ¶ Insuper in Christo est duplex natura. Quod autem ascendit propria virtute, ex parte diuinæ naturæ non est ambiguũ. Virtus verò naturæ humanæ in Christo est duplex, videlicet naturalis, ⁊ cõsequitur essentialia principia naturę humanæ; & per hanc Christ⁹ nequaquã ascendit. Alia autẽ naturæ humanæ virtus in Christo est virt⁹ gloriæ: quę est ex redũ-

dantia beatitudinis animæ participatiue in corpore, ita quod corpus in omnibus subiectum est animæ & voluntati eius ad omnem motum, vt vbi anima esse voluerit ibi protinus ⁊sit corpus: & ergo secundũ hanc virtutem potest Christus dici ascendisse in cœlum.

4. ¶ Porro quo corpora diuinã bonitatem magis participãt, eo superior ea locus decet. Participatio autem gloriæ omnẽ naturalem perfectionem excedit. Vnde corpora glorificata super cœlos locanda sunt. Cũ igitur Christus excellentissimè glorificatus sit, decuit vt super omnes cœlos ascẽderet dignitate ac loco. Dicitur tamẽ sedes dei esse in cœlo, non quasi in continente: quasi sit aliqua pars cœli superior corpore Christi: sed quasi in contento, eo quod ipse eos sub se habeat atq; contineat. Ascendit autẽ Christus sine diuisione cœlorũ, quia diuina virtute penetratio fit dimensio in corpore glorioso.

5. ¶ Adhuc autem quanuis natura humana secundũ naturam inferior sit natura angelica: tamen Christus propter vnionem cum verbo omni spirituali creatura præstantior est. Et ergo super eam ascendisse refertur secundum dignitatem. Angeli enim non sunt in loco circumscriptiue, vt corpus Christi in cœlo sub propria dimensione.

6. ¶ Quemadmodum autem resurrectio Christi causa est nostræ resurrectionis: ita ascensio eius est causa nostræ ascẽsionis atque salutis. Tum quia per eius ascensionem fides in nobis roboratur, charitas ad cœlestia incalescit, spes quoque suspirat. Tum quia Christus ascendit vt nobis locum pararet, patrem q̃ cœlestem pro nobis interpellaret, atque ex cœlo velut ex propria sede cœlestia nobis dona transmitteret.

¶ Quod Christus sedet ad dexteram patris. 2. Secundum quam naturã hoc ei conueniat. 3. An id sit proprium Christo. Articu. 73.

SEssio autẽ duo importare potest, videlicet quietem ac iudiciariam potestatem. Et vtroq; modo Christus ad dexterã dei patris sedet. Nam inæternum apud patrem manet atque ab eo iudiciariam potestatem suscepit & ei contegnat. Et ergo secundum Augustinum, sedere accipitur hic pro habitare. Quemadmodum dicimus: Ille sedit in tali regione per tres annos. Dextera verò patris intelligitur beatitudo ipsius. Vel secundum Damascenum, Christus sedet ad dexteram patris, id est honorem & gloriam diuinitatis habet, sicut & pateat, velut pater æqualis. Itaque per

Universidad de Deusto
Biblioteca

dexteram tria possunt intelligi, scilicet honor & gloria diuinitatis, beatitudo patris iudiciariaq; potestas. Sedere autem ad dexteram patris, est ei conregnare & ista ab eo habere.

2. ¶Ex quo patet, quod sedere ad dexteram patris competat filio secundum quod deus: quicquid enim est filius a patre recepit. Imo hoc modo spiritussanctus dici potest ad dexteram patris vel filij. Quanuis hæc sessio approprietur filio, quia secundum Augustinum in patre est vnitas, in filio æqualitas, in spiritusancto vnitatis ę qualitatisq; connexio.

3. ¶Denique cum dicitur Christus sedere ad dexteram patris, hæc præpositio ad quendam accessum designat, in quo intelligitur conuenientia cum aliqua distinctione. Si ergo intelligatur conuenientia in natura & distinctio in persona, sic Christus secundum quod deus, sedet ad dexteram patris. Est enim vtriusque vna natura, sed distincta persona. Secundo intelligi potest prædictus accessus secundum gratiam vnionis. Et ita in Christo accipitur vnitas in persona & distinctio in natura. Sic verò Christus vt homo est filius dei naturalis, non adoptiuus. & per consequens ad patris dexteram secundum gratiam habitualem, quæ maior fuit in Christo quã in omnibus creaturis, omnium enim cõstitutus est rex & iudex. Sic igitur Christus secundum quod homo, sedet ad dexteram patris, id est in potiorib' bonis ipsius, plus de beatitudine & perfectione eius recipiens. Si autem designetur vnitas suppositi, sic etiam Christus secundum quod homo, sedet ad dexteram patris secundum ęqualitatem honoris, inquantum eodem honore veneramur filium dei cum natura assumpta, secundum intellectum præhabitum. Eluceſcit autem ex his, quod sedere ad dexteram patris vtroque modo sit proprium Christo. Ipse enim solus patri æqualis est, & præ omnibus potiora eius bona participans. Nulli ergo angelorum vel hominum competit sessio hæc, nisi Christo.

¶Vtrum Christo competit iudiciaria potestas. 2. Secundum quam naturam conueniat ei. 3. An meruit eam. Articu. 74.

AD iudicium verò faciendum tria exiguntur, videlicet potestas subditos coërcẽdi, zelus quoque iustitiæ, & sapientia secundum quam proferatur iudicium in quo iudicij forma consistit. Ratio nanque iudicij est lex sapientiæ vel veritatis, secundum quam iudicare oportet. Cum ergo filius sit sapientia genita patris, & veritas patris perfecte repræsentans: ideirco potestas iudiciaria ei propriè competit. Nam secundum Augustinum libro de vera religione, hæc est immutabilis illa veritas quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis. Iudiciaria ergo potestas filio appropriatur: quanuis toti superbeatissimæ trinitati communis sit.

2. ¶Quanuis autem iudiciaria potestas conueniat filio secundum quod deus authoritatiuè: tamen competit ei vt homo, quo ad executionem actus, non inquantum homo duntaxat, sed in quantum est caput omnium hominum cuius pedibus omnia deus subiecit. Et hoc est primo propter affinitatem Christi ad homines, decet enim vt deus per Christũ tãquam sibi vicinissimum nodisq; coniunctum vt caput, alios iudicet. Secundo, quoniam decet vt homines iudicem suum in finali iudicio videant.

3. ¶Præterea non est inconueniens aliquid alicui ex diuersis causis competere: sicut gloria corporis conuenit Christo non solum ex redundantia animæ, vnionéque verbi, sed & propter meritum passionis, vt dictum est. Conformiter licet iudiciaria potestas Christo conueniat, & propter diuinam personam & propter capitis dignitatem ac gratiam habitualem: nihilominus meruit eam secundum quandam decentiã. Nam decet, vt qui propter iustitiam iniustè iudicatus est, iudex sit aliorum.

¶An Christo conueniat iudiciaria potestas ad omnes. 2. An præsens iudicium sit expectandum finale iudicium. 3. An potestas iudiciaria Christi extendatur ad angelos. Articu. 75.

CHristus verò omnium hominũ iudex est. Ipse enim pro omnibus passus est, & per ipsum omnes electi saluantur. Ipse quoque omnium cordium secreta cognoscit, & maximè diuinę sapientię est cõiunctus.

2. ¶Porro perfectum iudicium ferre non potest de aliquo ante eius consummationem, quando non est amplius timẽdum de periculis ante finẽ euenire potentibus. Et ergo post mortem fit statim vniuscuiusq; iudiciũ. Sed quia post mortẽ permanet homo secundum aliquid, pluribus modis. Primo, prout vivit in memorijs hominum, in quibus interdũ contra veritatẽ remanet bonæ maleue famæ. Alio modo in filijs, qui sunt quasi aliquid parentum: & tamen multorum bo-

norum sunt mali filij, atque econtra. Tertio, quantum ad effectum studiorum seu operum suorum quemadmodum ex deceptione Arrij & hæresiarcharum pullulat error vsque ad terminum seculi, & vsque tunc proficit fides ex prædicatione & doctrina aliorum. Quarto quantum ad corpus, quod quandoque honorificè sepelitur, sæpe inhumatum relinquitur. Quinto quantum ad ea quæ homo dilexit, videlicet temporalia bona. Omnia autem hæc subduntur diuino iudicio. Vnde de omnibus perfectum atque manifestum iudicium nequit haberi, quandiu hic status durat. Oportet igitur esse vnum generale atq; finale iudiciũ, in quo omnia plenissimè iudicentur, quæ ad homines qualitercunq; pertinent. Verumtamen sicut Naum primo habetur, deus nõ iudicat bis in idipsum id est secundum idem, sed bene secundum diuersa.

3. ¶ Præterea iudiciaria Christi potestas ad angelos bonos ac malos se extendit, etiam ex parte naturæ assumptę. Primo propter vnionem cum verbo, propter quam Christus vt homo, summos angelorũ illuminat, secundum Dionysium. Secundo, propter meritum humiliationis, passionisque suæ, per quam meruit vt omne genu cœlestium, terrestrium, ac infernorum ei flectatur. Tertio, quia est caput hominum, ad quorum ministerium angeli emittuntur. Propter quod de ministerio angelorum habet iudicare siue discernere, & de accidentali præmio quod exinde consequũtur, & ita de accidentali pœna, quam dæmones nos persequendo merentur.

¶ An sacramentum sit in genere signi. 2. An omne signum rei sacræ sit sacramentum. 3. An sacramentum. 3. sit solum vnius rei signum. 4. An sit signum quod est res sensibilis. Articu. 76.

OMnia autẽ quę ad aliquid vnum ordinãtur, ab illo possunt denominari, quanuis differẽter quẽadmodum medicina, vrina, dieta, potio amara, dicuntur sana, quia ad sanitatẽ referuntur: sed diuersimodè. Medicina nanq; dicitur sana, quia est causa sanitatis. Dieta, quia conseruat sanitatẽ. Vrina, quia significat eã. Pariformiter sacramẽtũ dici potest, vel quia cõtinet sanctitatẽ occultatam, sicq; sacramẽtũ aliud nõ est nisi sacrũ secretũ, vel quia ordinem habet ad sanctitatẽ, vel causę seu signi, aut similis habitudinis. Nunc verò de sacramentis sit sermo, prout habitudinẽ signi important, & ergo sacramẽtũ in genere signi reponitur. Vbi

de decimo de ciuitate dei ait. Augustinus, quod sacrificiũ visibile inuisibilis sacrificij est sacramentũ, id est sacrũ signum.

2. ¶ Prætetea signa proponuntur hominibus, quorum est ex notis ad ignotorum notitiam peruenire. Et ideo omne signũ rei sacræ ad homines pertinentis dicitur sacramentum, prout nunc de sacramento tractatur, videlicet prout ad nostram sanctificationem refertur.

3. ¶ Tria autem considerantur in sanctificatione nostra, videlicet causa eius quę est passio Christi. Forma eius, videlicet gratia & virtutes. Finis quoque eius, qui est vita æterna. Et omnia ista per sacramenta signantur. Ideoq; sacramentũ est signum rememoratiuum præteriti, scilicet passionis Christi. Demonstratiuum præsentis, quod in verbis efficitur per virtutem passionis Christi, videlicet gratiæ. Et prænosticum futuri, scilicet gloriæ.

4. ¶ Denique quoniam cõnaturale est homini, vt per sensibilia ad spiritualia manducetur: sacramenta quæ sunt signa spiritualium rerum, debent esse quædam sensibiles res. Et ergo sacramentum est signum sensibile.

¶ An ad sacramenta requiratur determinata materia. 2. An significatio quoque per verba. 3. An verba determinata. 4. An verbis illis posiis aliquid addi vel subtrahi. Arti. 77.

SACRAMENTVM igitur in sanctificatione consistit. Sanctificatio autem à deo est. Non autem est in potestate hominis, id quod ad deum pertinet atq; ex eius potestate dependet. Et ideo homo nõ potest suo iudicio quascũq; res quibꝰ sanctificationẽ à deo acquirat, assumere: sed hoc ex diuina institutione oportet esse determinatum in noua lege. Sacramenta ergo determinatas sensibiles res exigunt.

¶ Verumtamen, vt ait Augustinus contra Faustum, diuersa sacramenta diuersis temporibus congruũt. Vnde in statu legis naturæ nulla existente lege exterius data, homines solo interiori instinctu mouebantur ad deum colendum. Et ergo ex instinctu interiori determinabatur eis, quibus rebꝰ sensibilibus vterentur in cultu diuino. Postmodum verò propter obseruationem legis naturalis, necesse fuit dari legem scriptam præsertim propter manifestiorem significationem ecclesiæ Christi. Ideirco oportuit res determinari, quibus homines vterentur in sacramentis.

2. ¶ Præte-

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. ¶Præterea rebus sensibilibus oportet verba adiungi in ipsis sacramentis. Sacramenta enim considerantur tripliciter. Primo ex parte causæ sanctificantis, quod est verbum incarnatum. Secundo ex parte hominis, qui sanctificatur. Tertio ex parte significationis sacramentalis. Quolibet autē modo conuenit verba adiungi rebus. Nam per additionem verbi cum rei sensibili conformatur sacramentum verbo dei vnito carni. Item virtus sacramenti non agit nisi per fidē, fides verò est ex auditu, ad quē pertinent verba. Rursus verba præcipuū locū obtinent inter signa. Fuit etiā opportunū, vt significatio rei sensibilis determinetur per verba. Nā res sensibilis plura potest signare, quēadmodū aqua propter humiditatē significat ablutionem, & refrigerium propter frigiditatē. Sed cum dicitur: Ego te baptizo, insinuatur quod aqua vtimur in baptismo ad designandum spiritualem emundationem. Per verba enim, quorum significatio certior est, perficitur significatio rei: sicque in sacramento ex verbo & re fit vnum quodāmodo, sicut ex forma atque materia. Nam in veteri lege verba addebantur sacramentis.

3. ¶Amplius verba in sacramentis se habent per modū formæ, res autem per modum materiæ. Forma verò est quæ distinguit & separat atq; determinat vnumquodque, est enim finis materiæ. Magis ergo exiguntur in sacramētis determinata verba, quàm res determinatæ. In qualibet autem lingua assumenda sunt talia verba in sacramentis, quibus homines linguę illius principalius communiúsque vtuntur. Aduertendum quoque, quod ille qui verba sacramentalia profert corruptè ex industria, non videtur intēdere agere quod agit. Ecclesia. Vnde nec ipsum sacramentum perfici videtur. Sed si hoc faciat ex errore aut lapsu linguæ, vt illiterati ac balbi: si fit tanta corruptio quæ penitus aufert sensum locutionis, nō videtur perfici sacramentum. Et hoc maximè accidit, quando principium dictionis corrumpitur. Si autem non omnino tollatur sensus locutionis per huiusmodi corruptionem, perficitur sacramentum: quod præcipuè contingit, quando circa finem corrumpitur dictio, tunc enim propter accommodationem vius remanet idem sensus.

4. ¶ Porro circa mutationem verborum sacramentalium duo pensanda sunt. Vnum ex parte proferentis. Aliud ex parte significationis verborum. Cùm enim ad sacramentū requiratur intentio, si quis per diminutionem vel additionē verborum intendat nouum ritum ab ecclesia non receptum inducere, non perfici videtur sacramentum. Non enim videtur intendere facere, quod facit ecclesia. Item cum verba operētur in sacramentis, quantum ad sensum quem faciunt, si per prædictam mutationem tollatur debitus sensus verborū, tollitur virtus sacramenti. Quod tunc contingit, quando minuitur aliquid ad substantiam formæ sacramentalis pertinēs: vt si quis dicat Ego te baptizo in nomine patris & filij. Si verò per diminutionem verborum, nō mutatur substantia formæ sacramenti, perficitur sacramentum, ac si conficiens dicat Hoc est corpus meum, veraciter consecrat: quāuis sic dicens peccat propter negligētiam vel contemptum. Demum si per appositionem sensus corrumpitur, non fit sacramentum, quēadmodum Ariani, qui dicebant: Ego te baptizo in nomine patris maioris, & filij minoris, &c. non baptizabant. Si verò additio debitum sensum non auferat, non tollitur virtus sacramenti: & non refert vtrum additio fiat in principio, medio, aut fine. Vnde si baptizans diceret: Ego te baptizo in nomine patris omnipotentis, & filij eius vnigeniti, & spiritussancti paracleti, nihilominus baptizaret. Sed si adderet: & beatæ Mariæ virginis non esset baptismus: si tamen intelligeret in nomine Mariæ baptizari, sicut in nomine trinitatis. Dicitur enim prima ad Corinthios primo: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Si verò adderetur: & beatæ Marię virginis, ad hūc sensum quod eius intercessio adsit baptizato, non tolleretur baptismus. Pariformiter si fit tanta interruptio in prolatione verborum, quod intercipiatur proferentis intentio, tollitur sensus sacramenti. & per consequens virtus ipsius. Nō autem si fit interruptio parua intentione nō intercumpēs. Et codē modo de transpositione verborū intelligendū est. Si nanq; transpositio sensum impediat, non perficitur sacramentū: vt cum negatio præponenda postponitur, vel econtra. Si autem non tollitur sensus, tunc nomina & verba transposita idem significant atque efficiunt.

¶*Virum sacramenta necessaria sint ad humanam salutem. 2. An fuerunt necessaria ante peccatum. 3. An ante aduentum Christi. 4. De tempore gratiæ. Articu. 7.*

Neces.

Universidad de Deusto
Biblioteca

NEcessaria denique sunt saluti humanę sacramenta. Primo, quoniam homo, qui ex corporali materia & anima constat, indiget per sensibilia signa ad spiritualia eleuari. Deus autē singulis prouidet secundū capacitatem atq; naturā ipsorum. Secundo, nam homo per peccatū corporalibus rebus se subdidit: & ergo spiritualia in sua puritate capere nō valeret animus eius corporalibus implicatus. Tertio, quoniā naturale est homini circa corporalia versari, durúmq; ei consisteret, si omnino ab eis abstrahere se deberet. Et ergo hanc occupationem salubrem sacramentum circa sensibilia dedit Deus hominibus. Nam & per hoc reuocantur à sacris idolorum, & seipsos humiliare coguntur dum vident se sensibilibus rebus ad salutem indigere, & in illis opem requirere: quatenus sic virtus passionis Christi sibi applicetur, gratiamq; adipiscantur diuinam.

2. ¶ Porro in statu innocentiæ homo non indiguisset sacramentis propter originalem iustitiam, per quā subdita fuit ratio Dei, sensualitas rationi, & caro spiritui: vnde perfectio animæ in scientia vel virtute non dependebat ex applicatione sensibiliū rerum, sed à Deo. Ex quo patet quod matrimonium ante peccatum institutum fuit non sicut sacramentum, sed sicut naturæ officium: quanuis ex consequenti aliquid circa Christum significaret futurum, quemadmodū omnia alia in eius figura præcesserunt.

3. ¶ Deniq; post peccatum nemo sanctificari potest nisi per Christum, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius ad ostensionem iustitiæ suæ: oportuit ergo ante Christi aduentum esse quædam sensibilia signa, quibus homines protestarentur fidem de futuro Saluatoris aduentu. Hæc autē signa sacramenta vocantur: & ergo mox post peccatum oportuit aliqua esse sacramenta.

4. ¶ At verò sicut antiqui saluabantur per fidem Christi venturi: sic nos soluamur per eiusdem Christi præteritum aduentum. Cum ergo sacramenta sint signa fidem Christi iustificātis protestantis, necesse est in noua lege alia esse sacramenta à sacramentis priscorum. Aliter enim significatur futurum aliterque præteritum. Vnde Augustinus. 19. contra Faustum dicit, quod prima sacramenta legis erant prænuntia Christi venturi. Et iterum (inquit) sacramenta veteris legis sunt alia ab aliis, & alia sunt instituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu facilliora, numero pauciora. Et Dionysius. 5. capit. Ecclesiasticæ Hierarchiæ asserit, nouam legem esse medium inter veterem legem & statum futurum. Sicut enim sacramenta veteris legis implentur & veritatem sortiuntur in noua lege: sic illa quæ nunc per speculum videmus & in ænigmate gerimus clarè ac nudè in patria conspiciemus. Propter quod ad Galatas quint. Apostolus veteris legis sacramenta appellat infirma atque egena elementa, quia nec gratiam continebāt, nec dabant. Et igitur vientes illis dicit Apostolus sub elemētis huius mūdi Deo seruisse: nō enim aliud etāt nisi elementa

¶ *An sacramenta nouæ legis sint causæ gratiæ. 2. An gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum & donorum. 3. An sacramenta continent gratiam.* Articu. 79.

PEr sacramenta præterea nouæ legis Christo incorporamur, iuxta illud Apostoli ad Galatas tertio: Quotquot in Christo baptizati estis, Christū induistis. Hæc autē incorporatio sine gratia fieri nequit. Et ergo sacramenta nouæ legis non solum sunt signa, sed etiam causa gratiæ, non autem principalis, sed instrumentalis. Solus namque Deus est causa efficiens principalis omnis gratiæ sacramenta verò tanquam instrumenta diuinæ virtutis causa gratiæ nominantur, inquantum ex diuina ordinatione ad gratiam inducendam applicantur. Quidam tamen affirmant, quod non sunt causa gratiæ aliquid operando, quod multis sanctorum authoritatibus dissonat. Nam communiter dicitur, quod efficiunt quod figurant. Et Augustinus ait: Aqua corpus tangit, & cor abluit.

2. ¶ Præterea gratia secundum se considerata immediate perficit essentiam animæ, & sicut ab anima fluunt eius potentiæ, ita à gratia fluunt virtutes ac dona, quibus perficiuntur potentiæ ad suos actus. Sacramenta verò ad speciales actus in vita Christiana necessarios ordinantur: quemadmodū baptismus ad spiritualem regenerationem, qua homo mortuus vitijs & Christi membrum efficitur: qui effectus est aliquod sacramētale speciale præter actus potentiarum animæ. Sicut ergo virtutes ac dona superaddūt gratiæ communiter dictæ quandam perfectionem determinate, ordinatam ad proprios actus potentiarum: sic gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, vt supra virtutes ac dona quoddā diuinū auxilium, ad cōsequendū sacramenti finem. Sicq; gratia sacra-

sacramentalis addit super gratiam virtutum atq; donorum.

3. ¶Insuper sacramenta nouæ legis continent gratiam to modo, quo gratia est in eis. Est autem in eis nō sicut in subiecto, sed sicut in signo & causa instrumētali: non sicut in causa vniuoca, scilicet secundum similitudinem speciei, neq; secundum aliquam formam propriam permanentem ad effectum talem proportionatam: sicut effectus sunt in causis non vniuocis, vt generabilia in sole.

¶Vtrum in sacramentis sit virtus gratiæ causatiua. 2. Quod hæc virtus derivatur à passione Christi. 3. An sacramenta veteris legis gratiā causabant. Articu. 80.

EST ergo in sacramentis nouæ legis virtus causalis gratiæ Christi proportionata instrumento: quod non procedit in actum nisi moueatur à principali agente. Hæc ergo vis gratiæ causatiua, cum sit spiritualis & instrumentalis, nō habet in sacramēto sensibili nisi esse fluxū & incompletum: in Deo autem habet esse completum actuum, in cuius virtute spiritualem effectum producit: quēadmodum vox sensibilis excitat intellectum & spiritualiter agit in eum, secundū quod ex conceptu proferentis mētali procedit. Vnde hæc virtus imperfecta non est secundū se in genere, sed reducitur ad genus virtutis perfectæ.

2. ¶Amplius instrumentum est duplex, videlicet separatū vt baculus: & coniunctum, vt manus. Instrumentū verò coniunctum mouet separatum: quemadmodū manus baculum. Causa igitur principalis gratiæ sacramentalis & prædictæ virtutis est ipsa diuinitas. Sed Christi humanitas est causa instrumentalis coniuncta. Sacramenta verò sunt causa instrumentalis separata. Et ergo à Deo per Christi humanitatem hæc virtus ad sacramenta derivatur. Sacramenta autem propriè ordinantur ad duo, videlicet ad tollendū defectum præteritorum peccatorum, actu transeuntium & reatu manentium. Secundo ad perficiendum animam in his quæ ad cultum Christianæ pertinēt religionis. Christus autem per passionem suam potissime liberauit nos, non solum efficienter & meritorie, sed & satisfactorie: initiauitque ritum hunc offerendo seipsum pro nobis. Et ergo virtus sacramentorum à passione Christi causatur, in cuius figuram de latere eius fluxerunt sanguis ad eucharistiam pertinens, & aqua ad baptismum respiciens, quæ sunt duo principalia sacramenta. Et quia per fidem Christus in nobis habitare asseritur, ideo virtus sacramentorum quæ ordinatur ad delenda peccata, præcipuè operatur ex fide passionis Christi.

3. ¶Adhuc autem sacramenta veteris legis propria virtute conferre non poterant gratiam, vt sacramenta nouæ legis. Alias nanque passio Christi necessaria non fuisset, secundum illud ad Gala. 2. Si ex lege iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Item sacramenta vim iustificandi recipiūt à passione Christi, secundum quod virtus passionis Christi applicatur hominibus per vsum exteriorum rerum in genere causæ efficientis. Sed sic applicari non potest quod nondum fuit vel est. Causam enim efficientem oportet præcedere suū effectum. Sacramēta verò veteris legis erāt quædam fidei protestationes, secundum quod significabāt passionem Christi, effectusq; eius. De circuncisione quoq; fuit diuersa opinio. Quidam enim dixerunt, quòd per eā non dabatur gratia, sed auferebatur duntaxat peccatum. Sed hoc non valet, quia remissio culpæ non fit nisi per gratiam, iuxta illud ad Romanos 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius. Alij ergo dixerūt, quod per circuncisionem conferebatur gratia, quantum ad effectus remotiuos peccati, sed non quo ad effectus positiuos. Hoc verò stare nō potest, quia per circuncisionem dabatur facultas perueniendi ad gloriā quæ est vltimus positiuus effectus. Alij verò dixerunt, quod per circuncisionem præstabatur gratia, quantum ad aliquem effectum positiuum: videlicet, vt dignum faceret vitæ æternæ: nō autem ad hoc, quod est reprimere concupiscentiam ad peccādum impellentem. Et hoc mihi (ait sanctus Thomas) aliquando visum est: sed diligentius cō sideranti apparet hoc verum non esse, quoniam minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, atque æterna vita condignum efficere. Melius ergo dicendum est, quod circuncisio erat signum fidei iustificantis, sicut ad Romano. 4. Apost. asserit: Abraham accepit signum circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei. Ideoque in circūcisione dabatur gratia, prout signum erat passionis Christi futuræ.

¶An sacramenta causent characterem. 2. Quid sit character. 3. Cuius sit. 4. De subiecto eius. 5. An indelebiter insit. 6. Vtrum omnia sacramenta characterem imprimant. Artic. 81.

AD duo, vt tactum est, sacramenta ordinantur: videlicet ad remedium contra peccatum, & ad perficiendum hominem

Universidad de Deusto
Biblioteca

minem in vita Christiana. Quicunque autem deputantur ad aliquid, solent aliquo insigniri charactere tanquam cõsignati ac deputati ad aliquid certum. Quemadmodum antiquitus qui asscribebantur militiæ, quodam corporali charactere consignabantur. Veruntamen sacramenta veteris legis quoniam gratiam nõ conferebant, spiritualem characterem non requirebant: sed sufficiebat illi corporalis circumcisio legis.

2. ¶ Præterea cultus Dei in Christiana religione, ad quem sacramẽta ordinant hominem, consistit in duobus: videlicet in recipiendo diuina, & in tradendo ea alijs. Ad quorum primum exigitur potestas actiua, ad secundum virtus passiua. Idcirco character importat spiritualem potentiam ad ea quæ diuini cultus sunt ordinatam. Sed hæc potentia instrumentalis est, & quid in completũ in genere, sicut de virtute quæ in sacramentis consistit, præhabitum est. Vnde non est secundum se in genere, sed reducitur ad genus qualitatis, & ad secundam speciem eius. Quandoque tamen character dicitur figura vel signaculum. Nã ad Hebræos primo, vbi filius vocatur figura substantiæ patris, in Græco habetur character. Character quoq; est signum distinctiuum fidelium ab infidelibus.

3. ¶ Denique fideles ad duo ordinantur. Primò atq; finaliter ad gloriæ fruitionem: & ad hoc insigniuntur signaculo gloriæ, iuxta illud Ezechielis nono. Signa thau super frontes virorum gementium & dolentium. Secundo ad recipiendum vel tradendum alijs ea, quæ ad cultum religionis pertinent Christianæ. Ad quod propriè deputatur character sacramentalis. Totus autem Christianæ religionis cultus à sacerdotio Christi deriuatur: ideoq; character sacramentalis specialiter Christi character vocatur, cuius sacerdotio configurantur fideles per sacramẽtales characteres: quæ aliud nihil sunt, quã participationes sacerdotij Christi ab eo deriuatæ. Character quoque si comparetur ad sacramentum exterius, est res quædam: si verò referatur ad vltimum effectum, scilicet gratiam, sic dicitur signum. Quidam verò hoc modo distinguunt characterem: Character est distinctio, à charactere æterno impressa animæ rationali, secundum imaginem configuratus trinitatem creatam trinitati creanti, & distinguens à non configuratis. Character autem æternus est filius Dei, qui est figura substantiæ patris.

4. ¶ Porro quia character immediate ordinatur ad actũ, vt dictum

dictum est: ideo eius subiectum non ponitur essentia animæ, sed potentia eius. Ordinatur verò character ad cultũ diuinũ, qui est quædã protestatio fidei per exteriora signa. Propterea illa vis animæ est subiectũ characteris, in qua fides consistit, videlicet ratio. Et sicut essentia animæ perficitur gratia, sic naturalia potentia charactere, quo ad actus diuini cultus.

5. ¶ Insuper cum character sit participano sacerdotij Christi, ideo Christo non competit. Sacerdotium autem Christi æternum est, sicut in Psal. habetur: ideo omnis sanctificatio quæ fit per sacerdotium Christi, semper durat, re consecrata in esse manente: quemadmodum in rebus inanimatis videmus. Nã templum ac vasa semel consecrata non denuo consecrantur, nisi primitus destruantur. Cùm igitur anima rationalis secundum partem intellectiuã, quæ immortalis est, sit subiectum characteris: palam est, quod character indelebiliter insit. Cũ enim character sit virtus instrumentalis, immobilitas eius attenditur ex immobilitate principalis agentis: quod est virtus diuina. Remanet quoq; character post vitam hanc in malis ad eorum tormentum, in bonis ad eorum lætitiam. Manet autem in bonis non quo ad actus, quos nunc exercet, sed per comparationem ad finem vltimatum.

6. ¶ Amplius sacramenta, vt dictum est, ordinantur ad duo: videlicet in remedium contra peccatum. Et hoc est commune omnibus sacramentis, eo quod gratiam conferãt. Et item ad cultum diuinum. Hoc verò omnibus directè non competit. Nam per pœnitentiam homo à peccato eripitur, atque per gratiæ refusionem ad pristinum statum reducitur: non autem exhibetur aliquid nouum homini ad diuinum pertinens cultum. Pertinet quoque sacramentum ad cultum diuinum tripliciter. Primo per modum actionis, vt eucharistia, in qua principaliter diuinus cultus consistit, secũdum quod est ecclesiæ sactificium, non tamen per eam character imprimitur, quoniam per hoc sacramentum non ordinatur homo ad aliquid vlterius agendum, vel recipiendum. Præsertim cum ipsam sit finis atque consummatio omnium sacramẽtorum, secundum Dionysium tertio Ecclesiasticæ Hierarchiæ capi. Secundo per modum agentis, vt sacramentum ordinis, per quod fiunt homines idonei ad hoc, quod alijs sacramenta tradant. Tertio per modum recipientis, vt baptismus, per quẽ datur potestas recipiendi alia sacramenta, propter quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

nua sacramentorum vocatur. Ad idem quoque ordinatur, quodammodo cõfirmatio. Ideo per tria duntaxat sacramenta, videlicet ordinem, baptismum, confirmationem character imprimitur, qui est res & sacramentum, vt dictum est.

¶An solus deus operetur intus in sacramentis. 5. An institutio sacramentorum sit solum à Deo. 3. De potestate Christi in sacramentis. 4. An potuit illam alijs communicare. 5. Vtrum malis conueniat potestas ministerij in sacramentis. Articulus 2.

DEinque interior sacramentorum effectus à solo deo est, sicut à principali agente. Tum quoniam gratia seu iustificatio, quę est interior sacramentorum effectus, à solo Deo præstatur. Tum quoniã solus Deus est, à solo Deo præstatur. Tum quoniã solus Deus essentiæ animæ, in qua gratia est, illabitur. Nil enim agit, vbi non est. Tum quia character, qui est aliquorum sacramentorum effectus, est instrumentalis virtus diuinæ potentiæ ab ea immediate dependens. Minister autem Christi est causa effectus sacramentalis, instrumentalis atque dispositiua.

2. ¶ Porro quoniam deus est prima principalisque causa in operatione sacramentorum: idcirco omnia sacramẽta à Deo institutionem sortita sunt, quantum ad ea quæ de necessitate sunt sacramentorum. Quæ verò ad solennitatem ac reuerentiam pertinent, ab hominibus instituta esse possunt. Et quanuis institutio ista non habeatur in scriptura Canonica, fideles tamen à familiari Apostolorum traditione eã adepti sunt. Vnde prima ad Corint. 11. ait Paulus: Cętera cum venero, disponam.

3. ¶ At verò Christus vt Deus, agit interius in sacramentis principaliter, & authoritatiuè. sed secũdum quod homo, agit meritorie & efficienter, prout passio eius meritoria fuit & est effectiua gratiæ iustificationisque nostræ: & tamen vt homo hæc agit instrumentaliter. Sed quoniã natura humana Christi est instrumentũ deo coniunctum, idcirco instrumentalis potestas sibi eminentius cõuenit. Primo quoniam ex passione sua sacramenta sunt ad operandũ efficacia. Secundo, quia in nomine Christi sacramenta sanctificantur. Tertio, quia ipsemet ea instituit. Quarto, quoniam interiorem sacramenti effectum sine exteriori signo tribuere potuit.

4. ¶ Præterea potestatem authoritatiuam, quę cõpetit Christo vt deus est, ipse non potuit alijs communicare: sicut nec diuinam essentiam. Aliam autem potestatem poterat cõmunicare

nicare secundum quatuor prædicta. Non autem hoc fecit, ne in alio quàm in ipso speremus, & ne essent diuersa ecclesiæ sacramenta.

5. ¶ Insuper cum minister non sit nisi causa instrumentalis in effectu sacramentorum, quæ non agit virtute sua sed principalis agentis: ideo siue minister sit bonus siue malignus, sacramentum conficere potest: quemadmodum Augustinus super Ioannẽ dicit: Quid tibi facit malus minister, vbi bonus est dominus? Nam & per instrumenta muta ac mortua artifex agere potest, vt faber per malleum, & similiter Christus per ministerium spiritualiter mortuum.

¶Vtrum mali peccant sacramenta dispensando. 2. An angeli possint ea ministrare. 3. An in sacramentis exigatur intentio. 4. An recta fides. 5. An recta intentio. Articulus 3.

DEbent autem ministri domino suo cõformari, eumque reuereri, & opera eius honorabiliter contrectare. Maligni igitur ministri, qui Christum nõ sequuntur neque honorant, dispensando sacramẽta peccant. Vnde primo capitulo Ecclesiasticæ Hierarchiæ Dionysius asserit, quod malis fas non est vel tangere symbola, id est sacramentalia signa.

2. ¶ Præterea virtus sacramentorum deriuatur à Christo ad homines, tanquam à capite ad membra eiusdem secum naturę existentia. Cùm ergo angeli in natura humana Christo nequaquam communicent, sequitur quod dispensare vel ministrare sacramenta ad ipsos non attinet. Veruntamen sicut deus non alligauit suam virtutem sacramentis, quin sine eis queat effectum sacramentorum conferre: ita non alligauit suam virtutem ministris. Vnde si angeli sancti, qui veritatis sunt nuncij, aliquod ministerium sacramentale exhibeant: quemadmodum quædam templa ab angelis cõsecrata dicuntur: tale ministerium firmum ac ratum habẽdum est. A malo autem ministro ecclesiæ recipi potest sacramentum, quãdiu ab ecclesia toleratur. Non enim ab ipso recipitur inquantum est talis persona, sed inquantum est minister ecclesiæ.

3. ¶ Porro ea quæ se habent indifferenter ad multa, oportet per aliquid limitari ad vnum, si illud effici debet. Quę autem in sacramentis fiunt, diuersimode agi possunt: quemadmodum ablutio quæ fit in baptismo referri potest ad corporalẽ mundiciam vel alias causas. Necesse est ergo, vt determinetur ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur ad vnum scilicet sacramentalē effectum per intētionem abluentis, quæ explicatur per verba sacramētalia, cū dicitur Ego te baptizo, &c. Minister nanq; est animatum instrumentū, quod aliquo modo mouet seipsum. Quanuis verò certa non sit baptizantis intentio, & an intentionē habeat, non tamen est dubium an homo sacramentū recipiat. Ministet namque ecclesiæ agit in persona totius ecclesiæ, & ergo intentio ecclesiæ, quæ per verba exprimitur, sufficit nisi contrariū exprimatur exterius ex parte ministri vel recipientis. Quidam verò affirmāt quod requiratur mentalis intētio in ministro, cuius defectum in pueris baptizatis supplet Christus baptizans interius. In adultis verò supplet propria fides atque deuotio. Sed quia character nunquā imprimitur, nisi per sacramentum, videtur quod prima responsio melior sit. Item non requiritur intentio actualis, sed sufficit habitualis: vt scilicet homo id operari intendat in sacramēto, quod facit Ecclesia, saltem in ipso accessu ad exhibitionem sacramenti.

4. ¶ Amplius sicut in ministro, quoniam instrumentaliter agit in sacramentis, nō exigitur charitas, vt sit bonus: ita nec agit in sacramentis, nō exigitur charitas, vt sit bonus: ita nec fides qua sit fidelis: dummodo alia requisita affuerint. Vnde minister de ipso sacramento perfidiā habet, nō tamen ignorat, quod ecclesia Christiana intēdit per id, quod foris agitur sacramentalē effectum inducere seu sacramentum impendere: talis quoq; intentio sufficit, quoniam minister nō agit nisi in persona ecclesiæ, per cuius fidem suppletur quod deest ministro. Item hæretici si formam ecclesiæ seruent, conferunt sacramentum, sed non tē sacramenti. Nā recipiens peccat ab eis sacramentum recipiendo. Et ergo gratiç obicem ponit. Si autem formam non seruent, nec sacramētum nec rem sacramenti impendunt. Cyprianus verò martyr putauit, quod licet formam seruarent, non tamen sacramentum conferrent. Sed in hoc eius sententia non tenetur: imo per passionis sanguinem in eo deletum est, quod deliquit, secundū Augustinum.

5. ¶ Insuper intentio in sacramentis dupliciter potest peruerti. Primo respectu sacramenti: vt si quis nō intendat sacramentum cōficere, sed deluſorie aliquid agere, & talis peruersitas aufert vim sacramēti, præsertim, si intentio illa exterius manifestetur. Secundo respectu alicuius consequentis sacramentum, vt si quis intendat corpus Christi conficere, quamuis eo ad veneficia abutatur. Talis autem peruersitas vera

tem sacramenti nō impedit, Posterius enim nō aufert prius. Prædicta demum peruersitas ministri peruertit opus intendentis, non autem opus alterius. Ideo ex peruersitate intendentis peruertitur opus quod agit inquantum est opus eius, non inquantum est opus Christi, cuius est minister.

¶ *De numero. 2. De ordine. 3. De comparatione sacramentorum adinuicem. 4. An omnia sint de necessitate salutis. Artic. 84.*

SAcramenta itaq; perficiunt hominem ad spiritualem vitam, in qua homo perficitur dupliciter, scilicet quo ad seipsum, & quantum ad alios. Sicut autē in vita corporali primo requiritur rei generatio, secundo eius adhibitam quantitatem deductio, tertio sui esse conseruatio: sic sacramentum quo homo spirituale esse acquirit seu spiritualiter generatur, vocatur baptismus: quod est lauacrum regenerationis. Confirmatio verò in qua baptizatis confertur spiritussanctus ad robur, perducit ipsum esse spirituale ad debitam quantitatem. Per eucharistiam autem conseruatur in esse. Perficit quoque homo quo ad seipsum per accidens, removendo prohibentia spiritualem vitam, videlicet culpas, contra quos est sacramentum pœnitentiæ. Vnctio autem extrema est contra peccatorum reliquias, est enim restitutio valetudinis pristinæ, reddens paratum ad gloriam finalem. Perficitur quoque homo quantum ad alios, quibus conuiuit, dupliciter. Primo per hoc quod recipit potestatem alios gubernandi atque publicos actus exercendi quod fit per sacramētum ordinis. Secundo per naturalem propagationem. Ad quod ordinatur matrimonium, tam in corporali quam in spirituali vita. Est enim non solum sacramentum, sed & naturæ officium. Rursus sacramenta sunt remedia contra peccata. Vnde baptismus ordinatur contra carentiam spiritualis vitæ. Confirmatio contra infirmitatem animi, quæ in nupertenatis inuenitur. Pœnitentia contra actuale peccatum, post baptismum peractum. Extrema vnctio contra reliquias peccatorum, quæ per pœnitentiam non sunt sufficienter ablatæ. Ordo contra dissolutionem multitudinis. Matrimonium contra concupiscentiam & defectum multitudinis ex morte prouenientem. Quidam autem accipiunt numerum sacramentorum per coaptationem ad virtutes atque defectus culparum ac pœnalitatum, dicentes: quod fidei correspondet baptismus, & ordinatur contra culpam originalem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Spei vnctio extrema, quæ est contra peccatum veniale. Charitati eucharistia, quæ ordinatur cõtra pœnalitatem maniæ. Prudentiæ ordo, qui ordinatur contra ignorantiam. Iustitiæ pœnitentia, quæ est contra peccatum mortale. Temperantiæ matrimonium, quod est contra cõcupiscentiam. Fortitudini confirmatio quæ est contra infirmitatem.

¶ Aqua verò benedicta & similes consecrationes non sunt sacramenta, sed dispositiones ad ea. Nõ enim conferunt gratiam, sed præparant aliquo modo ad eam. Sacramẽta autem legis naturæ, quæ secundum Hugonem sunt tria, videlicet oblationes, decimæ, sacrificia, non sunt amplius sacramenta, quoniam non sunt nunc figuralia, vt tunc.

2. ¶ Præterea sicut vnum præcedit multa: sic sacramẽta perficientia hominem circa seipsum priora sunt. Et ideo ordo & matrimonium vltimo ponuntur inter sacramenta. Ordo quoque præcedit matrimonium, quoniam spiritualior est. Rursus sacramenta, quæ per se ordinantur ad perfectionem, priora sunt illis quæ ordinantur ad eam per accidens: cuiusmodi sunt extrema vnctio, & pœnitentia: quæ vnctionem præcedit. Inter illa verò quæ per se ad perfectionem ordinãtur, præcedit baptismus, per quem spirituale esse acquiritur. Hinc sequitur confirmatio: quæ ad formalem perfectionem vitæ tis refertur. Tertio eucharistia, quæ ordinatur ad perfectionem finalem.

3. ¶ Porro sacramentum eucharistiæ omnium sacramentorum est dignissimum. Tum, quoniam Christum substantialiter continet. Tum quia alia omnia ordinãtur ad ipsum. Nam & matrimonium sua significatione ipsum attingit, designando vnionem Christi & ecclesiæ. Tum, quoniã omnia in ipso consummantur. Nam ordinati communicant, similiter baptizati, si sint adulti. Aliorum verò sacramentorum comparatio multipliciter potest attendi. In via enim necessitatis baptismus est potior, sed secundum viam perfectionis ordo exigit. Inter quæ confirmatio medio modo se habet. Pœnitentia autem extremaq; vnctio infimotis sunt gradus, non enim ordinantur ad perfectionem nisi per accidens, cum secundum se non sint nisi in remedium contra peccatum vel infirmitatem. Et sicut se habet cõfirmatio ad baptismum, qui magis necessarius est quàm confirmatio: ita se habet extrema vnctio ad pœnitentiam. Nam sacramentum pœnitentiæ magis est ne-

cessarium, quàm vnctio extrema.

4. ¶ Adhuc autem necessarium respectu finis, de quo nunc sermo, dupliciter dicitur. Primo simpliciter & absolute, vide licet sine quo finis haberi non valet, vt cibus vitæ humanæ. Secundo necessarium dicitur id, sine quo finis tam cõpetenter adipisci non potest, vt equus ad viam. Primò igitur modo tria sacramenta sunt ad salutem necessaria, duo cuilibet personæ, quorũ vnum, puta baptismus necessarius est absolutè: alius verò, scilicet pœnitentia, ex suppositione peccati mortalis. Sacramentum autem ordinis multitudini ecclesiæ est necessarium. Nã vbi nõ est gubernator, populus corruet, Proverbior. 11. Alia demum sacramenta non sunt necessaria, nisi secundo modo. Confirmatio enim est perfectiua baptismi: quemadmodum vnctio extrema pœnitentiæ. Matrimonium quoque materialem ecclesiæ multitudinem continet.

¶ *An baptismus sit ipsa ablutio vel aqua. 2. De institutione baptismi 3. De materia baptismi. 4. An requiratur ad eam aqua simplex. 5. De forma sacramenti huius. Artic. 85.*

TRia porro considerantur in sacramento baptismi. Quorum vnum est tantum sacramentum, videlicet ipsum signum sensibile foris existens. Aliud est tantum res, scilicet ipsa interior sanctificatio. Tertium est sacramẽtum & res, puta character, qui relatus ad signum sensibile est res: comparatus autem ad gratiam regenerantẽ est signum. Quidem ergo dixerunt, quod aqua sit sacramentum in baptismo. Vnde Hugo de sancto Victore baptismum diffiniens. Baptismus, inquit, est aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei. Hæc autem positio vera nõ est. Cùm enim sacramenta nouæ legis sanctificationem efficiãt, in illo consistit sacramentum, in quo sanctificatio ipsa perficitur. Hæc autem non in aqua, sed in applicatione aquæ ad hominem perficitur. Ideo sicut Magister 4. libro distinctione tertia asserit: Baptismus est ablutio corporis exterior sub forma verborum præscripta. Baptismus ergo est vsus aquæ, non aqua.

2. ¶ At verò sacramenta ex institutione diuina sortiuntur virtutem. Tunc ergo instituuntur, quando virtutem sanctificandi recipiunt. Christus autem in suo baptismo contulit tactu suæ purissimæ carnis vim regenerativam aquis. Ideirco in Christi baptismo sacramentum baptismi institutũ est. Sed

vtẽdi necessitas post resurrectionẽ incœpit, tũc enim omnia figuralia in Christo impleta cõsummataq; sunt. Item per baptismũ Christo morienti ac resurgenti configuramur per intinctionẽ corporis in aquam & elevationẽ ex aqua. Et ergo vsus baptismi post resurrectionem ac passionem incœpit.

3. ¶ Deniq; aqua conueniens est baptismi materiã. Baptismus enim est spiritualis regenetatio. Aqua autem est causa generationis terræ nascentium, & semina rerum sunt humida. Item per gratiam baptismi peccata lauantur, & calor cõcupiscentiæ refrenatur. Aqua verò sua humiditate lauat immunda, sua quoque frigiditate refrigerat calida. Per aquam quoq; corpus facilius quasi sepelitur atque resurgit, cũ in ea immergitur atq; lauatur ac per hoc Christi passioni ac resurrectioni assimilatur. Item aqua est vbiq; cõmunis & prõpe habetur. Idcirco huic sacramẽto quod maximè necessarium est, optime cõpetit. Aqua itaq; propter suas proprietates rationabiliter à deo instituta est baptismi materia. Quod autẽ Iohannes Baptista de Christo dixit. Ille vos baptizabit spiritusancto & igne, secundum Chrysostomum, per ignem intelligitur tribulatio præsens. Vel secundum Hieronymum, per ignem accipitur spiritussanctus, qui charitas dicitur, atque in igneis linguis apparuit super discipulos.

4. ¶ Præterea aqua suæ naturę puritatem ac speciem potest amittere. Vno modo per admixtionẽ alterius corporis. Alio modo per alterationẽ. Quorum vtrumq; fieri potest à natura & arte, quæ quandoq; vtitur naturali agente. Quomodocunque autẽ aqua mutetur, dummodo species seu forma substãtialis ipsius non soluatur, potest in ea dari baptismus. sicut in aqua per solem calefacta, vel turbida, aut simili modo disposita. Non ergo requiritur omnimoda puritas aquæ, sed veritas suæ naturæ. Vnde admixtio chrismatis nõ tollit speciẽ aquæ. In luto quoq; quia plus habet de terra quàm aqua, nõ potest fieri baptismus, qui tamẽ fieri potest in aqua ex luto expressa. In lixiuiis quoq; & balneis sulphureorum humorum potest dari baptismus, tales nanq; aquæ alijs corporibus non incorporantur, sed transeunt per ea, solamq; alterationẽ qualitatis recipiunt. In aqua autem rosacea, cum sit liquor rosæ resolutus & aquis alchimicis, sicut in vino fieri non potest baptismus: sed bene in aqua pluuiali.

5. ¶ Amplius baptismus per suã formam consecratur, secundum

dum illud Apostoli ad Ephe. quinto: Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Et ergo in forma baptismi causa eius explicanda est. Causa verò baptismi est duplex, scilicet principalis, qui est deus trinitas, & instrumentalis, puta minister. Cũ ergo hæc forma: Ego te baptizo in nomine patris & filij & spiritussancti, vtramq; formã contineat, patet quod ipsa cõuenies sit. Tamen hæc dictio Ego: non est de substãtia formę, sed propter declarationem adiungitur. Græci verò ad excludendum antiquorum errotem, qui virtutem baptismi asscribebant baptistis dicentes: Ego sum Pauli, ego autẽ Apollo, ego verò Cæphæ, alia forma vtuntur, dicendo: Baptizetur seruus Christi, in nomine patris, &c. ne videatur homini baptismus attribui. Et quia in hac forma exprimitur actus per ministrum exercitus cum inuocatione trinitatis, verũ præstatur baptisma. Oportet enim secundum Alexandrum papam, vt actus baptizãdi pronuntietur, quoniam in aqua multa fieri possunt præter baptismum, & ergo per explicationem huius actus determinatur quid in ea fiendum sit.

¶ Et quoniam verba sacramentalia non solum sunt significatiua, sed etiã effectiua dirigi possunt ad ea quę nõ intelligũt, siue sint homines, vt surdi ac pueri, siue inanimata. sicut cum dicitur: Exorcizo te aqua. Sciendum quoq;, quod licet in casu necessitatis possint plures simul baptizari ab vno, quia singulus recipit vnũ baptismum, dicendũ est: Ego baptizo vos. Nec tamẽ forma mutatur, cum vos non sit aliquid nisi te & te. Quanuis ergo istud fieri possit, nõ tamẽ fieri valet, vt plures simul vnum baptizẽt, videlicet mutus, & manibus carẽs quorum vnus nõ potest loqui, sed corpus mouere. Alter non potest mouere, sed loqui. Cuius ratio est, quoniã actus multiplicantur secundum diuersitatem agẽtium, si ab vnoquoque perfecte procedant. Et iterũ, quia illos oporteret dicere: nos. Nos autem non est tantum dicere, sicut ego & ego, sicut ego & tu. Si verò tres personæ alijs nominibus exprimerẽtur, quã continet forma præscripta, non fieret baptismus verus. Sicut enim ad baptizãdum assumitur aqua, quoniam vsus eius est communior, sic illa nomina diuinarum personarum oportet assumere, quibus communius consueuerunt nominari.

¶ *An possit dari baptismus in nomine Christi. 2. An ad baptismum requiratur immersio. 3. An trina immersio. 4. Vtrum reiterari possit.* *Articulus 86.*

Sacra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sacramẽta igitur ex Christi institutione sortiuntur virtutem. Si ergo aliquid à Christo circa sacramenta istiusmodi prætermittatur, non erit verum sacramentum, nisi ex speciali dispensatione Dei, qui virtutem suam sacramentis non alligauit. Quoniam ergo Christus mandauit baptismũ in nomine trinitatis, aliter dari non valet, nisi tres personæ sensibiliter atque distincte exprimãtur. Verum tamẽ quod Apostoli in nomine Christi baptizabant, ex fama Ioannis Spiritussancti mandato fecisse credẽdi sunt, quatenus nomen Christi odiosum Iudæis, fieret honorabile gentibus.

2. ¶Deniq; in baptismo aqua assumitur ad ablutionem corporalem, qua interior designatur ablutio. Ablutio autem exterior fieri potest non solũ per immersionem, sed etiam per effusionem atque aspersionem. Quamuis ergo propter communem consuetudinem quæ vim obtinet iuris sumatur sit per immersionem baptizare: nihilominus aliter fieri potest, videlicet aspergendo, vel effundendo. Quemadmodum Laurentius legitur baptizasse. Et hoc quandoque necessarium est, vt cum magna est multitudo baptizandorum, aut aquæ inopia, aut baptizandi seu sustentatoris eius debilitas. Per immersionem verò signatur expressius mysterũ sepulturæ Christi, cui baptismũ recipiens configuratur. Si autem aliter sit aspergendũ est caput, quia in ipso vigẽt opera animæ, ad cuius emundationem ordinatur baptismus. Et quamuis baptismus detur præcipue contra originale peccatum, non tamen specialiter perfundenda sunt membra generationi seruientia, sed caput, ob causam prædictam. Sed in veteri lege in membro generationis circumcisio conferebatur, quoniam nasciturus erat ex semine Abrahæ, qui originale peccatum auferret.

3. ¶Amplius modus immersionis non est de necessitate baptismi. Et ideo siue baptizandus ter immergatur, vel semel, æqualiter baptizatur, vt scribit Gregorius Leãdro episcopo. Nam per ternam immersionem signatur trinitas personarũ triduumque sepulturæ dominicæ. Per vnam autẽ immersionem vnitas diuinitatis, passionisq; Christi. Interdum tamen ordinauit ecclesia, vt fieret trina immersio propter eos, qui trinitatem negabant, & Christum purum hominẽ asserebant, vt patet in Canonibus Apostolorũ. Interdum verò instituit, vt fieret vna duntaxat immersio, ad detestationem eorũ qui rebaptizabant.

4. ¶At

4. ¶At verò baptismus iterari non potest. Tum, quia est spiritualis generatio, vnius autem rei nõ est nisi vna generatio. Tum, quia in morte Christi baptizamur per hoc, quod eius morti per baptismum assimilamur. Sicut ergo Christus resurgens non amplius moritur, sic semel baptizatus non denuo baptizatur. Tertio, quia baptismus characterẽ imprimit, qui indelebilis est, atque cum consecratione confertur. Dictum est autem, quod semel consecrata non iterum consecrantur. Quarto, quia baptismus est cõtra originale peccatum, quod non reiteratur Pauliani quoque & Catafrigæ Trinitatem negantes, Christumq; purum hominem affirmantes, verum baptismum non dabant: sicut nec Bonosiani, qui cum eis idem senserunt. Catafrigæ autem ponebãt spiritumsanctũ purum hominem, vtpote Montanũ magistrum suum. Et ergo ab eis sine debita forma baptizati rebaptizabantur. Si autem de aliquo dubiũ habeatur an sit baptizatus, rebaptizãdus est cum condinone, vt dicatur: Si non es baptizatus, ego te baptizo.

¶*De ritu.1. De diuisione.3. De comparatione baptismatum. Art.87.*

Aliqua demum in sacramento baptismi concurrũt, quasi de necessitate: vt forma verborum, & aqua, atque minister. Cætera sunt de solennitate, quæ sacramento adhibetur ad excitandum deuotionẽ ac reuerentiam populi, & propter cõmonem aduertentiæ protestatis, quę per orationes & benedictiones fienatur. Specialiter verò agitur in ecclesia solennis baptismus in vigilia paschæ, quia tunc fit memoria dominicæ sepulturæ ac resurrectionis, quibus in baptismo conformamur. Itẽ in vigilia Pentecostes, quoniam tunc incipit solennitas spiritussancti, qui in baptismo confertur. Vsus verò olei & chrysmatis ad solennitatem pertinent. Primo enim baptizatus vngitur oleo in pectore atque in scapulis, quasi Christi athleta secũdum Ambrosium, vel vt donum spiritussancti recipiat, & vitia exuat, secundum Innocentium. Postmodum signatur in cerebro chrysmate sacro, vt regni Christi particeps fiat, & à Christo Christianus dici possit.

2. ¶Præterea Deus non alligauit virtutem suam sacramentis, nec virtus causæ ab effectu dependet. Et ergo potest aliquis à Deo effectum baptismi recipere sine aqua, patiendo pro Christo: vel per hoc, quod cor à spiritusancto mouetur in deum per charitatem. Ideirco triplex ponitur baptismus,

vide-

videlicet aquæ, sanguinis & flaminis. Sed solus baptismus aquæ est sacramentum. Ponit quoque Damascenus quatuor, quædam baptismata figuralia, scilicet diluuiū, per quod pauæ animæ sunt saluatæ, & transitum maris rubri, ablutiones quoque legales.

¶ Iosuper omnia baptismata à Christi passione vim sumunt. Nam baptismus flaminis seu pœnitentiæ ex merito passionis Christi operatur. Maximè autem conformatur quis Christo per sanguinis effusionē pro ipso, atque per hoc Christo vehementi affectu probatur vniri. Idcirco baptismus sanguinis est potissimus inter baptismata, quantū ad effectū baptismi, sed nō in ratione sacramenti, nō enim est sacramētum, quia nō signat directè spiritualem purgationem seu ablutionem.

¶ Cuius sit dare baptismum. 2. An laicus eum conferre possit. 3. An mulier. 4. An non baptizatus. Articulus 88.

QVemadmodum autem cœlestiū ordinum proprietates atq; officia ex eorum insinuātur nominibus, secundum Dionysium septimo capitulo cœlestis Hierarchiæ: sic Ecclesiasticorum ordinum nomine inuuunt, quod ad vnumquemque ordinem spectet. Dicuntur autem Diaconi, quasi ministri, quia eorum officiū nō est aliquod sacramentum ex proprio præbere officio: sed exhibentibus sacerdotibus ministrare atque assistere. Non est ergo Diaconi quempiā baptizare, sicut Gelasius Papa in Decretis testatur. Possunt tamē in articulo necessitatis baptizare: quemadmodum Laurentius fecit. Item diaconi est purgare secundum Dionysium, non docere, id est, perficere. Baptismos verò habet vim purgatiuam & illuminatiuam, secūdum eundem secundo capitulo Ecclesiasticę Hierarchiæ. Propterea gradum diaconi excedit ipsum conferre.

¶ Porro per baptismum fit homo idoneus ad perceptionem corporis Christi, secundum Dionysium. Sicut igitur sacerdotis officium est corpus Christi cōficere: ita & baptizare. Presbyteri enim locum tenent septuaginta discipulorum, sicut episcopi duodecim Apostolorum.

2. ¶ Amplius Deus qui vult omnes homines saluos fieri, omnū saluti sufficienter, imò & copiosè prouidit. Baptismus autem est sacramentum maximæ necessitatis, quoniā pueris aliter subuenire non potest. Adulti quoque sine eo plenam adipisci nequeunt remissionem. Idcirco sicut Deus instituit aquam

aquam huius sacramēti esse materiam, quia facillime potest haberi. Ita & quilibet etiam laicus huius sacramenti esse potest minister ac dator. Non tamen à laïco recipi debet, nisi in casu necessitatis: quanuis veraciter conferatur à laico etiam extra necessitatem. Sed peccarer, si tunc daret. Quod enim à presbytero detur, ad solennitatē attinet, nō ad necessitatē.

3. ¶ Adhuc autem Christus est qui principaliter baptizat. In Christo autem non est masculus & fœmina, secundum Apostolum. Quemadmodum igitur laicus, ita & fœmina potest baptizare. Quod tamē non debet peragere, si adsit copia viri.

4. ¶ Vtrum autem illi qui nunquam Christiani seu baptizati fuerūt baptizare possint, Augustinus in solutum dubiumque reliquit. Post modū verò determinauit ecclesia, quod ab infidelibus, siue Iudæi sint siue Pagani, conferri queat baptismus, dummodo forma ecclesiæ obseruetur. Quemadmodū Nicolaus Papa ad Bulgarorum consulta respondendo asseruit. Sicut enim ex parte materiæ sufficit ad baptismum quæcunque aqua: ita ex parte ministri quilibet homo.

¶ An plures simul possint baptizare eundem. 2. An requiratur aliquis leuans baptizatum de sacro fonte. 3. An etiam ille leuator teneatur ad instructionem eius, quem leuat. Artic. 89.

PAulò antè responsio data est, cur plures non possint vnum baptizare, & nunc in tantum addatur, quod sicut Christus est vnus: sic ille qui cōfert baptismum, tanquam eius vicarius atque minister, non nisi vnus esse debet respectu eiusdem.

2. ¶ Deniq; spiritualis regeneratio quæ per baptismum fit in aliquo, carnali generationi est similis. Sicut igitur infans nuper natus eget pædagogo atque nutrice, sic spiritualiter regeneratus indiget aliquo, qui circa se vicē nutricis pædagogisq; gerat in spiritualibus, docēdo ac dirigendo. Hoc verò ad eū pertinet, qui baptizatum de sacro fonte leuat. Cuius est in fide nouitium informare. Et hoc Dionysius secundo Ecclesiasticæ Hierarchiæ capitulo asserit. Quem modum affirmat ab Apostolis institutum vltimo capit. Ecclesiasticæ Hierarchiæ.

3. ¶ Præterea iste leuans tenetur instruere filium spiritualē, si locus & causa requirant, videlicet si baptizatus inter infideles conuersetur, vel à parentibus negligatur, alias excusatur ab instructione. Potest enim verisimiliter æstimare, quod Parentes non negligunt proprios filios informare in fide ac moribus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

moribus. Quanuis autem non baptizatus possit baptizare, non tamen de sacro fonte leuare. Quia leuatio illa nō est necessaria, vt in Moguntino Concilio dicitur. Dionysius quoq; ait quod leuans debet esse doctus vt instituere valeat. Quod tunc necesse videtur, quando fideles inter perfidos cōcipiuntur. Alij à proprijs parentibus possunt instrui. Sic ergo patet quomodo Augustinus dicat: Vos omnes vitos ac fœminas, qui filios in baptismate suscipitis, ante omnia moneo, vt cognoscatis vos fide iussores extitisse apud Deum pro illis.

¶ Verum omnes teneantur baptismum recipere. 2. An debeat differri. 3. An aliquis sine baptismo possit saluari. 4. An peccatores sint baptizandi. 5. An eis baptizatis sit pœnitentia iniungenda. 6. An ad baptismum exigatur peccatorum confessio. Artic. 90.

NVnquam præterea fuit possibile quenquam saluari nisi fuisset Christo aliquo modo vnitus & incorporatus. Iuxta illud Acto. 4. Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Et ad Romanos quinto. Sicut per vnius delictū in omnes homines in condemnationem, sic per vnius iustitiam in omnes homines iustificatio. Nemo autem Christo potest incorporari nisi regeneretur in eo, quod per baptismum efficitur: ideoque nullus sine baptismo saluari valet. Vniuntur quippe homines Christo primo per fidem adiūcto quodam sensibili signo, quod sacramentum vocatur. Hoc verò sacramentum sub lege fuit circumcisio ante legem sacrificiorum oblatio, secundum Grego. quibus antiqui fidem suam professi sunt pro seipsis & filijs. Nunc autem baptismus ponitur fidei sacramentum. Illi autem qui sanctificantur in vtero, cōsequuntur gratiam sanctificantem, & ab originali purgantem, non autem characterem, quo Christo cōfigurentur. Idcirco si quis quispiam sanctificaretur in vtero, necesse esset eū baptizari, quatenus per susceptionem characteris alijs Christi membris conformaretur.

2. ¶ Præterea si alicui desit baptismus re & voto, saluari non valet. Si verò re desit, & nō voto, vt si quis baptizari desideret sed propter necessitatis casum non potest: talis saluatur ex fide per dilectionem operāte. Quemadmodum de Valentiniano qui catechumenus obijt, ait Ambro. Quem regeneraturus erā, amisi. Veruntamen ille gratiā quā popposcit non perdidit. Talis tamē nō euolat, sed saluatur, sic quasi p ignē.

3. ¶ Præ-

3. ¶ Præterea baptismus non est differendus quantū ad pueros, quia in eis non expectatur maior instructio, est q; periculum in mora, quoniam aliter eis subuenire non potest. Sed adulti conuersi, quia per solum baptismi affectū possunt saluari, non sunt prouus baptizandi, quatenus vita eorum & mores examinentur, ne forte ficte accedere velint. & vt interim de his quæ fidem concernunt, informētur. Item propter reuerentiam sacri baptismatis, qui propter solennitatem decētius datur in vigilia Paschæ & Pentecostes. Sed ista dilatio propter duo prætermittēda videtur. Primo, si baptizandus sit satis instructus & baptismo satis idoneus, sicut Philip. mox baptizauit Eunuchum, & Petrus Corneli. Secūdo, si ex infirmitate, mortis imminueret periculum.

4. ¶ De Iudais verò specialiter institutū est in Cōcilio Athēsi, vt per octo menses catechumeni maneāt propter cautelam: ne si non plene crediderint, simpliciū fidem corrumpant. Eorum namque perfidia frequenter ad vomitū redijt. Si tamē necessitatis articulus instaret, antè baptizari possent.

¶ Amplius quanuis peccatores pœnitentes sint baptizandi, peccatores tamen volūtatem peccādi atque in peccatis manendi habentes baptizari nō debent. Primo, quia vt sic Christo vniti non sunt nec ei incorporati queunt. Secundo, quoniam frustra baptizarentur, quia emūdationem peccati, quæ est finis baptismi, suscipere nequēt. Tertio, quia exterior aquæ ablutio interiorem ablutionē designat. Hæc verò significatio exterioris ablutionis falsa esset in illo, qui abstinere non curat à vitijs.

5. ¶ At verò quoniam homines in morte Christi & in virtute passionis eius baptizantur, nulla eis, quantumcunque mali fuerunt satisfactio est iniungēda. Passio namque Christi suo merito sufficientissima est cuncta peccata diluere. Imo qui pœnitentiam baptizato iniungeret, Christi passionis merito derogaret, quasi non per seipsum sufficeret.

6. ¶ Denique confessio peccatorum est duplex, videlicet interior, quæ fit coram Deo. Et hæc necessaria est ante baptismum. Non enim potest quis inchoare vitam nouam, nisi pœniteat eum veteris vitæ, secundum Augustinum libro de pœnitentia. Alia autem est confessio peccatorum exterior, quæ fit sacerdoti. Et ista ante baptismū nō est necessaria, cum ad sacramentum pœnitentiæ spectet. Baptismus verò omnium

 sacra-

sacramentorum est ianua atq; principium. Secundo, pulà cõfessio quæ fit sacerdoti, ad absolutionem ac per opera ad satisfactionem ordinatur: quæ baptizatis non iniungitur. Tertio, quoniam particularis confessio est confitenti proinde propter communem verecundiam. Baptizando autem talia iniungitur. Et ideo generalis confessio ei sufficiés est, quã tunc facit, dum secundum ritum ecclesiæ abrenunciat Sathanæ. Si verò quispiam talis ex deuotione confiteri specialiter vellet, esset quidem audiendus: nõ propter satisfactionẽ iniungendam, sed propter instructionẽ contra vitia abnegãda.

¶ Vtrum in baptismo requiratur intentio in recipiente. 2. An etiam fides. 3. An pueri sint baptizandi. 4. An pueri Iudæorum sint baptizandi inuitis parentibus. 5. An pueri in vtero materno sint baptizandi. 6. An furiosi & amentes baptizandi sint. Articulus. 91.

BAptismum ergo recipiens Christo configuratur, per hoc, quod veteri vitæ renuntians, de cætero in nouitate spiritus ambulare incẽdit. Quoniam igitur secũdum ostensa oportet, vt eũ veteris vitæ pœniteat, sequitur quod in baptizando exigatur intentio seu voluntas recipiendi baptismum: quæ si deesset, is baptizãdus foret. Si verò de hoc dubium haberetur, deberet addi conditio, scilicet: Ego te baptizo, &c. si non es baptizatus.

2. ¶ Præterea constat ex dictis, quemadmodum duo fiant in anima per baptismum, videlicet gratia (Et quantũ ad hoc exigitur fides in baptizato.) Atque character. Et hic imprimi potest sine fide tam baptizãtis quam baptizati, dummodo alia absint, quæ ad sacramenti spectant essentiam. Non enim sacramentum perficitur per iustitiam hominis dantis aut suscipientis, sed Dei.

3. ¶ At verò secundum Apostolum ad Romanos .6. Sicut per vnius delictum omnes mortiuntur sic per Christum omnes iustificantur. Quemadmodum itaque infantes originale peccatum à primis parentibus cõtrahunt: ita in Christo regenerati, id est, baptizari possunt. Item vt ab infantia in his quæ fidei sunt enutriti, firmiores fiant in fide. Quemadmodum scriptum est: Adolescens iuxta viam suam etiã cum senuerit, non recedet ab ea. Et hanc rationẽ assignat Dion. vi. Eccles. Hierarchiæ capitulo. Vbi etiam ait, quod diuini nostri duces, id est sancti apostoli, probarunt infantes recipi ad baptismum.

ptismum. Sufficit autem pro eis intẽtio ecclesiæ, & fides fidelium: quanuis parentes eorum infideles cõsistãt. Sicut enim per alterius peccatum damnationem adepti sunt, ita per alterius subsidium sortiuntur salutem.

4. ¶ Denique pueri Iudæorum ante vsum rationis baptizãdi non sunt inuitis parentibus. Puer enim ante vsum rationis naturaliter subest curæ parentum, propter quod pueri antiquorum saluabantur fide parentum. Vnde qui pueros huiusmodi contra voluntatem parentum suorum baptizaret, contra naturale ius ageret.

5. ¶ Insuper de necessitate baptismi est ablutio aquæ exteriori, qua corpus lauatur. Hoc verò pueris in vtero matrum clausis nequit cõpetere, quia nec subdi possunt actioni humanæ, ideirco baptizari nõ possunt, propter quod in epistola ad Dardanum Augustinus testatur, Nemo renascitur nisi primo nascatur. Si verò aliqua pars pueri egrediatur, sicq; periculum mortis: tunc illa pars baptizandi est. Et maximè, si caput primo egrediatur, in quo sensus fundantur. Si autẽ sic caput baptizetur, non est puer postea baptizãdus, si manserit viuens. Sed si alia pars fuerit solùm baptizata, apparet quibusdam quod denuo baptizandus sit, sub hac conditione: Si non es baptizatus, ego te baptizo.

6. ¶ Porro de amentibus ac furiosis à nativitate, qui rationis vsum nunquam habent, est idem iudiciũ sicut de pueris. Et ideo baptizandi sunt, quanuis inuiti. Aliqui autem amentiam & furiam incidunt ex sana mẽte, & tales videntur iudicandi secundum id, quod in eis tempore sanæ mentis apparuit. Vnde si tunc in eis apparuit appetitus baptismi, sunt baptizandi, quanuis insani. Alias enim non essent baptizandi. Quidam verò à nativitate sunt furiosi, siue amẽtes, qui tamẽ sæpe habẽt lucida intervalla. Si igitur tempore intervalli voluerint baptizari, baptizandi sunt, quanuis me insaniam animi incidant. Melius tamen est expectare aliquod lucidum intervallum, si absq; periculo fieri possit. Verum si tempore lucidi intervalli non apparet in eis affectus baptismi, non sunt baptizandi. Dormiẽtes quoque baptizandi non sunt, nisi periculum mortis immineat, in quo baptizandi sunt, si prius voluntatem baptismi habuerãt sicut de amentibus dictum est. Et vt Augustinus quarto Cõfession. de amico suo narrat, qui cum desperaretur baptizatus est nesciens, propter periculũ

mortis, habuitque in eo efficaciam suam baptismus.

¶ *An per baptismū deleantur omnia peccata. 2. An omnes quoque pœnæ. 3. An pœnalitates præsentis vitæ. 4. An etiam in eo conferantur virtutes & gratiæ. 5. De effectibus virtutum, qui operibantur baptismo. Articulus. 91.*

QVanuis verò baptismus specialiter ordinetur contra originale peccatum, aufertur tamen per eū omne peccatū tam actuale mortale, quàm venuale & originale. Per baptismum enim regeneramur in Christo, morientes peccatis & seculo. Est enim baptismus quædam vniuersalis medicina, operans in virtute passionis Christi: sine qua nullum peccatum remittitur. Qua secundū Apostolū, ad Hebræ. Sine sanguinis effusione non fit remissio. Passio verò Christi per fidem coniungimur atque communicamus.

2. ¶ Denique per baptismum non solùm tollitur omnis culpa, sed omnis etiam pœna. Per ipsum namque Christo incorporamur, sic q̄ passio Christi nobis coniungitur & communicatur, ac si simul cum Christo passi mortuique essemus. Verū tamen reatus pœnæ, quæ debetur peccato: quantū ad homines qui per peccatum scandalizati, vel læsi sunt, non auferetur per baptismum. Sed iustum est homines per satisfactionē & pœnam nocentis placari ac ædificari: sicut in homicida baptizato. Princeps tamen potest pie in talibus remittere pœnā.

3. ¶ Præterea quanuis baptismus virtutē mortis Christi sufficiens sit præsentis vitæ pœnalitates aufertre, non tamen aufert eas in hac vita: sed in resurrectione futura, quando mortale hoc induet immortalitatem. Nam per baptismū Christi membra efficimur. Christus autem corpus passibile habuit. Conuenit ergo, vt membra eius passibilia corpora habeant. Secundo propter exercitium spirituale. Videlicet vt contra concupiscentiam & pœnalitates pugnando, gloriæ coronam atque triumphi adipiscamur. Tertio, ne homines ad baptismum allicerentur potius propter præsentis vitæ impassibilitatem, quàm futuræ fœlicitatis amorem.

4. ¶ Insuper certum est q̄ prædicta hominum incorporatio in Christo sine gratia atque virtutibus fieri nequeat, ideo per baptismum virtus & gratia infunduntur. Nā & gratiæ ac virtutis splendorem aqua sua naturali claritate designat. Sacramenta autem nouæ legis efficiunt, quod figurant.

5. ¶ At verò secundum Dionysium, baptismi effectus est illuminatio,

minatio, secūdum August. Christi incorporatio, secūdum alios fœcundatio. Hi ergo effectus baptismo cōueniunt. Nā homo per baptismum Christi formiter cōuiuificatur, & Christi vitam sectatur. Membra autem non viuunt, nisi capiti copulentur. Primo igitur per baptismum necesse est Christo incorporari, sicque ab eo velut à capite sensum ac motum, id est illuminationem & spiritualem fœcunditatem sortiri.

¶ *An in baptismo gratia & virtutes paruulis conferantur. 2. An ianua regni aperiatur. 3. An baptismus æqualem in omnibus habeat effectum. 4. An per fictionem impediatur. 5. An ea remota, proprium effectum sortiatur. Articulus. 93.*

OPinati sunt quoq; quidā antiqui, q̄ pueris in baptismo non infundantur virtutes & gratia. Sed character, cuius virtute reciperent virtutes ac gratiā, cū ad ætatem perfectam aduenerint. Hoc autē stare non potest. Pueri enim in baptismo membra Christi fiunt: & si morientur saluantur, quorum nullum sine gratia atque virtutibus fieri valet, cū ad Romanos sexto dicat Apostol⁹: Gratia dei vita æterna. Recipiūt ergo habitus virtutum & gratię, quanuis actū ante pleniorem ætatem exercere non possint.

2. ¶ Denique apertio ianuæ regni cœlestis est remotio obstaculi regni. Quoniam ergo baptismus omnem culpam pœnāmque remouet, constat, quod ianuam regni reserat baptizatis. Quanuis enim pœnalitates & vulnera naturæ pmaneant, non tamen morientibus imputāmur, quia per Christi passionem ablata sunt quantum ad pœnæ reatum, pro natura enim humana Christus satisfecit.

3. ¶ Amplius duplex ponitur effectus baptismi. Vnus, ad quē propriè ordinatur, qui est regeneratio in spiritualem vitam. Et hic vocatur effect⁹ baptismi per se. Alius verò effectus baptismi per accidens dicitur, quem in quibusdam baptizatis diuina virt⁹ quasi miraculose producit, vt scilicet lex peccati quę est in membris penitus extinguatur, ne vltrà seruat quis peccato. Baptismus ergo primum effectum omnibus pueris æqualiter donat, quoniam pueri ad hunc effectum se æqualiter habent, eo quod non in fide propria sed in fide ecclesiæ baptismum recipiant. Adulti verò istum effectum magis vel minus recipiunt, secundū quod magis vel minus se propria deuotione & voto disponunt. Alius autem baptismi effectus non omnibus, etiam æqualiter dispositis, æqualiter datur, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

secundum diuinæ prouidentiæ ordinem dispensatur.

4. ¶ Præterea secundum Augustinum, quatuor modis dicitur aliquis fictus. Primo, quia non credit. Secundo, quia sacramentum contemnit. Tertio, quoniam ritu alio quàm ecclesia ipsum celebrat. Quarto, quoniam indeuote accedit. Quoniam ergo deus hominem ad iustitiam non cogit, oportet vt homo propria voluntate baptismum & eius affectum amplectatur atque recipiat, si iustificationem recipere debet. Et ideo fictio impedit baptismum, quantum ad gratiam, nō quo ad characteris impressionem. Fictus autem dicitur proprie, qui demonstrat aliquid velle, quod non vult.

5. ¶ Denique sicut in generatione naturali res simul recipit formam & proprium eius effectum seu actum, nisi sit aliquid prohibens, quo remoto forma generati perficit suum actum: vt cum graue generatur, mox deorsum mouetur, nisi impediatur. Conformiter baptismus imprimendo characterem quasi formam simul tribuit gratiam, quæ concomitatur characterem: nisi sit aliquid impediens, vtpote fictio, quo impediente sublato gratia dabitur. Itaque fictione cessante, baptismus effectum suum consequitur, scilicet gratiam atque omnis præteriti mali & pœnę remissionem. Fictio autem per pœnitentiam deletur ac cessat.

¶ Verum circumcisio fuit præparatiua & figuratiua baptismi. 2. De institutione. 3. De ritu. 4. De effectu circumcisionis.

Articulus. 94.

BAptismus itaque fidei sacramentum vocatur, qui per eum baptizatus fidem profitetur atque fidelium collegio cōnumeratur. Eadem autem est fides nostra & veterum. Iuxta illud Apostoli secunda ad Corinthios quarto. Habentes eundem spiritum fidei credimus. Quoniā ergo antiquitus per circumcisionem homines fidem suam testabantur, & inter credentes computabantur, certum est, quod circumcisio erat præparatoria ad baptismum & figuratiua eiusdem. Omnia enim in figura contingebant illis, secundum Apostolum.

2. ¶ Porro quoniam Abrahæ primo facta est de Christo promissio. Genesim vicesi. secundo. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et ipse quoque se primo ab infidelibus segregauit obediens deo sibi dicenti. Egredere de terra tua, &c. Idcirco ipsi Abrahæ conuenienter data est circumcisio;

cisio quæ erat fidei sacramentum. Nec erat necessarium eam dari statim post primi parentis peccatum. Adam enim quoniam plene instructus fuerat de diuinis, sufficienter alios docuit. Naturalis quoque ratio & fides diu vigebant. Sed circa tempora Abrahæ naturalis ratio & fides vigebāt pœne extinctæ declinantibus ad idololatriam plurimis.

3. ¶ Præterea conueniebat fiebat in membro generationis. Primo, quoniam fuit signum fidei, qua Abraham credidit Christum ex semine suo nasciturum. Secundo, quia ordinabatur contra originale peccatum: quod per hoc membrū diffunditur. Tertio, quia dabatur contra carnalem concupiscentiam, vt minueretur. Sciendū quoq;, quod cultellus lapideus de necessitate circumcisionis non fuit. Non enim præceptū erat, vt tali instrumēto vterentur, nec cōmuniter Iudei eo vtebantur, sicut nec modo vtuntur. Iosue tamen præcepit deus, vt cum cultellis lapideis circumscinderet Israelem. Et Sephora Mosi coniux cum petra acutissima filiam suam circumcidit: ad figurandum, quod spiritualis circumcisio perageretur. De quo ait Apostolus: Petra autem erat Christus. Rursus circumcisio octauo die fiebat ratione mysterij, quia videlicet in octaua ætate, id est, in resurrectione beatorū, omnes pœnalitates ex peccato secutæ, per Christum plenissime ab electis tollentur. Secundo propter teneritudinem puerorum ante diem octauum. Nam & animalia offerri non poterant ante hunc diem. Quanuis autem octaua dies fuit de necessitate præcepti, non tamen sacramenti. Nam qui octaua die circumcisus non erat, postmodum circumcidi valebat. Quidā etiam asserunt, quod propter imminentis mortis periculum anticipari poterat dies octauus. Sed cum hoc non habeatur nec authoritate scripturæ, nec ex Iudæorum consuetudine, melius dicitur cū Hugone de sancto Victore, quod propter nullam necessitatem hæc dies potuit præueniri.

4. ¶ Quæstio autem an circumcisio contulit gratiam, prætacta est atque soluta. Dictum est enim, quod contulit gratiam, non ex propria ratione, sed inquantum fuit signum fidei passionis Christi. Ex quo patet, q̄ gratiam præstitit propter fidem, non propter significationem. Legitur verò Iosue quinto quod populus Iudæorum, qui per quadraginta annos in desertis morabatur & in eis natus fuit, circumcisionem nō accepit. A quo tamen excusantur, quoniam ignorabant quo

Universidad de Deusto
Biblioteca

tempore castra essent mouenda. & quia inter infideles non manebant, vnde nec signo distinctiuo egebant. Probabile etiam est nullum illorū, qui in deserris natus est, obijsse intra hoc tempus, & antequam circumcideretur à Iosue. Quia in Psalmo habetur: Non erat in tribubus eorum infirmus. Verumtamen si ibi mortui sunt aliqui incircumcisi, eadem ratio est de his & illis qui moriebantur ante circumcisionis institutionem. Quod & de pueris ante octauā diem tempore legis decedentibus intelligendum est. Adulti autem in circumcisione omnium peccatorum etiā actualium remissionem peceperunt. Non tamen liberabantur à pœnæ reatu, quemadmodum in baptismo, in quo copiosior gratia datur.

¶ *An catechismus & exorcismus baptismum præcedere debeant. 2. An ea quæ in ipsis fiunt aliquid efficiant. 3. Quorum sit baptizandum catechizare & exorcizare*

Articulus 95.

CVm ergo sit baptismus fidei sacramentum, catechismus, id est, instructio rudimentorum fidei, ipsum precedere debet. Fides enim ex auditu est. Vnde & Christus discipulis formam baptismi ostendens, de docendi actu ita præmisit. Euntes docete omnes gentes baptizantes eas, &c. & sicut pueri baptizantur in fide ecclesiæ, ita & fidem audiunt atque docentur in persona ecclesiæ, quę eas aures ac sensum accommodat.

2. ¶ Amplius qui intendit aliquod opus efficaciter sapienterque agere, primo impedimēta agē ti tollit à se. Cōuenienter igitur ante baptismum expellūtur à baptizandis diaboli, qui in eis potestatem propter peccata, habebant. Hoc autem fit per exorcismum, qui contra energumenos ordinatur. Sunt enim saltem interius arreptitij, qui diabolicæ potestati subduntur. Hanc verò expulsionē diaboli signat exuflatio exorcistæ. Benedictio quoque fit, ne aduersarius redeat. Sal verò missum in nares & os, auriumque cum sputo linitio significat acceptionem doctrinæ fidei, quantum ad aures: approbationem, quantum ad nares: confessionem, quantum ad os. Oculi verò inunctio signat aptitudinem hominis ad pugnandum aduersus Zabulum. Dicuntur autem energumeni, quasi interius laborantes.

3. ¶ Porro aliqui asserunt ea quæ in exorcismo aguntur, nihil efficere, sed solū significare. Hoc autē stare nō potest, quia ecclesia

ecclesia in exorcismo vtitur verbis imperatiuis, dicēdo: Ergo exi ab eo maledicte diabole. Habent ergo aliquem effectū. Aliter ifi quā baptism⁹. Est enim duplex impedimentū gratiæ percipiendæ, videlicet extrinsecū ex potestate diaboli: & intrinsecum propter pręclusionem sensuū ex infectione originalis peccati. Quorū primū auferitur in exorcismis per exuflationes. Secundū per saliuā typicam, sacerdotis q̄ tactum. Exorcismus ergo nō aufert peccata, & ideo pueri post exorcismū ante baptismū defuncti nō saluātur, Sed tollit impedimenta gratiæ percipiendæ. Veruntamen exorcismus non nec cessario, requiritur ad baptismum, quauis omitti non debet sine necessitatis articulo: quo sublato supplendum est vt vniformitas in baptismo seruetur, & ne gratia amittatur. Potest enim effectus baptismi impediri etiam postquam receptus est. In baptizato quoque quædam fiunt per baptismum, quæ solum significant: sicut traditio candidæ vestis, quæ vitæ nouitatem spiritualem figurat. Quædam verò tunc fiunt quę aliquid efficiunt, vtpote inunctio verucis, quæ designat collationem gratiæ spiritualis.

4. ¶ Præterea ministri comparantur ad sacerdotes, vt agens secundarium & instrumentale ad primum principaleque agens, sine quo operari non potest. Ad actiones autem nobiliores exiguntur instrumenta perfectiora. Idcirco diaconorum, qui sunt maiores ministri, est sacerdotibus in ipsa sacramentorū collatione assistere & cooperari. Aliorum verò in his quæ sunt præparatoria ad sacramentū, sicut lectores in catechismo, exorcistæ in exorcismo. Sacerdotibus tamen omnia ista conueniunt, sicut principali agenti. Vnde Nicolaus papa ait, quod catechismi à sacerdotibus vniuscuiusque ecclesiæ fieri possunt. Et secundum Gregorium, sacerdotes per exorcismi gratiam manum imponunt credentibus. Dicit quoque Dionysius, quod institutio conuersiua ad fidem atque de profundis mysterijs fidei, Christianæque vitæ perfectione ad episcopos pertinet.

¶ *Vtrum confirmatio sit sacramentum. 2. De materia eius. 3. An oporteat chrisma per episcopum consecrari. 4. De forma ipsius.* Arti. 96.

POrrò sacramenta nouæ legis ad speciales effectus gratiæ ordinantur: idcirco oportet esse speciale sacramentum, vbi occurrit specialis operatio gratiæ. Quemadmodum autem in corporali vita primo aliquis

Universidad de Deusto
Biblioteca

quis nascitur recipiendo formam specificam, deinde eget augmento quo roboretur, perfectamque ætatem adipiscatur: sic in spirituali vita post baptismum, qui est spiritualis regenerationis principium & gratiam præstans, sequitur confirmatio per quam homo in gratia confortatur, & perfectam spiritualem ætatem seu spirituale augmentum sortitur: quemadmodum Mechaides Papa affirmat. Et ideo confirmatio ponitur speciale sacramentum. Hoc autem sacramentum Christus instituit, non exhibendo sed promittendo, dum dixit: Nisi ego abiero, paracletus non veniet ad vos. Quoniam enim in hoc sacramento confertur plenitudo gratiæ spiritussancti, ideo non fuit instituendum nisi post Christi ascensionem. Propter eandem etiam rationem nullum legale sacramentum confirmationi correspondet, quia nihil ad perfectū adduxit lex, secundum Apostolū ad Hebræos. 7.

2. ¶ Materia denique huius sacramenti est chrisma, quod ex oleo constat & balsamo. Oleum enim spiritussancti significat gratiam, sicut de Christo cantatur: Vnxit te deus oleo lætitiæ. Balsamum verò bonum odorem & incorruptionem perfectæ vitæ designat. Solebant namque apostoli hac vel materia in sacramento hoc, nisi quando diuinitus sensibilia signa ostendebantur: vt cum spiritussanctus cecidit super Cornelium & sibi adiunctos, vel super alios cum signo sensibili. Vnde Dionysius quarto capitulo Ecclesiasticæ Hierarchiæ testatur: Est quædam perfectiua operatio, quā duces nostri (id est, apostoli) chrismatis hostiam nominant.

3. ¶ At verò quibusdam sacramentis, videlicet baptismo & eucharistia, vsus est Christus. Et ergo horum sacramentorum materia alia consecratione nō eget, nisi propter solennitatē. Sed sensibili vnctione Christus vsus non est, ne suę inuisibili vnctione iniuria fieret. Ideo chrisma & oleum sanctū, oleum quoq; infirmorum prius benedicuntur, antequā sacramenti vsui adhibeantur: sic ergo oportet chrisma per episcopū consecrari vt sit apta ac propria sacramenti materia.

4. ¶ Amplius sicut forma naturalis dat speciem rei: sic forma sacramenti ea includit quæ ad rationem ac speciē sacramenti respiciunt. Forma igitur confirmationis, qua dicitur: Configno te signo crucis. Cōfirmo te chrismate salutis in nomine patris & filij & spiritussancti, conueniens est. In hoc enim sacramento sunt tria necessaria. Causa conferens spirituale

tuale robur, quæ est sancta trinitas. Et hæc explicatur, cū dicitur In nomine patris, &c. Secundū est ipsum robur ad spiritualem pugnam, quod in confirmatione præstatur. Et hoc exprimitur, cum dicitur: Confirmo te chrismate salutis. Tertium est signū, quod pugnatori datur quemadmodū militex quodam signo solēt ornari. Et hoc tangitur, cū dicitur: Configno te signo crucis. Hæc antē forma à Christo iustituta est, quamuis in scripturis digesta non sit. Dicit enim Dionysius vltimo Ecclesiasticæ Hierarchiæ capitulo. Consummatiuas inuocationis (id est, verba quibus perficiuntur sacramenta) non decuisse in commune deducere.

¶ An confirmatio imprimat charalterem. 2. An character confirmationis characterē baptismalē præsupponat. 3. An cōfirmatio cōferat gratiā. 4. Cui cōpetat eam recipere. Arti. 97.

EST autem iuxta præinducta character quædam spiritualis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata. Quemadmodū verò in baptismo datur potestas agēdi ea, quæ propriam concernunt salutem: sic in confirmatione datur potestas agendi ea, quæ pertinent ad pugnā contra fidei hostes. Vnde apostoli hac potestate ex missione spiritussancti accepta, mox sine timore ad pugnam egressi sunt, qui antè clausi sedebant. In sacramento ergo confirmationis character imprimitur, sicut in quolibet sacramento, quod non iteratur.

2. ¶ Insuper, vt tactum est, sicut se habet augmentatio ad generationem: ita se habet confirmatio ad baptismū. Sicut igitur augeri non potest, nisi qui genitus est: sic confirmari non valet, nec confirmationis characterem recipere potest, qui baptizatus nō est. Character ergo cōfirmationis characterē baptismalem præexigit. Diuina tamē virtus præstare potest alicui effectum sacramentorum sine sacramentis, quantum ad actualem susceptionē, & sine prædicti ordinis obseruatione.

3. ¶ Præterea sicut in die Pentecostes dabatur apostolis spiritussanctus ad robur, & baptizatis in primitiua ecclesia per impositionem manuum apostolorū, vt dicitur Actuum octauo: sic in confirmatione confertur spiritussanctus ad robur. Vnde innotescit, quod sacramentum confirmationis gratiam gratum facientem impendit. Sed dandum non est nisi gratiā habentibus, cōfirmatio namq; dat id roborat quod inuenit, Et ideo in Aurelianensi concilio dicitur, vt ieiuni ad confirmationem

tionem veniant, & moneantur confessionem facere.

4. ¶ Porro deus, quantū in se est, nil in opere suo imperfectum reliquit. Dei enim perfecta sunt opera. Quoniam ergo confirmatio ad spiritualem quātitatē ac robur gratię refertur, patet quod omnibus dandū sit etiā pueris. Qui si confirmati decedant, maiorē gloriā cōsequētur, sicut amplioré gratiam habuerant. Propter quod etiam morientibus dandum est, quatenus & in resurrectione perfecti appareant. Vnde Hugo de sancto Victore dicit: Omnino periculosum esse ab hac vita sine sacramento confirmationis decedere, non propter necessitatem salutis, sed detrimentum perfectionis.

¶ Cur sacramentū confirmationis detur in fronte. 2. An oporteat vñū aliquē, qui teneat cōfirmandū. 3. An confirmatio per vnius episcopi danda sit. 4. De ritu huius sacramenti. Artic. 98.

FRons autem pudoris seu verecundiæ atq; timoris est locus, propter propinquitatem eius ad imaginationē. Est quoq; frons locus maximè manifestus, semper manens intellectus. Quoniam igitur confirmāti signantur signo crucis velut vexillo sui regis, quatenus nomen eius publice & absque timore cōfiteantur, etiā inter aduersantes veritatis: ideirco cōfirmandi in frōte figuantur, vt sine verecundia atque pauore Christum apertè denūnient, pro eōque pugnāt ac viriliter agant.

2. ¶ Insuper quoniam illi qui ad pugnā deputātur, maxima egent cautela ac instructione: ideirco cōfirmatus tenetur ab aliquo quasi erudiendus in his quæ modo concernunt sacramentis, sicut in bello corporali ponuntur centuriones & duces, qui alios dirigant. Item qui ad confirmationē accedit, adhuc quasi teneræ ac debilis est. Et igitur merito sustentandus ab aliquo, quem tamen oportet esse confirmatum, vt repræsentet eum episcopo tanquā principi Christianæ militiæ, cui militiæ confirmatus assentitur in hoc sacramento.

3. ¶ At verò in omni negotio ipsa consummatio seu vltima perfectio à suprema virtute inducitur. Cum ergo fit cōfirmatio baptismi perfectio, spiritussancti plenitudine præstāta, sicut enim per baptismū homines fiunt quasi domus dei: sic per gratiā confirmationis consecrantur deo, vt sint quasi templū ipsius. Ideirco dari non debet, nisi ab episcopis, qui locū apostolorū nunc supplent, quamvis summus pontifex possint hanc potestatem concedere simplici sacerdoti, quemadmodum

dum bearus Grægorius fecit ad tollendum scandalū aliorū. Secundum quoq; quod sacramentū baptismi efficacius est sacramēto cōfirmationis quo ad remotionē mali, est enim spiritualis generatio, generatio verò est mutatio de non esse in esse. Sed quantū ad promotionē in bono cōfirmatio excedit.

4. ¶ Adhuc autem quoniam Matth. 18. dominus suis promisit, vbi fuerint tres vel duo congregati in nomine meo, ibi in medio eorū sum. Ideo certissimè est tenendū, ordinationes ecclesiæ à spū Christi procedere atq; à sapiēria eius formari. Rationabiliter ergo ordinauit ecclesia, vt sacramētū confirmationis nō solum præstetur in vigilia Paschę ac Pēthecostes, quādo solēnis datur baptismus, cōfirmatio quoque solennis: sed etiam tempore alio, quoniā episcopi non semper habentur præsentes ad nutum. Quod autē institutū est, vt à ieiunis recipiatur & detur, non obligat debiles, & propter multitudinem confirmandorum, imminentia quoque pericula dari & recipi potest à non ieiunis. Item christma in die cœnę consicitur quatenus destinari queat ad alia loca ante vigiliam Paschæ, quando datur solennis baptismus, & quoniam Christus tunc eucharistiam consecrauit.

¶ Vtrum eucharistia sit sacramentum. 2. An sit vnum vel plura. 3. An sit de necessitate salutis. 4. De nominibus eius. 5. De eius institutione. 6. De figuris ipsius. Artic. 99.

AGnoscendum præterea, quod sicut in corporali vita ille qui genitus est & augēdus est, cibo potuq; indiget, sic spiritualiter in Christo renatus spirituali alimonia eget, per quā conseruetur in vita. Hoc autē est eucharistia. Cùm igitur sacramenta ad spiritualem vitā ordinentur secundum speciales gratiæ operationes patet, quod sicut baptismus qui est spiritualis renatio, & cōfirmatio, quæ est spirituale augmentū, sunt sacramenta: sic eucharistia, quæ est spirituale nutrimentum, sit sacramentum. Dicitur autem sacramentum, quoniam continet aliquid sacrum. Eucharistię autem sacramentum continet aliquid, quod est simpliciter sacrum, videlicet Christum. Alia verò sacramenta continent aliqua sacra in ordine ad aliud. Ideo sacramentum eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione materiæ. Alia autem in applicatione ad aliud: ex quo vltra consequitur, vt in eucharistia id quod est sacramentum & res, sit in ipsa materia, scilicet corpus Christi. Id autem quod est res tantum vtpote gratia

tia est in recipiente. Sed in baptismo vtrunque est in recipiente, videlicet tam character quam gratia.

2. ¶Præterea vnum dicitur vel quia cõtinuum, vel quia indiuisibile, vel quia est integrum, omnia scilicet habẽs quæ ad eius integritatem concurrunt, & quæ ad finem eius requiruntur, quemadmodum homo ex mẽbris componitur. Eucharistia autem ad spiritualem refectionem ordinatur, in qua duo sunt necessaria, sicut in refectione corporali. Et ideo ad eucharistiæ perfectionẽ duo exiguntur, videlicet spiritualis cibus, spiritualisq; pot⁹. Iuxta illud Ioãnis sexto: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Hoc ergo sacramentum materialiter est multa, sed formaliter perfectiuéque vnum. Et ideo in collecta dicitur: Purificét nos, quæsumus, sacramenta quæ sumpsimus, pluraliter: ad insinuandum materialem diuersitatẽ. Et subditur: Et præsta, vt hoc tui corporis sacramentum, singulariter, propter vnitatem formalem.

3. ¶Præterea in eucharistia duo possunt attendi, videlicet sacramentũ & res sacramenti, quæ est vnitas corporis mystici. Hoc ergo sacramentum quantum ad actualem perceptionem non est de necessitate salutis, quo ad id quod est sacramentum. Sed quantũ ad id quod est res sacramenti. Sine vnitate enim mystici corporis, id est, extra ecclesiam Christi nulli reponitur salus. Potest autẽ homo à deo recipere rem sacramenti, ante sacramentũ, vt dictum est, dummodo habeatur sacramentũ in voto. Vnde August. contra Pelagianos baptisacio scribens: Nec id inquit, cogitetis, paruulos vitam habere non posse, qui sunt expertes corporis & sanguinis Christi. Dicitur aũt eucharistia sacramẽtũ charitatis, quia est sacramentũ passiõis, prout homo perficitur in vnione ad Christũ.

4. ¶Præterea hoc sacramentũ prout significat passionem Christi prætcritã, dicitur sacrificium. Sed prout designat gẽtem ecclesię vnitatẽ in electis, vocatur cõmunio vel synaxis. Inquantũ autẽ figurat fruitionem futurã, nominatur viaticum & eucharistia, id est, bona gratia, quia per gratiam eius datur facultas pertingendi ad patriam. Dicitur quoq; hostia secundum quod continet ipsum Christum, qui est hostia salutaris vera & viua. Conuenienter autẽ Christus hoc sacramentum in cœna instituit. Primo, quia tunc corporaliter discipulos suos reliquit. Et ergo sub sacramẽtali specie cũ eis permanere disposuit. Secundo, quoniã in ipso veteris legis sacramẽta cõsummãtur. Tertio, vt memoriæ fortius imprimeretur quasi vltimum memoriale ac donum recedentis amici.

5. ¶Porro in sacramento eucharistiæ tria pensantur. Vnum, quod est sacramentũ tantũ, videlicet panis & sanguis. Aliud, quod est res & sacramentum, scilicet corpus Christi verum. Tertium, quod est res tantũ, puta effectus sacramenti istius. Quantum ergo ad primum, potissima huius sacramenti figura fuit oblatio Melchisedech, qui panem & vinum obtulit. Quantum ad secundũ, omnia sacrificia legis fuerãt eius figura, potissime verũ sacrificium expiationis, quod solennissimũ fuit, quando pontifex introiuit semel in anno in sancta sanctorũ cum sanguine, sicut Apostolus ait ad Hebræos nono: Quantum autem ad effectũ eucharistiæ, sic manna erat potissima eius figura. Nam sicut manna omnis saporis dulcedinem cõtinebat: sic huius sacramenti gratia mentẽ ad omnia reficit. Agnus verò paschalis, quantum ad omnia tria hæc sacramentũ eucharistiæ figurat. Nam agnus ille edebatur cum azymis panibus. Offerebatur quoque ab omni populo Israël luna. 14. in figuram Christi, passionisque eius, qui propter innocentiam appellatus est agnus. Item per sanguinem agni paschalis protecti sunt Iudæi in Aegypto ab angelo deuastante, id est, primogenita occidente, atque ex Aegyptiaca seruitute erepti: quemadmodum nos per sanguinem Christi redimimur. Ideo agnus paschalis non immerito dicitur potissima huius sacramenti fuisse figura.

¶*De materia sacramenti eucharistiæ. 2. An requiratur ad eam determinata quantitas. 3. An panis triticeus. 4. An panis azymus vel fermentatus. 5. An vinum vuæ sit propria eius materia. Articulus. 100.*

Ante præterea instituit Christus sacramentum hoc sub specie panis ac vini ex quibus cõficitur. Materia enim sacramentorũ correspondere debet effectui eorum: quemadmodũ aqua baptismi spirituali lotioni. Cùm ergo sit hoc sactamentum spiritualis refectio & mãducatio, sub specie panis qui maxime cibat, & vini qd' reficit, confici debuit. Seorsum tamen, quia in passione Christi separatus est sanguis à corpore eius. Item panis figura est corporis, & sanguis animæ. Hoc autem sacramentũ tuetur corpus & animam. Rursus hoc sacramentũ ecclesiasticę vnitatis, quæ ex multorum collectione in Christo cõsurgit, est causã.

Universidad de Deusto
Biblioteca

causa. Et ergo sub formis panis, qui ex multis granis, & vini, quod ex diuersis vuis constant, celebrandum constitit.

2. ¶ Amplius in omnibus habentibus materiam ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem: quemadmodum determinatio materiæ serræ est vt sectioni sit apta. Finis verò eucharistiæ est vsus fidelium. Determinatio ergo quantitatis materiæ sacramenti istius accipitur in comparatione ad fideles. Non qui occurrunt in præsenti, alioquin sacerdos paucos habens parachianos, non posset consecrare hostias multas: sed in ordine ad fideles absolute, quorum numerus indeterminatus est. Propter quod quantitas materiæ huius sacramenti non est determinata, sed quantuscunque panis ac vinum consecrari possunt simul à sacerdote sicut & materia quantumlibet modica.

3. ¶ Porro ad vsum sacramentorum assumitur materia magis communis in vsu vitæ humanæ. Pane autem triticeo homines communius vti consueuerunt. Nam in huius panis defectum alij panes introducti videntur. Ideirco propria huius sacramenti materia est panis triticeus. Nam & Christus in hac materia illud sacramentum instituit.

4. ¶ Veruntamen non est differentia quantum ad veritatem sacramenti, vtrum fiat in azymo vel in fermentato: sed debet vnusquisq; suæ ecclesiæ ritū seruare. Vnde sicut peccaret Latinus, si in fermentato conficeret: ita Græcus peccaret consecrando in azymo. Cōficitur enim in azymo, ad designandum quod filius dei sine omni cōmixtione carnē assumpsit. In fermentato autem, quia verbum patris induit carnē. Cōuenientius verò est, vt fiat in azymo, quoniā Christus in azymo corpus proprium consecrauit, videlicet primo de azymorū post esum agni paschalis, quo die non licuit in domibus Iudæorū esse fermentatum. Secundo ad designandū, quod caro Christi sine virili commixtione atq; corruptione concepta & nata est. Tertio, ad insinuandū synceritatem vitæ eorū, qui hoc sacramentum sumere debent, quemadmodū ait Apostolus: Epulemur in azymis synceritatis & veritatis. Græci autem in fermētato conficiunt propter detestationem hæresis Nazarenorum, qui legalia Euangelio miscuerunt.

5. ¶ Sanguis insuper Christi nō nisi in vino vitis confici valet. Tum, quia Christus in tali vino confecit. Iuxta illud Lucæ: Non bibam amodo de hoc genimine vitis. Tum, quia hoc

hoc vinum duntaxat est verum vinum. Alij autem liquores non nisi propter similitudinem quandam vinum dicuntur. Tum, quia effectus huius sacramenti est spiritualis lætitia. De vino autem scriptum est: Vinum lætificat cor hominis. In vino igitur morotum vel malorum granatorum non potest consecratio fieri, neq; in aceto quod per corruptionem vini generatur. In musto autem, & si necesse esset, etiam in liquore ex botro expresso sacramentum hoc confici potest, secundum Iulium Papam. Non tamen in agresta, cum sit in via generationis.

¶ *An aqua sit vino miscenda. 2. An aquæ admixtio sit necessaria. 3. De quantitate aquæ apponendæ. Artic* 101.

VIno insuper admiscenda est aqua in sacramento eucharistiæ. Primo, quia probabiliter creditur Christus in vino lymphato cōfecisse, secundum morem terræ sanctæ, in qua Vina sunt fortia. Vnde in Prouerb. dicitur: Bibite vinum, quod miscui vobis. Secundo propter repræsentationem passionis Christi, de cuius latere fluxit sanguis & aqua. Tertio ad designandum effectum huius sacramenti, videlicet vnionem populi Christiani cum Christo. Nā per aquam exprimitur populus, per vinum Christi sanguis.

2. ¶ Denique ista admixtio non est de necessitate sacramēti, cum fiat propter significationem prædictam, cuius significatum fiat propter vnionem populi cum Christo, non est de necessitate sacramenti istius. Hoc namque sacramentum perficitur in consecratione materiæ, non in applicatione ad hominem, vt alia sacramenta.

3. ¶ Præterea, vt Innocentius Papa refert, circa aquam quæ vino miscetur, triplex fuit opinio. Prima dixit, quod aqua per se manet vino consecrato. Sed hoc stare nō potest, quoniam post consecrationem nihil est in sacramento altaris nisi corpus & sanguis Christi, secundum Ambro. Alij ergo dixerūt, quod sicut vinum conuertitur in Christi sanguinem, sic aqua in aquam, quæ de eius latere emanauit. Sed hoc dici nō debet. Nam secundum hoc aqua seorsum cōsecraretur à vino. Tertia itaque opinio, vt Innocētius asserit, rationabilior est: quæ ponit aquam primo conuerti in vinum, sicque totum simul consecrari. Et ideo aqua in parua quantitate miscenda est, ne species vini mutetur, præsertim, si vinum sit debile.

¶ *Vtrum in hoc sacramento sit verum corpus Christi & sanguis. 2. An substantia panis & vini post consecrationem remaneant 3. An annihilentur 4. An panis conuertatur in corpus Christi 5. An accidentia maneant. Articulus 102.*

POtto verum Christi corpus ac sanguinẽ in hoc sacramento consistere, sola diuina sanctaq; fide credimus. Cõuenit quoq; sic esse. Nam sacrificia veteris legis verum Christi sacrificium cõtinebant, duntaxat figuraliter. Cùm ergo lex noua perfecta sit, conuenit vt sacrificium eius contineat Christum realiter. Secundo ad insinuandum ardentissimam charitatem Christi ad nos. Proprium enim amicorum videtur, conuiuere & simul velle vniri. Tertio, quoniam fides est nõ solum de Christi diuinitate, sed & de eius humanitate. Sicut igitur diuinitatem nobis suam Christus inuisibiliter exhibet: sic humanitatem suam in hoc sacramento nobis inuisibili modo proponit. Corpus quippe Christi nõ est in sacramento sicut in loco, sed spirituali, speciali atq; ineffabili modo huic sacramento proprio.

2. ¶ Denique corpus Christi in sacramento esse non incipit per motum localem, seu descensum à cœlis. Desineret enim esse in cœlo, nec in instanti sub hostia esse inciperet, nec simul in pluribus hostijs esset. sed per conuersionem panis in ipsum, & vini in sanguinem. Ideo opinio dicentium in hoc sacramento remanere substantiam panis ac vini, omnino absurda est, & cauenda tanquam hæretica.

3. ¶ Ex quo etiam sequitur, quod substãtia panis & vini nec annihiletur, nec in præiacentem materiam resoluatur: sed vere in Christo corpus ac sanguinem conuertitur. sicque transubstantiatur. Conuersio enim accipit nomẽ & speciem à termino ad quem. Et secundum August. deus non est causa tendendi in non esse.

4. ¶ Insuper ista cõuersio omnino supernaturalis est, & soli omnipotenti diuinæ potestati possibilis. Omne enim agens creatum ad genus ac speciem est limitatũ. Et ergo actio eius non fertur nisi ad aliquem determinatũ actum, subiecto supposito. Potest ergo ad immutationem formæ agere, vt vna forma alteri in eodem subiecto succedat. Propter quod omnis naturalis cõuersio nominatur formalis. Sed Deus, qui est infinitus & purus actus, cuius virtus immensa existens nihil supponit, totam substantiam rei mutare potest conuertendo vnum

vnum in aliud præexistens. Quæ conuersio nõ formalis, sed substantialis vocatur. Sicque in sacramento dignissimo tota substantia panis conuertitur in totam substantiam corporis Christi. Et item tota substancia vini in totam substãtiam sanguinis eius. Hæc ergo supernaturalis cõuersio nõ est in vno subiecto, sed est in vtraq; substantia, sicut in subiecto quem admodũ ordo & numerus. Nã & ipsa ordinem substantiarũ quarum vna in aliam transit, importat. Itaque per infinitam Dei potentiam conuerti potest forma in formam, atque materia in materiam. Quoniam vtrique formæ atq; materiæ est natura entis cõmunis. Id ergo entitatis, quod est in vna, potest author totius entis convertere in id, quod est entitatis in alia, sublato illo per quod ab illa distinguebatur.

5. ¶ Amplius accidentia in hoc sacramento manẽt. Primo, ne abhorreamur Christi carnem sub propria specie manducare. Secundo, ne infideles Christianos derideant, quod proprium dominum edant. Tertio, vt fides meritum habeat.

¶ *An post consecrationem forma substantialis panis permaneat. 2. An conuersio hæc fiat in instanti. 3. An sit miraculosior omni alia mutatione. Articulus 103.*

DIxerunt quoque nonnulli formam substãtialem panis post consecrationem manere. Sed hoc dici non potest. Sic enim nil cõuerteretur in corpus Christi, nisi sola materia, quæ conuerti non potest in totum corpus Christi, sed in solam eius materiam. Quo concesso, non fieret conuersio in totum corpus Christi, sed in solam materiam eius. Sed hoc formæ sacramenti repugnat, qua dicitur: Hoc est corpus meum. Item si forma substantialis manet, vel manet in propria materia, vel in alia, vel stat per se separata. Primum horum dici non valet, cũ materia panis conuertatur. Nec secundum quoniã propria forma nõ est nisi in propria materia. Nec tertium, quia secundũ hoc illa esset forma actu intelligibilis. Itaque forma substantialis panis conuertitur in animam Christi, secundum quod dat esse corporeum non prout dat esse animatum anima tali.

2. ¶ Deniq; muratio instantanea est triplici ratione. Prima ex parte formæ, ad quam terminatur mutatio: sicut in fotmis non recipientibus magis & minus. Tales enim subito introducuntur. Secundo ex parte subiecti, quod in vltima dispositione cõsistit ad formam: quemadmodum diaphanum ad illumi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

luminationem. Tertio ex parte virtutis agentis: vt cum virtus est infinita. Hæc ergo cōuersio propter omnes has rationes instantanea est. Nam substantia corporis Christi ad quā tet minatur conuersio, non recipit magis aut minus. Virtus quo que quæ efficit conuersionem hanc, immensa est. Nec ipsum subiectum conuersionis successiue disponitur ad conuersionem huiusmodi. Vnde vltimum instans prolationis verborum est primum instans, in quo sub sacramento est corpus Christi, & in toto tempore præcedenti est ibi substantia panis: cuius temporis non est accipere aliquod instans proximè ipsum præcedens. Sic enim ex instantibus tempus cōpositum foret. Est ergo dare primum instans, in quo est ibi corpus Christi. Non autem est dare vltimum instans in quo est ibi substantia panis. Sed est dare vltimum tempus, & idem est in mutationibus naturalibus sicut octauo Physicorū probatur. In talibus quippe sunt simul fieri & factum esse, vt illuminari & illuminatum esse. Dicitur enim factum esse prout nunc est, & fieri secundum quod antè non fuit.

¶ Præterea in conuersione hac est ordo terminorum, sicut in creatione ac naturali mutatione. Non autem est hic subvtroq; termino idem subiectum. Possumus igitur dicere: Ex pane fit corpus Christi: sicut ex non ente fit ens, quia præpositio ex, ordinem signat. Non autē dicendum est, quod panis fit corpus Christi, vel fieri possit corpus Christi, vel quod de pane fit corpus Christi: quia præpositio de, consubstantialitatem seu causam consubstantialem significat, quæ consubstantialitas extremorum in transmutatione naturali attenditur secundum conuenientiam in subiecto.

3. ¶ Est præterea ista conuersio omni alia mutatione miraculosior. Nam sicut creatio excedit quamlibet aliam mutationem, siue sit substantialis, siue accidentalis, in hoc quod attingit ipsam materiam, quam aliæ mutationes præsupponūt, ita & ista conuersio vsque ad ipsam essentiam materiæ pertingens habet hoc quidem commune cum creatione, quod excellat reliquas omnes mutationes: sed ex parte termini ad quem est mutatio, quæ est vnio humanæ naturæ ad diuinā, ipsam quoque creationem superat in difficultate, vnde est & ipsa miraculorum omnium miraculum.

¶ An

¶ *An totus Christus sit in hoc sacramento. 2. An totus sit sub qualibet specie. 3. An sub qualibet parte speciei. 4. An dimensiones corporis Christi sint totæ in hoc sacramento. Art. 104.*

PRæterea in hoc sacramēto est aliquid ex vi sacramenti, id scilicet ad quod directè conuersio panis ac vini terminatur, vtpote corpus Christi & sanguis: & aliquid concomitanter, videlicet anima Christi atq; diuinitas. Quæ cum realiter sint coniuncta corpori Christi & sanguini, ibi necessario sunt vbi est caro sanguisq; Christi. Hoc igitur modo totus Christus est in sacramento. In hac nanq; conuersione non conuertuntur dimensiones panis vel vini in dimensiones corporis & sanguinis Domini, sed substantiam. Tota autem substantia rei est æquè in magna & parua quantitate. Quemadmodum natura aeris si est verè tam in paruo quàm in magno aëre. Tota ergo substāntia corporis & sanguinis Christi continetur in hoc sacramento sub qualibet dimensionis particula. Sicut antea substantia panis. & vini cōtenta fuit. Nam corpus Christi est in hoc sacramento non per modum quantitatis, sed substantiæ.

2. ¶ Ex istis innotescit, quod sub specie panis est totus sanguis Christi, atque sub specie vini totum corpus Christi, & ipse totus Christus sub vtraq; specie. Dissormiter tamē. Nam sub specie panis est sanguis Christi concomitanter, eo quod non sit separatus realiter à corpore Christi. Corpus verò ex vi sacramenti. Similiter sub specie vini est sanguis ex vi sacramenti, quia directe conuertitur substantia vini in ipsum. Corpus autem concomitanter. Cum verò Christus dixit, Caro mea verè est cibus, ponitur pars pro toto, videlicet caro pro toto corpore neruos & ossa habente, eò quòd caro sit comestioni magis accommoda.

3. ¶ Porro sicut tota substantia seu natura panis continetur sub qualibet particula dimensionis ita & totus Christus cōtinetur sub qualibet specie panis ac hostiæ, non solum cum actu diuiditur vt aliqui asserunt, ponentes simile de speculo, quod integrum manens vnam imaginem cōtinet. Sed etiam ante actualem diuisionem. Non tamen est sub partibus infinitis, quoniam numerus sequitur diuisionem in actu. Habet quoque Christi corpus distantiam & ordinem partium suarum in sacramento, non prout comparatur ad dimensiones sacramenti, sed proprias, quas semper æqualiter habet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4. ¶Insuper quoniam dimensiones Christi proprię suo corpori semper connectæ sunt, nec à corpore eius separabiles sunt. Ideirco tota quantitas dimensiua corporis Christi in isto sacramento consistit concomitanter, atque per modum substantiæ, non per modum dimensionum, vt scilicet sit tota in toto. & singulæ partes in singulis partibus: sed tota in toto, & tota in qualibet parte, sicut substantia.

¶An corpus Christi sit in hoc sacramento localiter. 2. An mobiliter. 3. An visibiliter. 4. An maneat in hoc sacramento, quando miraculose videtur sub specie carnis vel pueri. Articulus 105.

Sicut nunc dictum est corpus Christi est in hoc sacramento non secundum modum quantitatis dimensiuæ, scilicet per commensurationem ad aliquid extra se: sed per modum substantiæ, quæ cum secundum se indiuisibilis sit, in qualibet parte quantitatis consistit. Nil autem corporeum in loco est, nisi per commensurationem ad locum, & secundum dimensionum extensionem. Corpus igitur Christi non est in hoc sacramento sicut in loco, sed per modum quo natura rei sub propria quantitate cõtinetur. Corpus autem Christus succedit substantiæ panis. Vnde sicut natura panis ante consecrationem non erat sub suis dimensionibus sicut in loco: ita nec postea corpus Christi. Verumtamen substantia panis localiter ibi erat, quoniam comparatur ad locum mediantibus dimensionibus proprijs tãquam subiectum earum, sed corpus Christi illarum subiectum non est dimensionum. Et ergo non comparatur ad locum illum per illas dimensiones. Sed neque per propriam, cum illæ non sint ibi rosi concomitanter. Nullo itaque modo Christus est in sacramento localiter. Imo sicut aliarum rerum substantia comparatur ad locum per dimensiones suas: sic dimensiones corporis Christi comparantur ad locum illum mediante substantia, quod est contra rationem corporis locati.

2. ¶At verò eidem possunt conuenire diuersa secundum diuersas rationes. Imò quod subiecto est vnum, & idem tamen secundum esse multa, potest secundum aliquid moueri & simul quiescere secundũ aliud, vt res quæ colorata & magna est, potest secundum colorem mutari sine magnitudinis mutatione seu motu. Similiter Christus secũdum esse proprium potest quiescere & simul moueri, secundum id in quo est atque per

que per accidens, scilicet ad motum formarum: sub quibus in sacramento continetur, sub quibus desinit esse sine sua mutatione, cum habeat esse indeficiẽs & immortale: quemadmodum deus desinit esse in creatura corruptibili per mutationem, non suam, sed creaturæ: & sicut Deus desinit esse Dominus alicuius creati, non quod ipse mutetur, sed quoniã habitudo eius ad creaturam auferetur per mutationem creaturæ: Sic Christus desinit esse sub sacramento, quoniam habitudo eius ad hunc locum tollitur propter mutationẽ seu corruptionem creatarum specierum sacramenti.

3. ¶Porro Christus secundum quod in hoc sacramento est, à corporali oculo nequit videri. Substantia enim nõ nisi per accidentia visum immutat. Dictum est autem quod accidentia Christi sunt in hoc sacramento concomitãter & mediante substantia. Non ergo visum immutant. Item corpus Christi in hoc sacramento consistit per modum substantiæ, non per modum dimensionis. Substantia verò secundum se inuisibilis est. Intellectus autem beatorum tam angelorũ quàm hominum spirituali oculo vident corpus Christi, prout in sacramento est secundum participatam chatitatem diuini intellectus per visionem diuinæ essentiæ.

¶Dæmones verò ipsum, non vident, nisi per fidem, cui non assentiunt bona voluntate, sed euidentium conuicti necessitate signorum, quemadmodum Iacobi secundo habetur. Dæmones credunt & contremiscunt.

4. ¶Præterea, quod in hoc sacramento interdum conspicitur quasi caro vel sanguis seu puer, quandoque cõtingit propter solam immutationem sensuum videntis: cuius sensus ita afficitur atque formatur, ac si huiusmodi aliquid præsens videret. Quod tunc præcipue fit, quando vnus conspicit hostiam in propria specie, alius in forma prædicta. Secũdo istud contingit propter immutationem factam circa species sacramenti, quæ ita qualificantur, vt videantur sub specie carnis vel sanguinis. Quidam verò dixerunt, hoc esse propriam speciem corporis Christi. Sed hoc non dicitur recte, quoniam Corpus secundum propriam speciẽ non videtur, nisi in vno loco. Itaque quandiu remanent dimensiones quæ sunt in sacramento aliorum accidentium fundamentum, manet sub eis corpus Christi ac sanguis.

¶ An accidentia maneant sine subiecto in hoc sacramento. 2. An quantitas sit eorum subiectum. 3. An illa accidentia possint immutare corpus extrinsecum. 4. An possint corrumpi. Artic. 106.

ACcidentia insuper sine subiecto in hoc sacramento constituunt, quia substantia panis nō manet, nec transeunt in corpus Christi, nec sunt, vt aliqui æstimant, in aëre circumstante, quoniam accidens non migrat de subiecto in subiectum, nec aër susceptiuus est accidentium talium.

2. ¶ Porro cum quantitas immediate sequatur substantiam ratione materiæ, ipsa quantitas fundamentum est aliorum accidentium, quæ posterius consequuntur substantiam, scilicet colorum, saporum, &c. & ideo quanuis virtute diuina quantitas panis, & vini maneat sine subiecto: alia tamen accidentia manent in ea tanquam in fundamēto atque subiecto. Patet quoque ad oculum in sacramento aliquod quantum ibi esse coloratum, aliisque accidentibus formis affectum.

3. ¶ Præterea agere sequitur ipsum esse agentis. Vnumquodque enim operatur secundum quod est in actu. Quemadmodum ergo diuina virtute conferuntur accidentibus in isto sacramento siue substantia esse: sic & agere possunt sine subiecto proprias actiones, sicut & ante cōsecrationem. Possunt ergo immutare extrinseca corpora.

4. ¶ Rursus corrumpi possunt sicut & antè, siue per se vel qualitatibus contrarijs per alterationem, vel propter diminutionem dimensionum in tam modicas partes, quod corrumperetur substantia panis ac vini.

¶ An ex formis seu speciebus sacramenti possit aliquid generari. 2. An aliquis possit ex eis nutriri. 3. De fractione panis consecrati. 4. An vino consecrato aliquid possit misceri. Articulus 107.

COrruptio autem vnius generatio est alterius. Cùm ergo species sacramentales possint corrumpi, vt dictum est, oportet aliquid ex eis generari, non enim rediguntur in nihilum. Præsertim cum ad oculum pateat aliquid generari per corruptionē earum, videlicet vermes aut cineres. Quidam autem dixerunt talia quidem non generari ex formis prædictis, sed ex aëre circumstāte. Quod irrationabiliter dicitur. Primo, quia in aëre nulla apparet talis corruptio vel alteratio. Generatur autem aliquid ex eo quod ante alteratum est atque corruptum. Secūdo, quia natura

tura aëris talis non est, vt possint ex eo talia generari. Alij ergo dixerunt substantiam panis ac vini in corruptione prædictarum specierum reuerti, siṕque ex ea generari quæ fiunt. Sed hoc non videtur possibile. Cum namque substātia panis & vini sit conuersa in corpus & sanguinem Christi, non potest redire nisi corpus Christi, & sanguis denuo conuertatur in eam. Melius ergo apparet, vt dicamus quantitati miraculo se conferri, vt suppleat vicem materiæ, aliis formis substādo, & subiectum generationis atque corruptionis existēdo sicut materia: non quidem nouo miraculo, cum nil miraculosum sit in hoc sacramento, nisi ex vi cōsecrationis: sed virtute miraculi prius facti.

2. ¶ Ex quo facile constat, quod species istæ hominem nutrire possunt, non solùm confortando, sicut odore aliquis confortatur, sed verè cibando. Ostensum est enim, quod cōuerti possunt per generationem in substantiam rei. Dicitur autem panis esse in sacramento altaris post consecrationē, vel quia species panis manent, vel quoniam corpus Christi quod est panis mysticus, ibi verè existit.

3. ¶ Præterea vera fractio est in hoc sacramento, sicut ad sensum cognoscitur. Huius autem fractionis subiectum non est corpus Christi, sed ipsa dimensio quæ secūdum se habet partium quantitatiuarum extensionem atq; distinctionem. Vnde quemadmodum species sacramentales sunt sacramentū corporis Christi, sic fractio hæc ponitur sacramentum passionis Christi, quæ fuit in corpore eius.

4. ¶ Porro, vt tactum est, quemadmodum species in hoc sacramento permanentes, sortiuntur virtute cōsecrationis mōdum essendi substantiæ: sic adipiscuntur & modum agēdi & patiendi substantiæ: ita vt agere patiṕque possint quicquid ageret & pateretur substantia panis & vini si præsens adesset. Quemadmodum ergo ante consecrationē vino alius liquor misceri potest, tam eiusdem speciei, videlicet aliud vinum, quàm alterius, vt aqua, vel simile quippiam: sic post consecrationem fieri potest permixtio. Et si illa permixtio sit tanta, quod species vini consecrati corrumpatur, non manebit sub formis illis Christi sanguis. Imō cum mixtō nou sit aliquod miscibilium, sed certium quoddā, illa pars vini consecrati, quæ alio liquore perfunditur, desinit cōtinere sanguinem Christi, dum eius species accidentalis destruitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶De forma huius sacramenti. 2. De conuenientia formæ consecrationis corporis Christi. 3. De conuenientia consecrationis sanguinis Christi. 4. de virtute vtriusque formæ. 5. De veritate locutionis. 6. De habitudine harum formarum adinuicem. Articulus 108.

DIffert verò hoc sacramentum à cęteris. Primò quia hoc sacramentum perficitur in cōsecratione materiæ alia autem in vsu materiæ consecratæ. Secundò quia in alijs cōsecratio materiæ in sola benedictione cōsistit materiæ, per quam recipit instrumentalem sanctificandi virturem, quæ à ministro ad inanimata potest procedere. Sed istud sacramentum consistit in supernaturali cōuersione. Vnde in consecratione materiæ sacramenti istius facere dos alium actum non habet, nisi prolationem verborum. Cōformitee forma huius sacramēti, qua dicitur: Hoc est corpus meum, ab aliorum formis sacramentorum in duobus distinguitur. Primo, quoniam illæ formæ importāt vsum materiæ, vt cùm dicitur: Ego te baptizo. Huius autem sacramenti forma solam materiæ consecrationem designat. Secundo, quia aliorum sacramentorum formæ dicuntur à ministro per modum agentis, vel deprecātis, vt cùm dicitur: Ego te cōsigno. Vel per vnctionem, &c. Huius verò sacramenti forma profertur ex persona Christi loquentis: ad insinuandum, quod sacerdos in confectione huius sacramenti nil aliud agit, nisi quod verba Christi pronunciat.

¶ Est autem diuersa opinio, quo modo Christus hoc sacramentum confecit. Quidam enim affirmant, quod sola diuina virtute consecrauit, & postea formam consecrandi alijs dedit. Alij dicunt, quod alijs verbis & nobis ignotis cōsecrauit. Quidā autem, quod eadē verba bis protulit. Primo in occulto conficiendo. Secundo apertè alijs dando. Sed melius dicitur, quod verbis quibus nunc cōsecratio fit, ipse Christus cōsecrauit, non in occulto prolatis, vel bis, sed semel. Nam & Euangelistæ secundum Augustinum nō sēper seruant eundem ordinem recitando, secundum quem gesta est res. Secundum quoque, quod si sacerdos sola verba quæ ad huius sacramenti formā pertinent, proferret cum intentione consecrandi, verè cōficeret. Nam eius intentio faceret, vt hæc verba intelligerētur quasi ex persona Christi prolata: quamuis verbis præcedentibus id non exprimatur. Sic tamen conficiens grauiter peccaret, vtpote ritum ecclesiæ non obseruans.

2. ¶ Præ-

2. ¶ Præterea in consecratione ista considerāda sunt tria, videlicet ipsa cōuersio, terminus à quo, & terminus ad quē. Et quia cōuersio illa fit in instanti, significatur nō verū fieri, sed vt in facto esse, cum dicitur: Hoc est corpus meum. Terminus quoque à quo designatur per pronomen demonstratiuū eū dicitur: Hoc. Sed & terminus ad quē exprimitur, cū additur corpus meum. Hæc autem cōiunctio enim adiungitur, secundum consuetudinem Romanæ Ecclesię à beato Petro derivatam. Adiungitur verò propter continuationem ad præcedentia verba. Vnde non est de forma sacramenti.

3. ¶ At verò quidam dixerunt, quod ad formā consecrationis calicis non pertinent nisi hæc verba. Hic est calix sanguinis mei. Sed quoniam verba sequentia sunt determinationes huius præscicati sanguinis. Ideo alij melius dicunt, quod verba quoque sequentia ad formā cōsecrationis vini pertineāt, vsque dum dicitur: Hæc, quotiescunque fecetitis, quæ non sunt de forma, sed spectant ad vsum sacramēti istius. Per hęc itaq; verba. Hic est calix sanguinis mei, significatur cōuersio vini in sanguinem. Verba verò sequentia designāt virtutem sanguinis Christi pro nobis effusi. Valet nempe ad tria scilicet ad perceptionem vitæ æternæ, ad iustificationem gratiæ, & ad delēda peccata. Propter primum dicitur noui & æterni testamenti, propter secundum apponitur mysterium fidei. Propter tertium autem adijcitur, qui pro vobis & pro multis effundetur, &cæ. Cum verò dicitur: Hic est calix sanguinis mei, ponitur continens pro contento. Et est sensus: Hic est sanguis meus contentus in calice. Testamentum quoque aliud nihil est, nisi dispositio hæreditaris. Et quia per sanguinē Christi adipisci possumus hæreditatem æternam, dictum est: Calix sanguinis mei noui, & æterni testamenti. Dicitur etiā in consecratione sanguinis mysterium fidei, ad designādum occultum modum, quo sanguis Christi verè in sacramento cōsistit, quod sola fide tenetur. Vnde & ipsum mysterium est quasi fidei obiectum. Quanuis verò non omnia verba consecrationis calicis in scriptura legantur, eo quod Apostoli & euangelistæ nolebant formas sacramentorum publice tradere propter infidelium derisionem secundum Dionysium in fine Ecclesiasticæ Hierarchiæ: omnia tamē verba illa à Christo prolata sunt, & Apostolis tradita, per quos hæc forma à Christo ad ecclesiam venit. Iuxta illud prima ad Corinthios

vnde-

vndecimo: Ego accepi à domino, quod & tradidi vobis.

4. ¶ Insuper sicut de verbis ad aliorum sacramentorum formam spectantibus dictum est, quod in eis sit quædam virtus activa ad effectum sacramenti, nō principalis, vel prima, sed instrumentalis & secundaria: ita de verbis formalibus huius sacramenti credendum est. Quoniam cum ex persona Christi dicuntur, per hoc quod ex eius mādato proferuntur, consequuntur instrumentalem virtutem ad consecrationem. Et hoc in vltimo instanti prælationis vltimi verbi in ordine ad verba præcedentia.

5. ¶ Præterea hæc locutio. Hoc est corpus meum, vera est, intelligendo eam secundum vltimum instās prolationis verborum. Istud autem pronomen dem ōstrauum hoc, non demōstrat panem, nec etiam corpus Christi, sed aliquid sub speciebus sacramenti contentum. vtpote quod prius fuit panis, & postmodum corpus est Christi. Pronomē enim significum substantiam in communi sine qualitate, id est, proprietate determinante. Et ideo verba prædicta, quæ sunt forma huius sacramenti, quamuis recitative à sacerdote dicuntur, nō tamen sumuntur materialiter solum, sed etiam significative. Imo & factiua sunt eius, quod significant. Sed significatio præintelligitur conuersioni seu rei significatæ ordine naturæ, non temporis. Nam causa naturaliter prior est suo effectu.

6. ¶ Amplius consecratio corporis statim perficitur verbis prolatis, quæ ad hanc pertinent consecrationem. Non enim consecrationes panis ac vini seinuicem expectant. Alioquin diceretur: Hoc erit corpus meum, nec corpus Christi eleuaretur ante consecrationem sanguinis.

¶ An huius sacramenti effectus sit collatio gratiæ. 2. An adeptio gloriæ. 3. An remissio quoque peccati mortalis. 4. An venialis peccati remissio. Artic. 109.

HOc autem sacramētum superdignissimum gratiam confert. Tum, quoniam Christum realiter cōtinet. Tum, quia eius passionem figurat. Tum, quoniam cibus est animæ. Et ergo quicquid agit cibus corporalis in corpore, qui sustentat, auget, reparat, & delectat: hoc totum facit hoc sacramentum spiritualiter in anima. Vnde Ambrosius: Panis, inquit, est iste vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.

2. ¶ Amplius ex eisdem rationibus patet, quod causet gloriæ adeptionem.

adeptionem. Nam & Christus ianuam regni aperuit, & per vsum huius sacramenti efficimur merito eius participes, sicque tandem consummato cursu viæ introducemur ad gloriā.

3. ¶ Præterea virtus sacramenti istius considerātur dupliciter. Primo secundum se, sicq; ad omnium peccatorum remissionem sufficies est. Secundo per comparationem ad sumentem. Et ita in eo qui spiritualiter non viuit, nec charitatem, quā Christo iungatur habet, non operatur mortalium peccatorum indulgentiam, sed grauamen quoniam obicem ponit peccator gratiæ Dei. Nutrimentum nanque non est alicui apium, nisi viuenti. Cùm ergo sacramētum, spirituale dicatur nutrimentum, ei non competit ipium recipere, qui non viuit spiritualiter & charitatiue. Operatur vero remissionem peccati mortalis oblii, per hoc, quod gratiam charitatis infundit quæ contritionem complet.

4. ¶ Denique peccata venialia per hoc sacramentum dimittuntur. Tam ratione sacramenti, quod est spirituale alimentum, per quod restauratur deperditū in spirituali vita: quemadmodum cibus corporeus illud restaurat, quod in animali per actionem naturalis caloris deperditur. Peccata verò venialia charitatis feruorem diminuunt atque ex concupiscentia naturali procedunt. Idcirco vt Innocent. tertius asserit: Hoc sacramentum veniale delet, & cauet mortale, propter quod Ambrosius ait: Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. Item res huius sacramenti est charitas, quæ in hoc sacramento augetur, non solum in habitu, sed etiam in actu accenditur, sicque peccatorum labem consumit.

¶ An per hoc sacramentum tota pœna peccati dimittatur. 2. An per ipsum homo à peccatis futuris præseruetur. 3. An prosit soli sumenti. 4. De impedimentis effectus huius sacramenti. Articulus 110.

EST verò sacramentum eucharistiæ sacrificium, inquātum offertur, & sacramentum inquantū sumitur. Itaque prout est sacramentum, duplicē sortitur effectū. Vnum per se atque directè. Alium concomitanter. Cùm enim hoc sacramentum institutum sit, non ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per vnionem ad Christum atq; ecclesiā, ideo per se efficit spirituale augmentum. Sed quoniā tale augmentum per charitatem efficitur, quæ

quæ operit multitudinem peccatorum, concomitanter inducit remissionem non solum culpæ, sed etiam pœnæ, non totius, sed tanto maioris, quo fuerit deuotio & charitas maior. Inquantum verò est sacrificium, habet satisfacièdi virtutem. In satisfactione autem magis pensatur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis. Quanquam igitur ista oblatio ex sua quantitate sufficiat cuncta auferre delicta, omnemque pœnam: tamen sit satisfactoria illis, qui offerunt, vel pro quibus offertur secundum quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna.

2. ¶ Præterea quoniam sacramentum hoc est spiritualis almonia Christo cõiungens, atq; signum victoriæ Christi, preseruat à malis futuris ab intrà & foris emergentibus. Vnde Chrysostomus: Sicut leones flammã spirãtes, sic ab illa mensa discedimus terribiles effecti diabolo.

3. ¶ Deniq; sacramentum hoc sub ratione sacramenti & sacrificij prodest sumentibus. Nam pro omnibus qui sumunt, offertur. Sed prout est sacrificium, prodest etiam illis, qui nõ sumunt, dum pro eorum offertur salute, dummodo sint Christo per fidem & charitatem coniuncti.

4. ¶ Insuper peccata venialia, secúdum quod iam præterita sunt huius sacramenti effectum nequaquam impediunt. Potest namque aliquis post multa peccata venialia ad hoc sacramentum deuote accedere, eiusq; effectus plene participare. Peccata verò venialia prout sunt actu exercita, effectũ huius sacramenti partim impediũt, scilicet quo ad actualem spiritualis dulcedinis refectionem, quam is qui mente distracta accedit non percipit. Non autem impediunt effectum sacramenti huius in toto, quia non tollunt neque impediunt augmentum gratiæ habitualis, vel charitatis.

¶ De duplici modo manducandi hoc sacramentum. 2. An soli homini competat manducare spiritualiter. 3. An soli iusto conueniat manducare sacramentaliter. 4. An peccator manducans sacramentaliter peccet. Articulus III.

ATtenditur autem in hoc sacramẽto ipsum sacramentum, & sacramenti effectus. Illa ergo manducatio, quã quis sacramentum sumit non consequendo effectum ipsius, videlicet, gratiam, propter suam malitiã sacramentalis vocatur. Cùm verò consequitur prædictum effectum, mãducatio dicitur spiritualis. Hæc quoque distinctio in alijs

in alijs sacramentis locum sortitur, secundum quod in eis recipi potest sacramẽtum sine receptione effectus, scilicet gratiæ. Interdum autem manducat aliquis spiritualiter, non sumendo ipsum sacramentum in re, sed in voto, siue post institutionem sacramenti vt tempore gratiæ, siue propter figuram. Quemadmodũ de antiquis patribus ait Apost. Omnes baptizati in Mose sunt in nube & in mari, & omnes eãdem escam spiritualem manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt.

1. ¶ Deniq; angeli spiritualiter manducãt Christum sub propria specie eum cernentes eiusq; beata contẽplatione fruentes. Sed non competit eis mãducare spiritualiter Christum, secundum quod formis sacramentalibus velatur ac tegitur. Sed hoc hominibus proprium est qui per fidem atq; affectũ se in hoc sacramentum extendunt & ideo angelis non contigit spiritualiter manducare hoc sacramentum.

3. ¶ Præterea quidam antiqui dixerũt, quoniam statim cùm peccator Christi corpus ore contingit, desinat corpus Christi esse sub speciebus sacramenti. Hoc autem prædictis non consonat. Ostensum est enim, tam diu sub sacramento manere Christi corpus & sanguinem, quàm diu species illæ sacramenti perdurant. Imò tamdiu, sicut substãtia panis maneret si adesset. Non ergo soli iusto, sed & peccatori potest competere hoc sacramentum spiritualiter manducare.

4. ¶ Porro in hoc sacramento est aliquid, quod est solum signum: aliquid quoq; quod est signatũ atq; contentum, videlicet corpus Christi verũ. Tertium, quod est signatum nõ contentũ, scilicet corpus Christi mysticũ, quod est societas sanctorum. Itaq; quicunq; hoc sacramentum accipit, ipsa sua acceptione designat se Christo vnitũ, membrisq; eius incorporatum: quod fit per fidem formatam. Et ideo qui cũ mortali peccato, de quo sibi conscius est, hoc sacramẽtum sumit, falsitatem ostendit & mendacium cum in sacramentum committit, sacrilegiumq; incurrit, tanquam sacramẽti violator. Et ergo mortaliter peccat, propter quod admittendi nõ sunt ad hoc sacramentum, qui in mortali peccato sciuntur.

¶ De quantitate peccati manducantium indigne. 2. An peccator ad hoc sacramentum accedens sit repellendus 3. An nocturna pollutio à communione impediat. 4. An à solis irritis sit sumendum sacramentum. Artic. III.

Pecca-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Peccatum insuper peccato grauius dicitur dupliciter scilicet per se, id est, ratione obiecti, & per accidens. Per se igitur tanto peccatum est grauius, quo maior est ille in quem peccatur. Quemadmodū ergo Christi diuinitas dignior est eius humanitate, humanitas quoque ipsius sacramenti præstantior est: tanto grauius est peccatum, quod contra diuinitatem committitur, quàm contra humanitatem, & quod sit contra humanitatem Christi, quàm cōtra sacramenta suæ humanitatis, & deindè sequuntur peccata quæ sunt cōtra putas creaturas. Vnde patet, quod licet peccatum indigne manducantis sit grauius multis peccatis, nō tamen omnium est grauissimum. Secundo autem dicitur peccatum magis, vel minus graue per accidens. Nam qui ex ignorantia, vel debilitate illicite agit, minus peccat quàm qui ex certa scientia, vel contemptu peccat. Et ergo per accidens grauari potest prædictum peccatum.

2. ¶ At verò peccatori publicè perseuerāti in peccato mortali, vt vsurario, vel raptori, neganda est sacra communio, donec confiteatur atq; pœniteat, ac reconcilietur ecclesiæ. Sed si peccator sit occultus, non est denegandum eucharistiæ sacramentū. Nā eo quod baptizatus est Christianus, admissus videtur ad hoc sacramentum. Non ergo eo carere priuandus debet, nisi publice confiteatur, vel conuincatur de crimine.

3. ¶ Porro nocturna pollutio, quanuis secundum se non sit peccatum mortale, tamen propter causam suam potest habere mortale peccatum annexum. Interdum nanque contingit ex illusione dæmonum, quandoq; ex cogitationibus præcedentibus, quandoq; ex superfluitate cibi & potus, sæpè quoq; ex superfluitate, vel debilitate naturæ. Quælibet autem causarum harum esse potest cum mortali peccato, & item cum veniali, & etiam sine omni peccato. Illusio namq; diaboli fieri potest ex sola eius malitia, & sic nullum erit peccatū. Quandoque verò contingit ex præcedenti negligentia præparādi se ad sacramentum, quæ negligentia esse potest mortalis, vel venialis. Similiter cogitationes præcedentes lasciuæ esse possunt sine peccato, vt cum gratia lectionis aut disputationis assumuntur. Quandoq; sunt mortales, vt si assensus in peccatum sit plenus. Si autem ratio perfectè non consentit, erit venniale peccatū. Itē superfluitas cibi & potus esse potest mortalis & venialis, & similiter ipsa superfluitas naturæ. Infirmitas autem

tas autem naturæ quādoque sine peccato est. Vnde & aliqui vigilando sustinent fluxum seminis sine peccato. Quandocumque ergo nocturna pollutio habet causam mortalē præcedentem, de necessitate à sacramēto abstinere oportet, nec sine peccato mortali accedit. Dum verò caret peccato, vel veniale peccatum habet, tunc abstinendum est propter congruentiam, tam ratione immūditiæ corporalis, ob quam propter sacramenti reuerētiam à susceptiōe eius cessandum est, quam propter mentis euagationem, quæ pollutionē nocturnam consequi solet. Præsertim quando ex imaginatione turpi causatur. Et hoc modo decet à cōmuniōe cessare, etiā propter mortalē concubitū, quanuis peccato carentem, dempto necessitatis articulo. Sed & somnium homicidij si ex causa quæ est mortale peccatū processit, à communione impedit.

4. ¶ Ordinauit autem ecclesia à ieiunis debere accipi sacramentum. Primo propter eius reuerentiam. Secundo propter mysterium, scilicet vt ipsum primo in cordibus nostris fundetur. Tertio ad vitandum periculū ebrietatis ac vomitus. Si tamen reliquiæ ciborum in ore remanētes trāsciantur per gutur, non impeditur sumptio sacramenti, quia nihil accipitur per modum cibi, vel potus.

¶ *An hoc sacramentum dandum sit non habentibus vsum rationis.* 2. *An sit quotidie sumendum.* 3. *An liceat omnino abstinere.* 4. *An liceat corpus sine sanguine sumere.* Articulus 113.

AT verò qui nunquam vsum rationis habuerūt, cōmunionē sumere non debēt, nec eis præstari, quia huius sacramenti deuotionem nunquā habuerūt. Si verò aliquem vsum rationis quanuis debilē habent communicari possunt: & si illum vsum amittant, tubilominus in articulo mortis possunt sacramētum recipere, si ante eius affectū habuerant: licet tunc in frenesim aut similem incidant morbum, nisi timeatur periculum expulsionis seu vomitus. De baptizatis verò qui corporaliter à dæmonibus vexantur, eadē ratio est. Vnde Cassianus refert, quod eis qui ad immundis vexantur spiritibus, communionem sacrosanctam à seniioribus nostris nunquam inuenimus interdictam.

2. ¶ Præterea illud sacramentum spiritualis alimonia est, & maximè virtuosa atq; salubris. Duo igitur in communione pē sanda sunt. Vnum ex parte sacramenti, sicq; expedit sacramentum quotidie recipere. Aliud ex parte recipientis, videlicet

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt cum magna reuerentia & deuotione accedat. Si ergo quis se quotidie paratum inuenerit ad sic accedẽdum, securus accedat quotidie. Sed quia quotidie multa impedimenta deuotionis illius occurrũt propter indispositionem mẽtis & corporis, non expedit omnibus quotidie sumere, sed eis qui paratos se exhibẽt, quemadmodũ ait Augustinus: Ille panis quotidianus est, accipe quotidie quod tibi quotidie prosit. Et vt insinuet quibus hoc dixerit, addit: Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Sciendum quoq;, quod secundum antiquos canones à Papa Clemente erat statutum, vt habetur de consecratione distinctione secunda. Si mane dominica portio ediatur, vsq; ad sextam ieiunent ministri: & si tertia, vel quarta acceperint, ieiunent vsq; ad vesperum: hoc tamen nunc per contrariam consuetudinem sublatum est, quia nunc frequentius missarum celebrantur solennia. Debet tamen esse aliqua mora inter sumptionem huius sacramenti & reliquos cibos.

3. ¶ Demum in primitiua ecclesia vigente deuotione fidei Christianę, fideles quotidie communicabant. Sic enim statuerũt Apostoli, vt Anacletus Papa testatur. Postea hac deuotione refrigescente, Fabianus Papa instituit, vt saltem tres in anno communicent, scilicet in Pascha, Pẽtecoste & natali Christi. Postremo propter abundantiam iniquitatis emergentem, Innocentius tertio statuit, vt saltem semel in anno, scilicet in Pascha communicent.

¶ Amplius non est necesse hoc sacramentum sacramentaliter sumere, sed sufficit spiritualis sumptio, dũmodo esset votum recipiendi ipsum sacramentum: quod etiã implere oportet, dum opportunitas adest, non solum ex ordinatione Ecclesiæ, sed & ex mandato Christi dicentis: Hoc facite in meam commemorationem.

4. ¶ Adhuc quantum est ex parte sacramenti, non decet corpus Christi sine sanguine maximè à sacerdotib⁹ sumi. Sed ex parte recipientium ordinatum est in quibusdam Ecclesijs, vt non bibat populus qui communicatur, sanguinẽ Christi seorsum, ad vitandum irreuerentiæ & effusionis periculum.

¶ An Christus sumpsit proprium corpus & sanguinem. 2. An dederit Iudæ. 3. Quale corpus dedit discipulis. 4. Quomodo habuisset se in triduo mortis sub hoc sacramento. Articulus. 114.

MElius insuper dicunt, qui asserunt Christum proprium corpus & sanguinem sub sacramento in cœna sumpsisse: quemadmodum ipse quoque baptizari volebat, vt nos suo exemplo ad baptismum induceret. Cœpit enim Iesus facere & docere. Vnde quod alijs agere commẽdauit, ipse primo impleuit. Propter quod quidam metrice dicunt: Rex sedet in cœna turba cinctus duodena. Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

2. ¶ Denique Hilarius super Matthæum affirmat, q⁹ corpus suum Christus Iudæ non dedit in cœna. Sed hoc non conuenit magisterio Christi, cuius omnis actio est nostra instructio. Non enim debuit occultum peccatorem publicare, vel tali discretione Iudam exasperare. Dicendum ergo, q⁹ Iudas cum alijs discipulis corpus & sanguinem Christi accepit, quẽ admodum in Eccle. Hierarchia Dionysius & Augustinus super Iohannem testantur, quod etiam Chrysost. asserit: Non est tamen putandum, quod dedit sibi corpus suum sub pane intincto, sed ante cum alijs, secundum Augustinum.

3. ¶ Præterea Hugo de sancto Victore asserit Christum in hac vita diuersis temporibus omnes dotes corporis glorificati assumpsisse, scilicet subtilitatem in natiuitate ex vtero clauso, agilitatem ambulãdo super aquas, claritatem in transfiguratione, impassibilitatem in cœna tradendo corpus suum discipulis. Et ita secũdum eum Christus dedit Apostolis corpus impassibile. Sed hoc stare non valet. Idem nanq; corpus dedit in sacramento sicut in propria specie fuit. Et ergo tale dedit quale habuit, scilicet passibile. Quod tamen fuit sub speciebus sacramenti impassibili modo. Quia secundum q⁹ ibi erat, non erat tangibile, vel sensu percepibile, quia nõ comparatur ad aliquid extra se per propria accidentia.

4. ¶ Ex quo etiam sequitur, quod ea quæ Christo secundum se attribuuntur, poterant dici de Christo si fuisset corpus eius seruatum in pixide tempore passionis, vel in triduo mortis. Non autem illa quæ sibi conueniunt per comparationem ad agens extrinsecum. Vnde verum fuisset, quod Christus in pixide mortuus fuisset & doleus, &c. Crucifigi autẽ, irrideri & talia sibi non competebant, nisi per comparationem ad aliquid extra se. Et ergo prout sub sacramento fuisset, sibi non conuenissent. Et quoniam in triduo mortis separata erãt anima, corpus, & sanguis: ideirco sub sacramento separata fuissent, de quo metrice dicitur: Pixide seruato poterat sentire dolorem Innatum, sed non illatus conuenit illi.

¶ Virum

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Vtrum consecrare hoc sacramentum sit proprium sacerdoti. 2. An plures possint eandem hostiam consecrare. 3. An dispensatio huius sacramenti sit sacerdotis. 4. An consecrans possit à communione abstinere. 5. An malus sacerdos conficere queat. Art. 115.

NEmo præterea agens aliquid quod suâ propriâ virtute excedit virtutem operati potest, nisi in potestate illius qui sibi agendi potentiam præstitit. Consecratio autem huius sacramenti omnem naturalem atque humanâ potentiâ superat. Nemo igitur ipsum cõficere potest, nisi cui à Christo potestas hæc data est, vtpote sacerdoti.

2. ¶ Porro dum ordinatur sacerdos, ponitur in gradu eorũ quibus Christus in cœna dedit cõsecrandi virtutem. Quemadmodum ergo Christo cœnanti concœnauerunt Apostoli ita secundum quatundam consuetudinem Ecclesiarum, sacerdotes dum ordinantur, concelebrant episcopo ordinãti. Omnium enim intentio ad idem instans refertur, & omnes sunt vnum in Christo, vt Innocentius tertius dicit.

3. ¶ Amplius quoniam sacerdos consecrat in persona Christi: ideirco sicut ipse Christus personaliter hoc sacramentum confecit & alijs dedit: sic sacerdotis est non solum cõficere, sed & dispensare hoc sacramentum, & nõ diacoui neque alteritis, nisi in casu necessitatis, vt si caderet super terram. Secundo, quoniam sacerdos est medius inter deum ac populũ. Sicut igitur preces populi offert deo: sic sacramẽta deinde populo habet populo. Tertio, quia hoc sacramentum non contingitur propter suam reuerentiam, nisi à re consecrata. Nam & corporale & calix consecrantur. Similiter manus sacerdotis, & non alhorum. Sed quoniam sanguis Christi tenetur in vase, potest diaconus propter propinquitatem suam ad sacerdotem sanguinem dispensare. Non autẽ corpus, nisi necessitate ingruente, aut certe episcopo, vel presbytero præcipiente. Vnde de cõsecratione distinctione secũda habetur. Presbyter per semetipsum infirmos visitat.

4. ¶ Insuper quandocunque sacerdos hoc sacramentum conficit, debet ipsum accipere, quatenus particeps eius fiat. Hoc enim sacramentum non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium. Omnis autem sacrificium offert participem eius consistere debet. Exterius nanque sacrificium signũ est sacrificij interioris, quo quis seipsum deo interius offert, secundum Augustinum decimo de ciuitate dei. Verumtamen si in altari

in altari corpus Christi sub specie carnis vel sanguis in specie sanguinis appareret, non esset sumenda à sacerdote, vt ait Hieronymus, nec ideo fieret sacerdos mandati transgressor: sed consulendum ei esset, quod denuo corpus domini Iesu consecraret & sumeret.

5. ¶ Præterea, quoniam sacerdos hanc consecrationem non facit vt homo ille, sed vt Christi minister, nec suo merito, sed diuina virtute: ideireo siue sit bonus siue malignus, veraciter consecrat. Quia & malus existens nõ desinit esse seruus. Habet enim deus seruos bonos & reprobos. Nam & dominorũ quidam sunt pij, quidam verò tyranni.

¶ An missa mali sacerdotis minus valeat quam boni. 2. An hæretici, schismatici, vel excommunicati possint conficere. 3. An etiam degradati. 4. An peccẽs à talibus cõmunionem recipientes. An liceat sacerdoti omnino à celebratione cessare. Articulus. 116.

COnsiderantur quoque in missa duo, videlicet ipsum sacramentum & orationes quæ dicuntur in ea pro viuis & mortuis. Quantum ergo ad sacramẽtum, nõ minus valet missa sacerdotis mali, quàm boni. Orationes verò considerantur dupliciter. Primo, prout efficaciam sortiuntur ex orantis deuotione ac merito: & sic missa mali sacerdotis minus valet, quàm boni. Vnde prima quæst. pri habetur. Quanto sacerdotes fuerint digniores, tanto in necessitatibus pro quibus clamãt, exaudiuntur. Secũdo prout dicũtur in persona totius Ecclesiæ, cuius personã gerit sacerdos etiã malus: sicque orationes sacerdotis mali sunt validę & fructuosæ, non solum quas dicit in missa, sed & in toto Ecclesiastico officio. Orationes verò eius priuatæ inanes sunt, quemadmodum Prouer. 28. dicitur: Qui declinat autem suã ne audiat legem oratio eius erit execrabilis.

2. ¶ Præterea aliud est, aliquid non habere. & non recte habere: vel non dare & non recte dare. Itaque qui ordinantur extra Ecclesiam, scilicet ab hæreticis & schismaticis, vel excommunicatis, verè ordinantur: quanuis non rectè. Habent quoque potestatem, quanuis non recte ea vtantur. Illi enim, qui per schisma, vel heresim aut excommunicationem extra ecclesiam fiunt, potestatem ordinis non amittunt. Et ideo hoc sacramentum verè conficere possunt. Alioquin dum ad Ecclesiam redeunt, reordinandi essent: Quod tamẽ non fit.

Et hæc responsio ex verbis Augustini secundo cõtra Permenianũ elicitur, quanuis quidã oppositum asserant. Authoritates autem, quæ ad oppositum sonare videntur, intelligendæ sunt quod extra ecclesiam, sacramentum non recte efferatur.

3 ¶Porro consecrandi potestas charactherem ordinis sacerdotalis, concernit. Cum ergo omnis sacramentorum character indelebilis sit, secundum præhabita, sequitur quod degradatus characterem non amittat, & per consequens nec consecrandi potẽtiam: quanuis executio ei prohibeatur in perpetuum, sicut excommunicatis ad tẽpus, nisi reconcilientur.

4 ¶Præterea quoniam hæretici, schismatici & excommunicati & etiam peccatores sua potestate male & non recte vtũtur si cõsecrent, non licet eorũ missas audire, aut ab eis cõmunẽ recipere. Qui enim alicui peccanti & male vtenti cõmunicat, particeps culpæ illius efficitur. Quoniã tamẽ omnes peccatores præsbyteri sunt suspensi per sententiam ecclesiæ ab executione consecrandi, quãuis quo ad diuina sententiã sint suspẽsi; ideirco libet eorũ missas audire, & ab eis sacramẽtũ recipere, quandiu non sunt per ecclesiam suspensi. Specialiter autem prohibuit ecclesia audire missam sacerdotis concubinarij. Quod intelligendum est de notorio, vel per sententiã quæ fertur in conuictũ, vel per confessionẽ in iure factã, quando peccatum nulla tergiuersatione potest celari.

5 ¶Insuper opportunitas celebrandi non solum pensanda est per comparationem ad Christi fideles, quibus sacramẽta præbentur, sed etiam quantum ad deum præcipue, cui in sacramenti consecratione sacrificiũ immolatur. Ideirco non solũ præsbyteri animarum curam habentes, sed & omnes sacerdotes si possibilitas adsit, celebrare tenẽtur interdum & sicut apparet, præsertim in festis præcipuis, illisq; diebus quibus fideles cõmunicare sunt soliti. Nam vnusquisq; dono gratiæ sibi à deo collato vti tenetur. Iuxta illud Apostoli Hortamur vos, ne in vacuum gratiam dei recipiatis.

¶An Christus in celebratione immoletur. 2. De tẽpore. 3. De loco celebrationis. 4. De alijs ad eius apparatũ spectantibus. Articulus vndecimus.

RAtio autem ob quã celebratio huius misterij immolatio Christi vocatur, est quoniã ipsa est imago representatiua immolationis Christi in cruce. Imago vero nomen eius cuius est imago sortitur, quẽadmodũ de imagine aliqua dicimus: Ille est Petrus, ille Dionysius

sius, item tatione effectus. Nam per hoc sacramentũ participes efficimur fructus dominicæ passionis, altare autem significat crucem Christi.

2. ¶Porro quoniam per celebrationem consequimur fructũ passionis dominicæ, ecclesia statuit, vt quotidie celebratio fiat, & nõ solũ semel in anno die illo quo passus est Christus. Et quia teste Augustino, Passio Christi celebrata est à tertia hora vsque ad nonam: Ideo regulariter in illa parte diei solenniter celebratur in ecclesia hoc sacramentum: sed in die parasceues non consecratur hoc sacramentum: quia enim figura est passionis Christi, illa die non fit quando res figurata exhibita est. Nam veniente veritate cessat figura. In natali autem Christi ter celebratur propter triplicem Christi natiuitatem, videlicet æternam, temporalem, & spiritualem, qua in mẽtibus nascitur electorũ. Potest quoq; missa celebrari in prima parte diei, videlicet quãdo aurora incipit apparere, si necessitas exigat vt dicit de cõsecratione distinctione prima. Nec debet sacerdos bis celebrare in die, nisi propter necessitatẽ.

3. ¶Præterea duo sunt in his, quæ hoc sacramentum circumstant, quorum vnum pertinet ad repræsentationem eorum, quæ circa Christi passionẽ sunt facta. Aliud verò ad reuerentiam pertinet sacramenti, vt cõsecrationes vasorũ. Quãuis autem Christus extra domum passus sit, tamen missa in domo fit, quæ designat ecclesiam, extra quam nõ est verum sacrificium. Tamẽ, vt habetur de consecratione distinctione prima. In itenere positis, si ecclesia defuerit, subdio vel subtẽtorio si tabula cõsecrata ac cætera sacra mysteria ad id officiũ pertinẽtia ibi affuerint, missarũ solennia celebrate cõcedimus. Regulariter verò celebrare non licet, nisi in locis ab episcopo cõsecratis. Vnde probabile est, quod aliqui dicunt, hominẽ consequi venialiũ peccatorum remissionẽ per ecclesiæ consecratæ ingressum: sicut per aquæ benedictæ aspersionẽ. Et sicut infans baptizatus à quocunq;, non est denuo baptizandus: sic locus ecclesiæ vel alter deo semel consecratus, non est iterum consecrandus, nisi sit vel igne exustus, vel sanguinis effusione, seu seminis pollutione fœdatus.

4. ¶Palla verò altaris, cathedra, candelabrum & velum si fuerint vetustate consumpta, incendio dantur, cinereſque eorum baptisterio inferantur, aut in pariete seu fossis pauimentorum iactentur, ne pedibus conculcentur.

¶De his quæ in celebratione dicũtur. 2. De his quæ in ea aguntur. 3. De his quæ circa eam occurrunt. Articulus 17.

QVemadmodum de consecratione distinctione prima habetur. Iacobus frater domini secundum canonem, & Basilius Cæsariensis episcopus addiderunt missæ celebrationem. Quia enim in hoc sacramento totum nostræ salutis mysterium cõprehenditur, ideo solennius celebratur. Primo itaque ante celebrationem huius mysterij præmittitur quædam præparatio, vt digne agatur. Cuius prima pars est laus diuina, quæ fit in introitu, qui vt frequenter sumitur ex psalmis, vel simul cũ Psalmo cãtatur. Quoniam Psalmi continent per modum laudis, quicquid in sacra scriptura comprehenditur, secundum Dionysium tertio Ecclesiasticæ Hierarchiæ capitulo. Secunda pars continet commemorationem præsentis miseriæ, dum dicitur Kyrie eleyson. Tertia pars agit memoriam cœlestis lætitiæ, dum dicitur, Gloria in excelsis. Quarta pars continet oratonem, quam facit sacerdos pro populo. Secundo verò præmittitur instructio populi, quæ dispositiue fit per doctrinam prophetarum & apostolorum, quam sequitur Graduale, spiritualem exultationem designans: vel Tractus, spiritualem gemitum significans. Et hoc in officijs luctuosis. Hæc enim consequi debent fideles ex doctrina prophetarũ & apostolorum. Deinde euangelium legitur, in quo populus perfectè instruitur. Post quod dicitur Credo, ad insinuandũ quod Euangelio perfectè credatur à populo. Deinde populo sic præparato acceditur ad celebrationem mysterij. Quod offertur, inquantum est sacrificium: & consecratur ac sumitur, inquantum est sacramentum. Primo ergo peragitur oblatio, secundo consecratur, tertio sumitur. Circa oblationem duo aguntur, videlicet laus populi, ad designandum eius lætitiam, & oratio sacerdotis. Circa consecrationẽ quoq; primo excitatur populus ad deuotionem, in præfatione. Qua finita populus cum deuotione laudat Christi diuinitatem cum angelis dicens: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Eius quoq; humanitatem cum pueris, addens: Benedictus qui venit. Deinde sacerdos secrete commemorat eos pro quibus offertur. Innocat quoque sanctorum patrocinia, quos memorat. Tertio petitionem concludit, dum dicit: Hęc oblatio pro quibus offertur Deinde accedit ad consecrationem. Primo petens a deo

deo eius effectum. Secundo facit eandem per verba Christi. Tertio præsumptionem excusat per obedientiam ad Christi mandatum, dum dicit: Vnde & memores. Deinde petit hoc sacrificium esse deo acceptum, postea eius effectum. Primo quantum ad viuos, secũdo pro mortuis, tertio quo ad ipsos sacerdotes, dicens: Nobis quoq; peccatoribus. Deinde agit de perceptione sacramenti. Primo præparando populum ad perceptionem per orationẽ cõmunẽ atq; dominicã. Secundo per orationem priuatam, qua dicitur: Libera nos domine, quę specialiter pro populo dicitur. Secundo præparatur populus per pacẽ, cum dicitur: Agnus dei. Deinde sequitur perceptio & vltimo totum officium consummatur in gratiarũ actione, populo exultante pro sumptione mysterij. Quod significatur per cõmunem: & sacerdote gratias referente in oratione, quẽadmodũ Christ⁹ post cœnã, hymno dicto cũ discipulis exijt. Cum autẽ orat sacerdos iube hæc perferri per manus sancti angeli, &c. Hoc orat pro corpore mystico, quod in hoc sacramento significatur, videlicet vt orationes sacerdotis ac populi angelus diuinis mysterijs assistens deo præsenter. Sublime verò dei altare vocatur triũphans ecclesia, vel ipse deus cuius participationẽ exposcimus. Per angelũ quoque intelligi potest Christus qui magni consilij angelus nominatur.

2. ¶Denique in officio missę tam verbis, quàm factis aliqua designãtur, quorum quædam significant ea quæ pertinẽt ad passionem Christi, vel dispositionẽ corporis eius mystici, vtpote populi Christiani, qui cum deuotione communicare tenetur. Quædam verò ad reuerentiam sacramenti respiciunt, vt quod manus lauantur, quarum etiam lotio secundũ Dionysium designat minimorum peccatorum emundationẽ. Manus enim extremitates sunt corporis. Similiter thurificatio significat effectum gratiæ dei, qua Christus bono odore plenus fuit, atque ab ipso deriuatur ad nos. Signationes verò cũ cruce repræsentant ea quæ in passione Christi fuerunt. Fractio autem hostiæ figurat diuisionem corporis Christi ab anima in passione, vel diuersum mystici corporis statum, vel distributionem gratiarum dei. Sacerdos demum quia alia missam eodem die facturus est, os suum post communionem vino non debet abluere.

3. ¶Insuper defectibus qui in missa contingere possunt, occurri potest & præueniendo, videlicet præcauendo ne acci-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dant,& subsequando vrpote adhibendo remediũ, vel saltem pœnitentiam. Vnde si sacerdos ante consecrationem per grauem infirmitatem vel alienationem aut simili modo impeditur missam perficere nõ oportet vt aliꝰ suppleat. Si verò post consecrationem corporis, vel corporis simul ac sanguinis illi contingat,debet per aliũ missæ celebritas consummari. Omnes enim sacerdotes sunt vnum in Christo, præsertim in huiusmodi casu. Item si sacerdos post consecrationem recordaretur, se manducasse vel bibisse, aut excommunicatum, aut in mortali peccato existentẽ, deberet missam perficere cum proposito emendandi. Sed si ante consecrationem illud illi acciderer,tutius videretur cessare: maxime si cõmedisset vel excommunicatus esset, nisi graue scandalum timeretur. Rursus si musca aut aranea ante consecrationem in calicem cadat,vel venenum esse vino immissum deprehendatur, debet sacerdos vinum effundere, aliudque vinum calice loto resumere. Si verò aliquid horum facta consecratione contigerit, debet animal caute capi,diligenter lauari, atque comburi, & ablutio simul cũ ommibus in sacrariũ mitti. Si autem videtur venenũ esse immissum,nec sumere debet, nec alij dare,ne calix vitæ vertatur in mortem. Sed debet in vasculo apto cum reliquijs conseruari, & ne sacramentũ maneat imperfectũ debet vinum aliud in calice ponere,atq; à consecratione sanguinis rursum resumere. Iterum si sacerdos ante consecrationem sanguinis,etiam post consecrationem corporis, viderit non esse aquam,vel vinum non esse in calice,debet statim apponere & consecrare. Si autem facta consecratione sanguinis percipiat aquã deesse, debet procedere,quoniã aquæ appositio non est de necessitate sacramenti. Ille tamen culpa negligentia hoc contigit,puniendus est. Aqua quoque nullo modo miscenda est vino consecrato, sequeretur enim corruptio sacramenti pro aliqua parte. Si verò post verba cõsecrationis percipiat vinum nõ esse in calice, si ante sumptionem corporis videat hoc debet vinum apponere, & aquam si ibi est effundere. Aliquid tamen aquę more solito vino miscere, atq; à verbis consecrationis sanguinis repetere. Quod si post sumptionem corporis istud deprehendat, debet apponere aliã hostiam simul cum vino consecrandam: quia in verbis sequentibus quædã occurrunt dicenda ac facienda, quę non solum sanguinem sed corpus quoq; concernunt. Et debet in

fine hostiã consecratam & sanguinem sumere,quanuis aquã primo in calice positam biberit, quoniam præceptum de perfectione sacramenti præponderat præcepto,vt à ieiunijs sumatur. Rursus si sacerdos non recolat se dixisse quędã quæ dicere debuit, nõ debet turbari. Non enim qui multa dicit,recolit se ea dixisse nisi appræhendat ea in dicendo sub ratione dicti. Et ergo si homo attẽte cogitet illud quod dicit, non tamen se cogitet dicere illud, non multum postea recolit se dixisse: sic nanque efficitur aliquid obiectũ memoriæ, prout accipitur sub ratione præteriti, vt dicitur libro de Memoria. Verum si probabiliter constet sacerdoti, se aliqua verba omisisse, quæ nõ sunt de necessitate sacramẽti, nõ videtur quod debeat ea resumere immutando ordinem sacrificij: sed debet procedere. Si autem aliquid quod est de forma sacramenti, omisisse se noscit,debet facere sicut nunc dictum est de defectu materię, repetẽdo à verbis consecrationis, ne mutetur sacrificij ordo. Proinde si per negligentiam aliquid de sanguĩne stillet in tabula quę terę adhæret, lingua lambetur, & tabula radetur. Si autem non fuerit tabula,terra radetur & cõburetur,ciniſque intra altare cõdetur, & sacerdos quadragintа dies pœniteat. Si autẽ super altare stillauerit calix, sorbeat stillam ministet,& tribus diebus pœniteat. Et si super, linteũ altaris ceciderit, & si vsque ad secundũ peruenerit stilla,quatuor diebus pœniteat. Si vsque ad tertiũ, nouem diebus. Si vsque ad quartum,viginti. Linteamina quoque ter lauet minister supposito calice, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondetur. Vel si sine abominatione fieri potest,à ministro poterit, quidam etiam patrem linteaminum quam stilla tetigit incidũt atque comburũt, & cinerem in altario aut sacrario ponunt. Si autem aliqua pars hostiæ decidat & inueniri non possit, triginta dies pœniteat. Prædictis vero diebus ieiunare, & à communione cessare pœnitentem oportet, quãuis pœnitentia augeri possit & minui pensatis pensandis.

¶ *Virum pœnitentia sit sacramentum.* 2. *De materia eius.* 3. *De forma ipsius.* 4. *An requiratur ad eam impositio manus.* 5. *An sit de necessitate salutis.* *Articulus* 1.

SAcramenta igitur appellantur, in quibus sub tegumento corporalium rerum diuina virtus salutẽ secretius operatur. Hoc autem pœnitentiæ conuenit. Nam per rem gestam in pœnitentia, aliquid sactũ signatur atque

Universidad de Deusto
Biblioteca

que efficitur. Peccator enim per ea quæ agit circa sacerdotē, designat se à peccato recessisse. Sacerdos quoque per ea quæ circa pœnitentem exercet, significat opus dei peccatum dimittentis. Est ergo pœnitentia sacramentum.

¶ Nomine autem corporalium rerum accipitur omne sensibiletta vt actus hominis sensibilis corporale materiale quæ datur in hoc sacramento. In sacramentis demum, in quibus confertur excellens gratia omnē naturalem facultatē transcendens, adhibetur aliqua corporalis materia: vt in baptismo, vbi remittitur pœna & culpa. In chrismate quoque, vbi confertur spiritussancti plenitudo. Et in vnctione extremæ in qua donatur sanctitas spiritualis perfecta. Vnde si in his sacramentis sint aliqui actus humani, nō sunt de essentia materiæ sacramentorum, sed dispositiue se habent ad eam. Sacramenta verò habentia effectum correspondentem humanis actibus, ipsos actus humanos loco materiæ habent, vt pœnitentia & matrimonium. In sacramento autem pœnitentiæ ipse actus exercitus per pœnitentem & absolutionem est sacramentū tantum, sed res tantum est gratuitus verò & sacramentum, est interior dolor, vel remissio peccatorum.

2. ¶ Denique proxima huius sacramenti materia est actus pœnitentis, vt dictum est. Sed quia hic actus est de peccato de quo dolet & confitetur: ideirco peccata dicuntur materia pœnitentiæ remota, non proxima. Principaliter verò & propriè pœnitentia est de peccato actuali mortali: quod nostra voluntate peractum est, & contra quod hoc sacramentum principaliter ordinatur. Propriè quoque, sed non primo principaliter, pœnitentia est de peccato veniali. Illud enim nostra voluntate committitur, sed pœnitentia contra ipsum primo principaliter nō ordinatur. Peccatū autē originale nec nostra voluntate commissum est, nec contra ipsum ordinatur pœnitentia, sed baptismus. Propterea nec principaliter nec propriè est de eo pœnitētia, nisi omnino communiter accipiatur pro quacunque detestatione rei præteritæ.

3. ¶ Præterea in pœnitentia actus pœnitentis est loco materiæ, actus autem sacerdotis loco formæ, ipse enim absoluit pœnitentiam, quia perfectio est à forma. Sacramenta quoque nouæ legis efficiunt quod figurant. Et ergo forma pœnitentiæ continere debet significando quod in sacramento agitur, videlicet remissionem peccati. Et ideo hæc est communissima

nientissima forma pœnitentiæ. Ego te absoluo. Quemadmodum in baptismo: Ego te baptizo, &c. Et sumitur hæc forma ex verbis quibus Christus Petro dixit: Quodcunque solueris super terram, &c. Vnde aliæ absolutiones in publico factæ, vt: Misereatur tibi omnipotens deus, vel indulgentiam tribuat, non sunt sacramentales absolutiones, sed orationes, ne impediatur effectus huius sacramenti ex parte pœnitētiū. Sed quoniam iste effectus à deo principaliter manat, conuenienter additur in forma: In nomine patris & filij & spiritussancti: vel per virtutem passionis Christi, seu authoritate dei. Verum quia hoc ex verbis Christi determinatum non est sicut in baptismo, talis appositio relinquitur arbitrio sacerdotis. Quidā autē hanc formam Ego te absoluo, ita exponunt, id est absolutum ostendo. Sed hæc expositio perfecta nō est, sacramenta enim nouæ legis agunt quod figurant. Et ergo sacerdos instrumentaliter absolutioni cooperati credēdus est. Propter quod melius exponitur hoc modo: Ego te absoluo, id est, sacramentum absolutionis tibi impendo.

4. ¶ At verò impositio manus designat copiosum effectum gratiæ, quia illi quibus imponitur manus, confirmantur in fide, in quibus copia gratiæ esse debet. Cùm ergo in pœnitētia detur remissio culpæ, nec ipsa ad excellentem gratiā, sed ad indulgentiam ordinetur, non requiritur ad eam impositio manus. Amplius sacramentum pœnitentiæ non est necessarium ad salutem absolute & omnibus, sed ex suppositione, eis videlicet solum, qui peccatis subiecerunt seipsos, quorum est pœnitentia spiritualis medicina.

¶ *De ordine pœnitentiæ ad alia sacramenta. 2. De institutione eius. 3. De duratione & cōtinuatione ipsius. 4. An possit iterari. Art. 119.*

PRæterea quod est per se, naturaliter prius est illo quod est per accidens. Baptismus autem cum sit spiritualis regeneratio, & Cōfirmatio quæ est spirituale augmētum, Eucharistia quoq; quę est spirituale alimentum per se ordinantur ad hominis salutem: pœnitētia autem quasi per accidens, scilicet præsupposito morbo i. peccato. Ideo pœnitentia tenet secundum locum respectu status integritatis, quæ per prædicta sacramenta conseruatur. Vnde secundū Hieronymum dicitur metaphorice secūda tabula post naufragium. Transeuntibus enim mare primum remediū est, vt saluentur in integra nauiqua fracta secundū remedium est, vt per

vt per adminiculū tabulæ euadant. Pariformiter in hoc mari magno primum remedium est, vt homo integritatem cōsequatur. Secundum vt perditam per pœnitentiam reparet.

2. ¶ Porro sacramenta ex materia & forma cōstāt. Dictum est autem, quod in sacramento pœnitentiæ actus peccatoris est loco materiæ, actus verò sacerdotis absoluentis pro forma. Quemadmodū ergo in alijs sacramentis materia præexistit à natura vel arte, vt aqua in baptismo, & panis in eucharistia: forma autem est ex institutione diuina, per quam materia applicatur ad aliquid certum per formam sacramentalem à Christo collatam: sic in hoc sacramento id quod est materiale, videlicet pœnitere de peccato, est de iure naturali: sed forma & modus, virtus atq; effectus huius materiæ est ex institutione Christi. Et sic pœnitentia formaliter est à Christo instituente hunc modum, qui seruatur in ecclesia.

3. ¶ Amplius pœnitētia duplex est, scilicet interior, qua quis in se de peccato dolet. Et illa semper vsque in finem durare debet. Semper enim debet homini displicere, quod peccauit. Alia autem pœnitentia exterior dicitur, in verbis & signis consistens. Et hanc non oportet semper durare, sed ad certū tempus secundum mensurā delicti, prout à sacerdote imponitur. Insuper pœnitentia continua esse debet, non secundum actum sed habitum, vt scilicet nil agat homo, veræ pœnitentiæ contrarium, semperque propositum gerat detestandi peccatum.

4. ¶ Fuerunt etiam qui dixerunt non posse iterari pœnitentiam, vel non nisi semel. Quod falsum est, nam charitas quæ est pœnitendi principiū amitti potest, & recuperari: nec peccatum tam enorme est, quin diuinæ misericordiæ plenitudo in infinitum excedat.

¶ Veruntamen quoniam aliqui iudaizantes putabant baptismum posse iterari in noua lege: sicut in veteri lege, varia lauacra erant, in quibus lauabant se atque purgabant: Iudæi frequenter. Ideirco ad hoc excludendum dixit Apostolos ad Hebræos sexto: Impossibile est eos qui semel illuminati sunt & gustauerunt donum cœleste & prolapsi sunt, renouari ad pœnitentiam, scilicet reiterando baptismum.

¶ Vtrum pœnitentia sit virtus. 1. An sit virtus specialis. 3. Sub qua virtute contineatur. 4. De eius subiecto. 5. De causa ipsius. 6. De ordine eius ad alias virtutes. Articulus 120.

EST

EST autem pœnitere, de aliquo à se facto dolore. Dolor verò est duplex, scilicet appetitus sensitiui qui est passio, nec est actus virtutis, sed per virtutem moderatur. Alius est dolor voluntatis, qui cum electione rationis rectæ assumitur. Et iste quoniā est actus bonus habētem perficiens, necesse est quod sit actus virtutis. Hoc igitur modo pœnitentia est virtus, secundū quod pœnitens per eā assumit moderatum dolorem de malo cum proposito abstinendi. Pœnitentia itaq;, de qua nunc sermo agitur, est virtus vel actus virtutis. Nam actus humani sunt materia eius q̄ in baptismo & confirmatione nō inuenitur. Item de pœnitētia & actus eius dantur præcepta. Ergo est virtus. Præcepta enim legis dantur de actu virtutum.

2. ¶ Deniq; virtutes distinguūtur per actus. Pœnitētia autē actum specialem habet, videlicet operari ad destructionem peccati præteriti, inquantū est offensa dei: quod ad aliā virtutem non pertinet. Est ergo pœnitētia virtus specialis. Nam peccata sunt eius obiectū sub speciali ratione, vtpote vt emēdabilia per actus hominis deo iustificanti cooperantis. Qui enim creauit te sine te, non iustificabit te sine te.

3. ¶ Adhuc autem pœnitentia prout est virtus, & pars iustitiæ & species eius, ad pœnitentiam enim pertinet nō solum cessatio à peccato, sed & recompensatio quædam pro offensa, quod ad cōmutationem spectat, quæ potissime inuenitur in virtute iustitiæ. Tamen inter deum & creaturam non potest esse iustitia simpliciter dicta, videlicet quæ est inter æquales: sed iustitia secundum quid, id est secundum acceptationē superioris. Creatura quippe deo debet omne quod habet & est. Nec tamen hoc sufficit, nisi secundum quod deus illud acceptat.

4. ¶ Aduertendū etiā, quod pœnitētia prout est virtus, est in voluntate, cū sit species iustitiæ, & cuius subiectū voluntas est. Si autē sumatur pœnitētia pro dolore appetitus sensitiui, qui est species tristitiæ, sic subiectū eius esset vis cōcupiscibilis.

5. ¶ Insuper pœnitentia quæ est virtus à deo est ac habitur, qui à deo immediate infunditur cooperantibus nobis, non principaliter, sed dispositiue per alios actus.

¶ Actuum verò pœnitentiæ, per quos deo operanti in pœnitentia cooperamur, primum principium est operatio dei nos conuertentis ad se, iuxta illud Threnorum. 4. Conuerte nos

domine

domine ad te,& conuertemur. Secundū principiū est actus fidei. Tertiū motus timoris seruilis,quo homo timore pœnarum à malis retrahitur. Quartū principiū est motus spei, per quem sub spe misericordiæ proponit quis mores corrigere. Quintum est actus charitatis, dum peccatori displicet in se secundū se,non propter supplicia. Sextū est motus timoris filialis, quo propter reuerentiā dei pœnitens ad emendā se sponte se offert. Patet ergo,quod pœnitentia à timore seruili procedit,sicut à primo motu affectus ad hoc ordinante. A timore verò filiali, sicut à proximo atq; immediato principio.

6. ¶ Denique quia virtutes connexæ sunt, quantū ad habitum omnes simul incipiunt: Nec vna tempore prior est alia quo ad habitū, sed quo ad actū dicitur vna naturaliter prior alia. Et hoc modo pœnitentia non est simpliciter prior aliis virtutibus. Virtutes enim theologicæ eam præcedunt, tamen quantum ad aliquid potest dici prior alijs, scilicet in iustificatione impij. Simpliciter verò aliæ virtutes naturaliter præcedunt eam,eo quod per se necessariæ sint homini. Pœnitentia autem quodam suppositio, puta peccato.

¶ Vtrum peccata mortalia per pœnitentiā auferātur.2. An aliter non possint.3. An vnū sine alio possit remitti. Articulus xxi.

OMnia demum peccata pœnitentiā tolli possunt in hac vita: tum propter flexibilitatem voluntatis humanæ: tum propter meritū passionis Christi cuius virtute pœnitentia operatur: tum propter immensitatē diuinæ clementiæ. Damnati autē cum spe veniæ pœnitere nō valent, eo quod culpa nō displiceat eis inquantum culpa,sed solum propter pœnā annexā. Et talis erat pœnitentia Antiochi & & Esau: quorū neuter ex vera charitate pœnituit loquendo de illo verbo quod ait Apost. quod Esau locū pœnitentiæ non inuenit: quanquā cum lachrimis inquisisset eā.

2. ¶ Præterea peccata mortalia actualia deleri nō possunt, nisi per pœnitentiā, quæ est virtus, propter offensam dei quæ directe contrariatur gratiæ eius. Non autem peccatū dimittitur, nisi per hoc, quod homo gratiā dei acquirit, per quam deo gratus est atque acceptus. Potest tamen deus peccatum dimittere sine sacramento pœnitētię, prout perficitur per sacerdotis soluentis ac ligantis officium.

3. ¶ Ex eodem quoque elucessit quod vnum peccatum mortale sine alio dimitti non valeat. Non enim peccatū dimit-

tur,nisi gratia restituatur. Peccatum autem mortale cum gratia stare non potest. Item peccatum mortale non potest dimitti sine pœnitētia,quæ est virtus, per quā de peccato quis dolet, inquantum est contra deum super omnia dilectum. Cūm ergo omne peccatum mortale diuinæ dilectioni directe contrarietur,non potest quis dolere de vno nō pœnitendo de alio. Rursus perfectiom diuinæ benignitatis repugnat, & derogat vt ab ea non plena sed partialis aut media venia expectetur siue speretur.

¶ An pœnitentia auferat culpam remanente reatu.2. An maneant reliquiæ peccatorum.3. An peccata auferre competat pœnitentiæ, prout est virtus, vel secundum quod est sacramentum. Art.xxii.

IN peccato præterea sunt duo, videlicet auersio à bono diuino. Et ex hac parte debetur peccato pœna æterna quoniam bonum diuinum infinitum est. Secūdo est in peccato conuersio ad bonum commutabile,tale autem bonum finitum est, & ideo ex hac parte debetur peccato aliqua temporalis pœna. Inæqualitas enim culpæ per pœnā ad ordinem æquitatis reducitur. Nam iustum est,vt qui propriæ voluntati plus iusto indulsit, aliquid cōtra voluntatem suam pati cogatur. Quoniam ergo per gratiam quæ in pœnitentia datur, aufertur auersio mētis à bono diuino: idcirco per pœnitentiam tollitur reatus pœnæ æternæ. Potest tamen manere reatus seu obligatio temporalis pœnæ.

1. ¶ Præterea peccatum mortale ratione cōuersionis ad bonum caducum causat dispositionem seu habitum malum in anima,si actus frequenter iteretur. Quāuis autem per gratiā auferatur peccatū mortale, quantum ad suum formale quod est auersio à Deo: nō tamē oportet, vt statim tollatur inordinata conuertio ad bonum creatum atq; caducū, quæ est materiale in peccato mortali, quanuis per gratiam diminuatur ac debilitetur: quemadmodum fomes in baptismo,ne hominī dominentur. Et ideo reliquiæ peccati post culpæ mortalis remissionem manere dicuntur: quæ per opera satisfactoria & virtuosa tolluntur. Interdum nihilominus Deus tāta cōtritione cōuertit cor in se, vt subito etiam vno actu & peccata & reliquiæ eorū auferātur,sicut in Maria Magdalena. Quandoq; verò successiue hoc facit: quemadmodum etiam quosdam corporaliter repente sanauit, vt socrum Petri. Quosdam paulatim,vt cæcum illum,qui primo vidit homines quasi ar-

bores ambulantes, de quo scribitur Mar. 8.

3. ¶At verò pœnitentia virtus est, prout est principiũ actus humani. Actus verò hominis in sacramento pœnitentiæ est loco materiæ, & actus sacerdotis loco formæ, qui virtute claujum absoluendo perficit sacramentum. Effectus autem sacramentorum cõsequitur sacramenta, non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ, quanquis forma principalius operetur. Patet igitur, quod remissio culpæ sit effectus pœnitentiæ principaliter, prout est sacramentũ virtute clauiũ operans. Secundario autem, prout est virtus, inquantum actus humani & pœnitentis ad veritatem pœnitentiæ sacramentalis requiruntur atque ad claues aliqualiter ordinantur.

¶Virum peccatum veniale potest dimitti sine pœnitentia. 2. An etiã sine gratiæ infusione. 3. An venialia dimittantur per aspersionem aquæ benedictæ. 4. An per tunsionem pectoris, &c. 5. An veniale potest dimitti sine mortali. Articulus 123.

REmissio verò peccati fit per coniunctionem mentis cum Deo. Quoniam ergo veniale peccatum mentem à Deo aliquo modo retardat atque elongat, dimitti non potest nisi per pœnitentiã, qua homo detestetur peccatum. Quandiu enim voluntas peccato adhæret, ipsum dimitti nõ valet. Sed ad pœnitentiam peccati mortalis requiritur, vt homo quantum in se est, singula peccata mortalia recordando detestetur, adhibendo diligẽtiam debitam ad memorandum. Hoc autem ad remissionem venialiũ non est necesse. Nec tamen sufficit displicẽtia habitualis, quia sic charitas & gratia non compaterentur secum veniale peccatum: sed exigitur displicentia virtualis, videlicet, vt cum quis fertur hoc modo in deum resque diuinas vt detestetur, quicquid ei occurrit ab hoc motu retardans. Quod ad remissionem mortalium peccatorum non sufficit, nisi quantum ad oblita post inquisitionem solicitam. Feruor autem charitatis includit virtualem displicentiam omnium venialium peccatorum, & ideo dimittuntur per eum.

2. ¶Porro vnum contrarium extirpatur per reliquum. Peccatum autem veniale non contrariatur charitati, sed charitatis feruori: ideirco ad remissionẽ venialium non oportet infundi nouum habitum charitatis vel gratiæ: sed esse aliquem actum charitatis seu gratiæ. Veruntamen quoniam in habentibus vsum liberi arbitrij, non contingit infusio gratiæ sine actuali

actuali motu liberi arbitrij in Deum & in peccatum, id est, contra peccatum. Ideirco quandocunque infunditur gratia, venialia dimittuntur.

3. ¶Denique venialia tripliciter dimittuntur per aliqua. Primo secundum quod in eis infunditur gratia, hicq; per eucharistiam & vnctionem extremam, imo per omnia sacramenta nouæ legis venialia indulgentur, quia in eis sacramentis gratia datur. Secundo inquantum sunt in aliquo motu detestationis peccati, & sic per confessionem generalem, pectoris tunsionem, & oratiõnem dominicam venialia ignoscuntur. Tertio, prout sunt cum quodam motu reuerentiæ in Deum atque diuina: & ita benedictio episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, quædam sacramentalis vnctio in ecclesia dedicata, & si qua sunt similia, ad venialiũ operantur remissionẽ, non tamẽ efficiunt reatus pœnæ distinctionẽ, nisi secundũ maiorem vel minorem charitatis feruorẽ in eo cui impenduntur.

4. ¶Amplius quoniam dictum est nullum peccatum dimitti, nisi per virtutem gratiæ vel aliquem eius actum. Ideirco qui in mortali peccato est, consequi nequit remissionem alicuius venialis peccati, eo quod omni gratia careat. Pertinet autem ad gratiã Dei, quod Deus peccatum non imputat homini, sed hominẽ sibi acceptum facit & habet. Vnum tamen peccatum veniale sine alio potest dimitti, quoniam veniale non excludit omnem actum gratiæ, sicut mortale. Et ergo per alium gratiæ actum venialia omnia dimitti nil prohibet.

¶Virum peccata dimissa persequent peccatum redeant. 2. An redeant per ingratitudinem secundum quædam genera culpæ. 3. An redeant in æquali reatu. 4. An ingratitudo prædicta sit speciale peccatum. Articulus 124.

OMnibus autem peccatis mortalibus commune est ipsa auersio mentis à deo, & per consequens macula quæ est ex priuatione gratiæ, reatus quoq; pœnæ æternæ, quæ peccato mortali debetur, propter auersionem à bono diuino immenso. Sunt autem macula & reatus omni peccato mortali communes. Et secundum hoc accipiendum est quod Iacobi 2. habetur: Qui offendit in vno factus est omnium reus. Quãtum verò ad conuersionẽ inordinatam ad bonũ creatum, peccata mortalia distinguuntur, & quandoq; contrariantur, vt prodigalitas & auaritia. Vnde palam est, quod vnũ non facit aliud hoc modo redire. Est itaq;

quæstio, an macula & reatus pœnæ æternæ secundum quod causabantur ex actibus peccatorũ, prius dimissorum redeant per sequens peccatum. Quidam ergo dixerunt, quod sic. Sed hoc stare non potest, cum enim remissio culpæ sit opus diuinæ clementiæ, per peccatum hominis irritari nõ potest, iuxta illud ad Romanos 3. Nunquid incredulitas illorum fidẽ Dei euacuauit? Vnde alij ponentes peccata redire dixerunt, quod deus indulget peccatori iterum peccaturo secundum præsentem iustitiam, non autem secundum suam præscientiam. Hoc verò dici non potest, sic enim nõ fieret remissio peccatorum absolute, sed conditionaliter solum, quod gratiæ Christi & sacramentis ecclesiæ, per quæ peccata dimittuntur, repugnat ac derogat. Essent enim insufficientes & non absolute causæ dimittendi peccata. Dicendum ergo peccata dimissa per sequentia nõ redire simpliciter, sed secundum quid: inquantum peccatum sequens virtualiter cõtinet in se offensam peccati prioris, & propter illud grauius redditur, propter ingratitudinem veniæ exhibitæ & recidiuum. Et sic intelligẽdæ sunt authoritates, quæ dicere videntur, quod peccata redeant.

2. ¶ Deniq; per quatuor peccata reiterata, specialiter peccata dimissa redeũt modo prædicto videlicet per odium fraternum, apostasiam à fide, contemptum confessionis, & dolorem de pœnitentia peracta. Peccata enim redeũt propter ingratitudinem. Vel ergo ingratitudo est contra beneficium datum Et sic per quodlibet peccatum mortale sequẽs, dimissa peccata redeunt, nam quolibet peccato mortali fit homo Deo ingratus qui peccatum indulsit. Alio modo ingratitudo est non tantum contra beneficium, sed etiam beneficij notam, quæ ex parte benefacientis est ipsa remissio culpæ, contra quam est fraternum odium, dum homo homini veniã postulanti non ignoscit. In pœnitentia autem est duplex motus liberi arbitrij. Vnus in Deum, qui est motus fidei per charitatem formatæ. Et cõtra hoc agit homo apostatando à fide. Actus est motus in peccatum, qui est actus pœnitentiæ. Et contra hunc est dolor de pœnitentia facta. Pertinet quoq; ad pœnitentem vt proponat se clauibus ecclesiæ subdere per confessionem. Contra quod est contemptus confessionis. Itaq; horum peccatorum ingratitudo specialiter facit redire peccata, non quod ipsa sint simpliciter peccata grauissima, sed quia directius opponuntur beneficio remissionis culparum. Secundum

dum prædictam quoque modum peccata venialia & originale redire possunt.

3. ¶ Porro quia peccata dimissa non redeunt secundũ quod ex prioribus actibus causabãtur, sed modo nunc dicto. Idcirco falsa est eorum opinio, qui dicũt quod ex peccato sequenti propter ingratitudinem consurgit tantus reatus, quantus fuit omnium dimissorum peccatorum reatus supra reatũ huius proprij peccati: quanuis peccatum sequens proportionabiliter tanto fiat grauius, quanto maius beneficiũ remissionis antè fuit indultum. Potest quoq; vnum peccatũ sequens tam graue esse, vt omnia peccata dimissa fuerunt. Hoc tamẽ non est peccata dimissa redire, nisi prout virtualiter cõtinentur in sequenti.

4. ¶ Adhuc autem ingratitudo quandoque ponitur speciale peccatum, videlicet dum aliquid fit in contemptum Dei aut beneficij præstiti. Peccata enim speciem sumunt ex intẽtione peccantis. Interdum verò ingratitudo est generalis circumstantia sequens omne peccatum mortale, inquantum homo non retrahitur à peccato ob hoc, quod ad dei irreuerentiam pertinet. Quanuis enim non omne peccatum fit ex contemptu, deus tamen in omni peccato cõtemnitur, saltem in suis præceptis.

¶ An per pœnitentiam restituantur virtutes. 2. An reddantur in æquali quantitate. 3. An restituatur peccanti æqualis dignitas. Art. 125.

HOmo itaque per pœnitentiã remissionem peccatorum consequitur. Dictum est autem non fieri remissionem peccati sine gratiæ infusione. Cùm ergo gratia sit omnium virtutum gratuitarũ principium sequitur, quod per pœnitentiam restituãtur homini omnes virtutes. Pœnitentia verò inquantum est sacramentum gratiam causat: sed prout est virtus causatur à gratia, sicut & cæteræ virtutes, quibus etiam connexa est, quãtum ad habitum. Virtutes verò infusæ cum gratia per pœnitentiam, quia non tollunt contrariam dispositionẽ videlicet reliquias peccatorum priorum, cum difficultate operantur, donec per actus virtuosos contraria dispositio auferatur. Sed virtutes acquisitæ talẽ difficultatem non habent annexam, non enim acquiruntur nisi contraria dispositione sublata.

2. ¶ Amplius in iustificatione impij motus liberi arbitrij, puta contritio, se habet vt vltima dispositio ad gratiam reci-

piendam: vnde simul in eodem instanti infunditur gratia ex motu prædicto. Quanto autem dispositio subiecti fuerit maior vel minor, tanto forma plenius aut debilius participatur. Quo ergo contritio pœnitentis est maior vel minor, eo pœnitentiam statim ei gratia plenior siue debilior. Et ergo per pœnitentiam interdum acquirit homo gratiam maiorem quàm antè habebat, quandoque verò minorem, & sæpè æqualem.

3. ¶ Præterea per peccatum duplicem dignitatem homo amittit. Vnam quantum ad deum, aliam verò quo ad ecclesiã. Quantum autem ad deum, amittit duplicẽ dignitatem: vnã principalẽ, qua per gratiam inter filios dei adoptiuos computatur. Et hæc recuperari potest, sicut & gratia. Aliam secundariam, scilicet innocentiam quæ recuperari non valet, quamuis aliquid maius possit acquiri tã in gratia quàm in gloria, quia maior gratia potest acquiri per pœnitẽtiam quàm ante amissa sit. Dignitatem quoq; ecclesiasticam homo perdit per hoc quod ad diuinorum officium actus exercendos inhabilis fit. Et hæc dignitas reparari non potest quandoque, quoniam homo non pœnitet, vel quia negligenter pœnitentiam agit non vacando lectionibus atque ieiunijs, vel quia cõmisit peccatum irregularitatem habens annexam, vel propter vitandum scandalum aliorum, vt si deprehensus sit publice in furto, periurio, fornicatione, cæteris q; criminibus. Contingit autem interdum vt homo post magna peccata pœnitentiamq; peractam, maiorem fiduciã ad Christum concipiat. Sicut de sancto Petro testatur Chrysostomus, quod antequã Christum negauit, non audebat in cœna interrogare, sed interrogationem Ioanni commisit. Post resurrectionem verò Christi & suam negationem ac pœnitentiam, non solum audet interrogare pro se, sed & de alio quoque, scilicet de Ioanne magistrum interrogat.

¶ An opera virtuosa per peccatum sequens mortificentur. 2. An opera per peccatum mortificata per pœnitentiam reuiuiscant. 3. An opera mortua, id est, sine charitate facta, per pœnitentiam viua fiant. Articulus 126.

QVemadmodum viuum mori dicitur, quãdo amittit operationem vitalẽ: sic similitudinarie dicitur res mori, quando proprio effectu vel actu priuatur. Nam & fides siue operibus mortua fertur. Effectus autem operum virtuosorum est perducere ad regnum cœlo-

rum. Quoniam ergo hunc effectum peccata sequentia impediunt: ideo opera virtuosa in charitate facta, per peccatum mortificantur.

2. ¶ Denique quidam posuerunt opera talia sic mortificata nõ posse per pœnitentiam reuiuificari, id est, suum effectum sortiri, eo quod opera illa non maneant sed transierunt. Sed hoc erroneè dictum est, huiusmodi enim opera effectũ suum non obtinent propter impedimentum peccati mortalis. Hoc ergo impedimẽto per pœnitentiam amoto, reuiuiscũt. Item deus opera virtuosa secundum se considerata semper in sua sapientia accepta habet, & quod operanti non sunt proficua ad vitam æternam, nõ est nisi propter impedimentum quod ipsemet propria voluntate obiecit. Vnde illo sublato, Deus pro eo quod meritorium fuit ac placitum, meritum reddit. Nec est omnino simile de animali, quod mortuum non reuiuiscit. Animal enim moritur per hoc quod in seipso priuatur principio vitæ: opera autem meritoria per hoc, quod impedimentum sui effectus adijcitur.

3. ¶ Porro opera dicuntur dupliciter mortua, scilicet effectiue, vt peccata quæ certum est non viuificari: & priuatiuè, inquantum non procedunt ex charitate, per quam anima deo vnitur & spiritualiter viuit. Sic enim opera quæ ex genere bona sunt, mortua reputantur, eo quod agens gratia caret. Et hæc per pœnitentiam viuificari non possunt, quia ipse secundum se transeunt, nec in diuina acceptatione manẽt, nec resumi possunt eadem numero, vt ex grata fiant.

¶ An pœnitentia habeat partes. 2. De numero partium eius. 3. De qualitate earũ. 4. De diuisione pœnitentiæ in partes subiectiuas. Art. 127.

DIctum est autẽ, quod actus humani in pœnitentia materialiter se habent, ipsum verò sacramentũ formaliter per sacerdotem perficitur virtute clauium.

Quoniam ergo ad pœnitentiam ex parte pœnitentis concurrunt contritio, confessio & satisfactio: patet, quod pœnitentia partes habet, prout est sacramentum, non prout est virtus, sic enim prædicti actus causantur ab ea.

2. ¶ Præterea partes rei sunt duplices, scilicet essentiales vt forma atque materia: & quantitatiuæ. Omne ergo sacramentum habet partes essentiales, quoniam constat in verbis quæ habent locum formæ, & rebus quæ se habent per modum materiæ. Quantitas verò, consequitur materiam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& ideo partes quantitatiuæ sunt partes materię. In sacramento autem pœnitentiæ actus humani se habent loco materiæ & sic contritio, cõfessio & satisfactio ponuntur partes quantitatiuæ pœnitẽtiæ ex parte pœnitẽtis. Aliter enim fit recompensatio vindictæ in vindicatiua iustitia quàm in pœnitẽtia. In illa namq; fit recompensatio secundum arbitrium iudicis, non secundum voluntatem offensi, vel offendentis. Sed in pœnitentia recõpensatio fit secundum voluntatem peccãtis & Dei, qui offensus est. Nam in pœnitentia nõ quæritur simplex & absoluta æqualitas iustitiæ, sed recõciliatio amicitiæ. Sic itaq; ex parte pœnitentis primo exigitur voluntas recompensandi offensãm: quod fit per contritionem. Secundo requiritur, vt se arbitrio sacerdotis subijciat loco Dei, quod fit in confessione. Tertio, quod secundum eius arbitrium recõpenser, quod fit per satisfactionem, quæ est fructus pœnitentiæ virtutis, & pars pœnitentię quę est sacramentum. Itaque cõtritio cordis, confessio oris, & satisfactio operis, ad pœnitentiam tanquam partes quantitatiuæ concurrunt.

3. ¶ Vnde innoteſcit, quod hæc tria non sunt partes subiectiuæ seu species pœnitentiæ. Tota enim virtus generis secundum totius saluatur in qualibet specie simul atque æqualiter: sicut virtus animalis, inquantum est animal, perfectè saluatur in qualibet specie animalis, quæ æqualiter diuidũt animal. Hæc autem prædictis non conuenit partibus. Rursus nõ possunt hæc tria dici partes potentiales pœnitentiæ, totum enim cuilibet parti potentiali secundum suam essentiam totam adest, vt anima vnicuiq; suæ potentiæ. Quod prædictis partibus nõ conuenit. Relinquitur ergo, quod prædicta tria sint partes integrales pœnitentiæ. De taliũ enim partium ratione est, vt totum nõ adsit singulis partibus, nec secundum totam suam virtutem, neq; secũdum totam essentiã, sed omnibus simul.

4. ¶ Præterea Augustinus in libro de pœnitentia ponit species pœnitentiæ, scilicet pœnitentiã ante baptismum, pœnitentiam mortalium, & pœnitentiã venialium. Hæc autem diuisio est pœnitentiæ, inquantum est virtus. Sic enim ad eã pertinet, vt secundum congruentiam temporis agat, sicut secundum circumstantias alias. Pœnitentia ergo tempore gratiæ operatur, prout competit nouæ legi. Ad pœnitentiã vero spectat de peccatis præteritis dolere cũ proposito emendandi vitam, quod est pœnitentię finis. Cùm ergo moralia à fine

speciem sortiantur, diuersæ species pœnitentiæ attenduntur secundum diuersas emendationes voluntatis, quas pœnitẽs intendit. Talis verò emẽdatio seu immutatio triplex est. Vna est per regenerationem in nouam vitam, ad quam pertinet pœnitẽtia ante baptismum. Secunda est per reformationem vitæ præteritæ iam corruptæ, ad quod respicit pœnitẽtia mortalium post baptismum. Tertia est per imperfectiorem vitæ operationem, & ad hoc pertinet pœnitentia venialium, quæ per feruentem actum charitatis dimittũtur. Cuius charitatis ardorem atque indeficientem vigorem nobis præstare dignetur fons pietatis, qui peccatoribus pœnitentiam dedit.

¶ *An aliqua pœnitentia debeat esse solennis & publica. 2. An illa possit iterari. 3. De ritu ipsius, videlicet, quibus iniungi queat. Art. 118.*

COngruit demum aliquã pœnitentiam esse solennem ac publicã propter quatuor. Primo, vt peccatum publicum medicinã publicã habeat. Secũdo, quoniam maxima confusione dignus efficitur, qui grauissimũ facinus agit. Tertio, vt alij timorem peccandi concipiant. Quarto, ne quis propter grauitatem peccati desperet. Nec tamen ideirco sacerdos confessionem reuelat. Nam ipse pœnitentiam occulte iniungit. Pœnitens verò exequẽdo eam seipsum prodit, quanuis culpa non sciatur pro certo ex pœna, eo quod aliquis quandoque pro alio pœnitentiam faciat. Et quoniam pœnitentia non semper restituit hominem in pristinam dignitatem, licet gratiam pristinam adipiscatur. Ideo sicut mulieres post peractam pœnitentiam de fornicatione non velantur, sic peccator post publicã pœnitentiã ordinari nõ potest in sacris, nec ad clericatum assumi. Et si episcopus eum ordinauerit, potestate ordinandi priuandus est: nisi necessitas cogat, vel consuetudo: tunc namq; ad minores ordines assumi potest, non ad ordines sacros. Primo propter reuerentiam ordinum. Secundo propter timorem recidiui. Tertio propter scandalum vitandũ. Quarto, quia nõ haberet frõtem alios corripiendi, cum peccatum eius fuerit publicum.

2. ¶ Præterea solennis pœnitentia iteranda non est. Primo ne vilescat. Secundo, quia designat expulsionem primi parentis de paradiso, quæ semel est facta. Tertio, quoniam solennizatio est velut professio perpetuo pœnitentiam cõseruandi.

3. ¶ Porro omnis pœnitentia solennis est publica & non ecõtra. Pœnitentia namq; solennis sic agitur. In capite quadragesi-

dragesimæ taliter pœnitens præsentat se cũ præsbyteris suis episcopo ciuitatis ante fores ecclesiæ, sacco indutus, nudis pedibus, vultu demisso, coma deposita: & eo in ecclesiã ducto Episcopus septem Psalmos pœnitentiales cum omni clero dicit, manum ei imponit, aquã benedictam aspergit, cinerem capiti eius superponit, collum cilicio operit: denunciãs ei lachrymabiliter, quod sicut Adam eiectus est de paradiso: sic ipse de ecclesia eijcitur. Iubetq; ministris, vt eum ab ecclesia pellant, persequentibus eum clericis cum responsorio: In sudore vultus tui. In cœna autem Domini quolibet anno à suis præsbyteris in ecclesiam reducuntur, sic pœnitentes vsq; octauas Paschæ: sic tamen quod nõ communicabunt nec pacem accipient. Et ita quolibet anno fiet quousque ab ecclesia manent eiecti. Vltima autem reconciliatio reseruatur episcopo, ad quem solum pertinet impositio pœnitentiæ solennis. Potest quoque viris imponi ac fœminis, non autem clericis propter scandalum. Pro nullo etiam peccato imponitur, nisi quod totam commouet vrbem. Publica verò & nõ solennis pœnitentia in facie ecclesiæ fit, sed sine solennitate prædicta vt peregrinatio per mundum cum baculo cubitali. Et hęc potest iterari & clerico iniungi atque à simplici sacerdote impoui. Interdum verò pœnitentia solẽnis ponitur pro publica. Et secundum hæc authoritates diuersimode intelliguntur de solenni pœnitentia. Sciendum verò, quod mulieri in solenni pœnitentia non abraditur coma, quia in subiectionis iudicio eam deportat.

¶ *An homo possit de vno peccato satisfacere sine alio 2. An satisfactio valeat adueniente peccato mortali 3. An opera bona extra charitatem facta sint meritoria præmij temporalis. 4. An mitigent pœnam infernalem. Articulus 129.*

DEmq; per satisfactionem præcedens offensa deletur. Remotio autem offensæ aliud non est, nisi restitutio amicitiæ. Cùm ergo Dei amicitia acquiri non possit manente peccato mortali: patet, quod homo satisfacere nequit de vno mortali sine alio: quãuis aliqui oppositum dixerunt.

2. ¶ Præterea deo ex condigno pro peccatis satisfacere nõ possumus, sed secundum quandam acceptationẽ. Nil autem est deo acceptum, quod in charitate non fit. Ideireo postquã omnia peccata per confessionem atque cõtritionem quo ad culpam

culpam dimissa sunt, si homo ante satisfactionem peractam in mortale peccatũ labatur, nil prodest ei satisfactio sua peccato mortali manente. Et ideo errant dicẽtes, quod si homo in peccato tali decederet, pro illis non puniretur in inferno, pro quibus satisfecit, quãuis tale mortale aduenit. Ex quo elucescit error dicentium, quod quanuis opera extra charitatem facta non viuificentur per charitatem aduenientem vt sint satisfactoria, viuificantur tamen quantum ad hoc vt sint satisfactoria respectu culpæ. Vnde satisfactiones quæ relinquunt effectum in pœnitente, vt ieiunũ, quod corporis attenuationẽ relinquit actu trãseunte, & eleemosynarũ largitio, quæ diuitiarũ diminutionem inducit in mortali peccato factas nõ oportet iterari: quoniã propter id quod de eis manet per pœnitentiã. Deo acceptæ fiunt. Satisfactiones verò quæ nullum effectum relinquunt, vt orationes, reiterandæ sunt.

3. ¶ Insuper meritum dicitur actio per quam agenti sit debitum aliquid dari. Iustitia verò vno modo dicitur propriè, quę concernit debitum ex parte recipientis. Secundo dicitur similitudinarie, quæ respicit debitum ex parte dantis: aliquid etiam decet dantem propter suam bonitatem tribuere, quod alter non meretur recipere: sicque iustitia appellatur diuinæ bonitatis decẽtia. Sicut Anselmus ait, quod deus tam bonus est, quod iustum est eum peccatoribus parcere. Per hũc quoque modum meritum vno modo vocatur, per quod recipiẽs dignus fit aliquo, & dicitur meritum condigni. Secundo dicitur meritum ex parte dantis, per quod decet dantem largiri: & dicitur meritum congrui, vel cõgruentiæ. Prima autem ratio dandi est amor in his, quæ gratis donantur. Omnia verò bona temporalia atq; æterna ex diuina liberalitate nobis præstantur. Nõ ergo mereri possunt sine charitate ex condigno sed solùm ex cogruo ex parte diuinæ largitatis, quæ semper perfectionem infundit, vbi dispositionem inuenerit. Opera itaq; bona extra charitatem facta ad tria valent, ad assequendum temporalia, ad præparationem gratiæ recipiendæ, & ad assuefactionem bene agendi.

4. ¶ Porro opera ista sicut culpã non auferunt: sic nec pœnam infernalem mitigant, ita vt homo liberetur per ea à pœna, quam meruit. Nam causa manẽte perseuerat effectus. Diminuunt autem ac mitigant pœnam inferni, quia meritum pœnæ impediunt reatum omissionis excludẽdo, & ad bonũ

aliquo

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliquo modo disponendo, ita quod homo etiam peccata ex minori contemptu committat atque à malis quibusdam desistat. Veruntamen dilationem ac diminutionem pœnæ temporalis merentur, vt patet de Achab quarto Regum. Quemadmodum autem in omni peccato est delectatio aliqua, vel saltem quædam voluntatis complacentia: ita oportet satisfactionem per opera pœnalia fieri. Flagella quoque diuinæ correptionis, quibus in præsenti afferimur, satisfactoria nobis fiũt, dummodo ea patienter pro peccatis nostris suscipere ac tolerare curemus. Et sicut ex eodem igne aurum rutilat, & palea fumat: sic eisdem flagellis boni purgantur, & mali propter impatientiam magis inficiuntur, secundum Gregorium.

¶ An ad pœnitentiam venialium teneamur. 2. An teneamur ea confiteri. 3. An vnum veniale sine alio dimitti possit. Artic. 130.

QVoniã homo per venialia peccata mortem animæ non incurrit, non tenetur pœnitere de eis secundũ absolutam necessitatem. Nam sine pœnitentia, etiam post hanc vitam dimittuntur: tamen ex suppositione finis tenemur de eis pœnitere, videlicet si remissionem eorum in vita præsenti adipisci optamus.

2. ¶ Porro ad confessionem venialium nõ tenemur nec absolute, quia per solã interiorem cõtritionem deleri possunt nec ex suppositione finis, quoniam sine cõfessione possunt dimitti. Quod autem pœna satisfactoria pro venialibus iniungitur, non est de necessitate, sed potius ad excitandum deuotionem contritionemque hominis. Non enim deberet eis satisfactoria pœna taxata, illa namque proportionaretur pœnæ peccati mortalis: quod esse non valet, eo quod mortale à venali in infinitum sit distans.

3. ¶ At verò quæ connexionem adinuicem habent, separari non possunt. Peccata autem mortalia quãuis ex parte causæ peccãdi seu conuersionis ad bonum caducum connexa non sint, propter quod homo incurrere potest vnum sine alio: tamen ex parte auersionis à summo bono cõnexa sunt, omnia enim à deo auertunt, quoniam gratiam tollũt: & ideo vnum sine alio dimitti nequit. Venialia verò peccata nec quantum ad conuersionem cõnexionem habent, cum sint circa diuersas materias, nec quo ad auersionem, nõ enim auertũt à deo quia charitatẽm, quæ Deo animam vnit, non auferunt. Et ergo vnum veniale sine alio dimitti nil prohibet. Vnum autem peccatum mortale Deo eatenus displicet, quod & peccãtem Deo displicere facit. Veniale verò quanuis propter suam inordinationem Deo displiceat, peccantem tamen Deo displicere non facit, quoniam gratiæ claritatem non tollit: quãuis secundum Gregorium. peccatum veniale obscurat, quemadmodum mortale obtenebrat. Sciendum autem, quod non est necesse circumstantias peccati confiteri, nisi illas quæ ad speciem peccati mortalis trahunt. Perfectionis verò est, alias confiteri sicut & de venialibus dictum est.

¶ An ludi atque spectacula impediant pœnitentiam. Art. 131.

TRiplex est autem genus ludorum, quorum vnũ de se turpitudinem continet: quod est certũ omnibus esse vitãdum. Aliud quod ex plenitudine deuotionis procedit: quemadmodum Dauid dixit: Ludam & ero humilis in oculis meis. Tertium est, quod bene & male fieri potest, circa quod est virtus moralis, quæ eutrapelia vocatur. Hoc autem genus ludi quãuis cum debitis circumstantijs licitum sit, tamen specialiter pœnitẽtibus vitandum est quorum est lugere atque dolere, nisi inquantũ necessitas recreationis spirituum exigit. Similiter dicendum est de spectaculis, quorum quædam secundum se vitiosa sunt, sicut in theatris: quædam verò vtilia, vt venationes, quibus pœnitentes vacare non debent, nisi necessitas poscat: quãuis alij eis intendere possint sine peccato discretione seruata.

¶ An animæ post hanc vitam de peccatis contritionem habeant. 2. An contritio possit totaliter tollere pœnæ reatum. Art. 132.

IN contritione præterea tria sunt, scilicet dolor, charitas dolorem informans, & meritum in de emanans. Animæ ergo beatorum contritionem de peccatis non habent, quoniam propter plenitudinem gaudij, doloris capaces non sunt. Animæ verò miserorum quanuis de peccatis doleant, charitatem tamen non habent. Vnde cõtritione carẽt. Animæ autem quæ in purgatorio sunt, dolorem charitate formatum de peccatis habent, sed non meritorium, quia in statu merendi non sunt. Differt autem contritio ab attritione, sicut formatum atque perfectum ab informi & incõpleto. Nam dolor de peccatis gratiam gratum facientem præcedens, vocatur attritio. Contritio verò est dolor gratia informatus. Et sicut vnus actus alium præcedens ac trãsiens non potest fieri alius: sic attritio fieri nequit contritio. Fides tamẽ infor-

informis fieri potest formata per charitatis aduentum, quoniam fides nominat habitum, non actum.

2. ¶ Præterea contritio cõsideratur vno modo ex parte charitatis, quæ peccati displicentiam facit. Secundo ex parte doloris sensibilis, qui per redundãtiam voluntatis & rationis in inferiori appetitu causatur. Et vtroque modo potest esse tanta cõtritio de peccato, vt tota pœna dimittatur. Nam feruor charitatis peccata consumit, & tanto amplius quo fortius ardet. Ipse quoque dolor sensibilis cum sit quædam pœna, tantum potest augeri, vt pro reatu pœnæ peccati sufficiat.

¶ *An soli sacerdoti confiteri oporteat. 2. An liceat in aliquo casu laico confiteri 3. An laicus extra casum necessitatis possit confessionem venialium audire. 4. An sit necesse proprio sacerdoti confiteri 5. An liceat etiam alteri confiteri. Art. 133.*

GRatia insuper sacramentorum à Christo capite nostro in mẽbra eius seu corpus mysticum deriuatur. Solus igitur ille est sacramentorum, quę gratiã continent & cõferunt, minister, qui ministerium habet super corpus Christi verum: videlicet sacerdos, qui eucharistiam conficere potest. Solis ergo præsbyteris facienda est sacramentalis confessio.

2. ¶ Porro sicut baptismus sic pœnitentia sacramentum est necessitatis. Quemadmodum ergo in casu necessitatis quilibet baptizare potest, sic in necessitate laicus vicem sacerdotis supplet vt & confessio fieri queat. Debet enim pœnitẽs facere quod in se est, videlicet conteri & confiteri. Et quanuis laicus sacramentum perficere nequeat absoluendo, hunc tamen effectum summus sacerdos supplebit. Talis quoq; confessio licet non sit sacramentum perfectum, est tamen sacramentalis, & etiam iteranda dum pœnitens poterit copiã sacerdotis habere. Quãuis enim à deo veniam & gratiam consecutus sit, oportet tamen vt reconcilietur ecclesiç quatenus ad eius sacramenta admittatur. Et hoc fit per confessionem, quæ est sacramentum perfectum, in qua etiam pleniorem remissionem sortitur, tam virtute clauium ecclesiæ, quàm obediendo eius mandatis.

3. ¶ Præterea quoniam ad venialium confessionem homo non tenetur, eo quod neque à deo, neque ab ecclesiæ sacramentis auertãt. Propterea de venialibus potest fieri laico cõfessio, quæ tamen nõ est sacramentũ, sed sacramentale quoddam: vt aqua benedicta, tunsio pectoris, per quæ venialia dimittuntur.

4. ¶ Aduertendum quoque, quod quia sacerdos non absoluit nisi imperando seu ligando ad aliquid faciẽdum. Idcirco proprio sacerdoti confiteri oportet. Nam ille iurisdictionem habet super pœnitentiam, vt ei iniungere aliquid per impetũ possit, quod alijs concessum non est. Vnde proprio sacerdoti confiteri est de necessitate huius sacramenti saltem semel in anno: quemadmodum decretalis Innocẽtij dicit. Nec licet eucharistiã sumere ab alio, quàm proprio sacerdote. Si verò proprius sacerdos non esset idoneus, posset homo de licentia superioris sacerdotem discretum eligere. Item si pœnitens probabiliter timet periculum imminere sibi, vel sacerdoti suo ex confessione ei facta, vt si peccatum sit contra sacerdotem commissum, vel sacerdos reuelator sit confessionis, debet recurrere ad superiorem, vel ab eo licentiã petere alteri cõfiteri. Quam si ille dare noluerit, idem erit iudicium de ipso & illo qui sacerdotem habere non potest, vt scilicet faciat quod in se est, laico cõfitendo. Peccat autem sacerdos qui subdito suo non dat licentiam faciliter vt alteri confitea tur. Multi enim sine confessione mallẽt mori, quàm proprio sacerdoti conscientiam suam nudare.

5. ¶ Denio; dupliciter impeditur sacerdos à cõfessione audienda, videlicet propter iurisdictionis defectum, & propter executionis impedimentum, vt in degradatis, excommunicatis, suspensis, &c. Qui autem iurisdictionẽ habet, potest eam, si velit, alteri cõmittere. Vnde per sacerdotis proprij, vel episcopi dẽ cõmittere alteri. Vnde per sacerdotis proprij, vel episcopi cõmissionem potest alteri sacerdoti cõferri potestas confessionem audiendi & absoluendi. Cũ autem papa pœnitentiariũ loco sui cõstituit, ille pœnitẽtiarius episcopo est superior. Pœnitẽtiarius quoq; episcopi superior est sacerdote proprio & parrochiali, nec tenetur pœnitens proprio sacerdoti confiteri, quæ illis cõfessus est: quanuis sacerdos id exigat. Si verõ iterũ confiteatur, bene facit. Nã quo quis sæpius eadẽ peccata cõfitetur, etiam pluribus sacerdotibus, eo pœna magis minuitur, tum propter erubescentiã confessionis, tum propter vim clauium, tum propter orationem sacerdotis. Et ideo posset quis totiens confiteri, quod tota pœna sibi dimitteretur.

¶ *An confessio possit esse informis 2. An aliter fieri valeat, quàm verbis. Articulus 134.*

Confes-

CONfessio denique prout est actus virtutis, meritoria est, & sic sine charitate esse non potest neque informis. Sed prout est pars sacramenti pœnitentiæ, ordinat confitentem ad sacerdotem claues habẽtem: & ita confessio potest esse informis. Potest namque peccator sine contritione peccata sua pandere sacerdoti, & claibus se ecclesiæ subijcere. Et quanuis tunc non consequatur fructum absolutionis, tamen fictione cessante percipiet: sicut in alijs ecclesiæ sacramentis. Vnde qui fictus confitetur, nõ tenetur confessionem reiterare, sed fictionem suam confiteri.

2. ¶Præterea confessio necessario fieri habet per verba, sicut baptismus per aquam. Est enim confessio pars sacramenti. Sacramenta autem determinatam habent materiam & formam. Muti tamen atque alterius linguæ, per scriptum & nutum siue interpretem cõfiteri possunt, quoniam Deus vltra posse hominis non requirit.

¶Demum sicut baptismus liberat à peccato non solùm cum actu suscipitur, sed etiam cum voto habetur: ita & confessio. Nam contritio liberat à culpa inquantum votum confessioni annexum habet. In actu verò cõfessionis & absolutionis gratia augetur, atque remissio peccatorum daretur, si dolor præcedens ad contritionem sufficiens non fuisset.

¶Vtrum debeant esse claues in ecclesia. 2. Quid sint. 3. Quod sint. Articulus 135.

AGnoscendum, quod sicut in corporalibus, clauis vocatur quo ostium aperitur: sic potestas per quam pœnitenti aperitur regnum cœlorum, quod sibi propter culpam ac pœnæ reatum fuit clausum, clauis nominatur. Hæc autem potestatis in Deo trinitate est per auctoritatem, in Christo homine per excellẽtiam, quoniam merito passionis suæ sacramenta atque ministri prædictam sortiuntur virtutem. Vnde in ministris est per ministerium, propter quod Deus dicitur habere clauem authoritatis, Christus clauem excellentiæ, sacerdos clauem ministerij. Clauis verò inferni est virtus gratiam conferendi, per quam homo à peccato quod porta inferni est, exit. Et hæc potestas in solo Deo est. Aliqui tamen dicunt esse idem in re clauem regni cœlorum, & clauem inferni. Nam per hoc quod homini vnum clauditur, alterum aperitur.

2. ¶Denique clauis Ecclesiæ taliter diffinitur: Clauis est potestas

testas ligandi & soluendi, qua ecclesiasticus iudex dignos recipere & indignos excludere debet à regno. Cum enim sit clauis quædam potentia, per actum diffiniri debet, atque obiectum. Hæc autem potestas quæ clauis vocatur, secundũ rẽ idem videtur, quod potestas consecrandi. Sed diuersa nominã recipit secundum diuersitatem effectuum. Dantur enim claues simul cum ordine, quanuis vsus earum iurisdictionẽ in sacerdote requirat. Dicitur quoq; sacerdos à regno excludere eo modo, quo Deus aliquem obdurare censetur. Videlicet impedimentum regni non auferendo: quod ipse auferre non potest, nisi Deus illud amouerit.

3. ¶Porro in omni actu, in quo ex parte recipientis idoneitas quædam exigitur, duo necessaria sunt agenti, videlicet iudicium de idoneitate, atque expletio actus. Et ergo ad horũ vtrumque quædã potestas seu authoritas necessaria est. Vnde sacerdos confessor iudicio discretionis eget ad iudicandũ de idoneitate pœnitẽtis: & ipsa executione, qua dignos recipit, indignos excludit. Et ad horum vtrumque potestas siue authoritas ei collata est. Propter quod duæ dicuntur claues ecclesiæ per quarum vnã sacerdos de quantitate pœnitentis discernit, & per aliam absolutionem impendit. Hæ vero claues essentialiter idem sunt, sed duæ dicuntur per comparationem ad actus, quorum vnus alium præsupponit. Ad duo nanque quorum vnũ est causa alterius, vna potestas ordinatur: quemadmodum calor ignis ad calefaciendum, ac dissoluendum. Vna igitur clauis quæ dicitur potestas soluẽdi atque ligandi, seram aperit: alia verò quæ clauis scientiæ appellatur, ostendit cui aperiendum sit ostium. De claue tamen scientiæ duplex opinio fuit. Vna dicentium, quod hæc clauis dicatur habitus scientiç acquisitus siue infusus, & quod nõ sit clauis principalis, neque in omnibus inueniatur sacerdotibus, nec tradatur cum ordine: quidã enim sacerdotes neque infusam neque acquisitam scientiam habent. Secunda opinio tenet, quod clauis scientiæ non sit habitus talis, sed authoritas exercendi actum scientiæ, quæ authoritas interdum habetur simul cum scientia, quandoque absque scientia: sicut in iudicijs secularibus, quidam sunt iudices qui tamen scientia iuris carent, & aliqui iuris scientiam habẽt, authoritate iudicandi carentes, & quia actus iudicandi sine scientia exequi nequit, id circo qui hanc authoritatem recipit careus scientia peccat.

¶ Quid sit excommunicatio. 2. Cur fiat. 3. Pro quibus rebus. 3. An excommunicatio iniuste lata sortiatur effectū. Artī. 136.

HOmo denique per baptismū in Ecclesia ponitur ad duo ascribitur, scilicet ad cœtum fideliū, & ad participationem sacramentorū. Quorum secundum præsupponit primum. Dupliciter itaq; separari quis potest ab Ecclesia. Aut enim separatur à participatione sacramentorum duntaxat: & hæc est excōmunicatio minor. Aut ab vtroque: & ista est excommunicatio maior. Quæ sic diffinitur: Excōmunicatio est separatio à cōmunione ecclesiæ quo ad fructū, & suffragia generalia. Communicatio verò fidelium duplex est, scilicet in spiritualib⁹, vt sunt mutuę orationes & conuentus ad sacra participāda: & in corporalibus actibus legitimis, quæ his versibus cōrinentur: Si pro delictis anathema quis efficiatur. Os, orare, vale, cōmunio, mēsa negetur. Os, ne osculentur. Orare, ne cū eis oremus. Vale ne salutentur. Communio, ne quis cum ipsis in sacramentis communicet. Prædicta autem diffinitio nō tangit separationem excommunicatorum à communicatione in corporalibus, sed in spiritualibus. Vnde alia vtramque tāgens assignatur: Excommunicatio est, à qualibet licita cōmunione & legitimo actu separatio. Igitur pro excōmunicatis non oratur ex persona ecclesiæ, cum nō sint inter membra eius: quibus persona priuata pro eis possit præcem dirigere. Minor autem excommunicatio non tollit ecclesiæ suffragia.

2. ¶ At verò iudicium ecclesiæ imitari debet iudiciū Dei. Quemadmodum igitur Deus quosdā peccatores punit flagellis, vt castigati resipiscant, quosdam subtrahendo diuinū auxilium, vt sic humiliati propriamque infirmitatē pensantes se corrigant: sic ecclesia quosdam flagellis castigat separando à cœtu fidelium, quosdam propriæ infirmitati relinquit, negando sacramenta. Hæc tamen excōmunicatio seu maledictio, quoniam ordinatur ad emendationē excommunicati, bona ac licita est. Valent autem suffragia ecclesiæ ad tria, videlicet ad gratiæ adeptionē in non habentibus, vel augmentum in habentibus. Secundo ad custodiā in bono. Tertio ad protectionem à dæmone. Ideo per excōmunicationem homo triplex incommodū incurrit, videlicet gratiæ subtractionē, ne eam acquirat quamdiu sic manet: diuinæ protectionis carentiam qua Deus ecclesiæ filios specialiter pro-

uidentia protegit: tertio quod diabolus ampliorem potestatem in eum acquirit nocendi ei spiritualiter & corporaliter. Vnde in primitiua ecclesia, quando oportuit fide signis firmari, sicut spiritussancti donum in signo visibili demonstrabatur sic excommunicatio per corporalem diaboli vexationem declarabatur.

3. ¶ Porro nemo excommunicari debet nisi pro mortali peccato. Quoniam verò aliquis peccat mortaliter dānificando aliū in temporalibus rebus: Ideirco pro damno temporali illato ecclesia excommunicat. Sed cum excōmunicatio sit maxima pœna, nō est subitò infligenda, nisi offensor contumax fuerit, vel non veniendo ad iudicium, vel ante finē iudicij sine licentia recedendo, vel determinationi nō parendo, nec admonitioni acquiescendo.

4. ¶ Amplius excōmunicatio dici potest iniusta dupliciter: Primo ex parte excōmunicantis, vt si ex ira vel odio fiat: & tunc sortitur effectū. Quanuis enim excōmunicans peccet excōmunicatus tamen hanc pœnam meretur. Secundo ex parte excommunicationis, vt dum causa excommunicationis nō est idonea, vel ordo iuris omittitur. Si ergo talis sit error qui sententiam annullet, non habet effectum, quia non est excommunicatio. Si autem sententiam nō annullet, excommunicatio habet effectum, debetque excōmunicatus humiliter obedire: & erit ei ad meritum, vel absolutionem ab excommunicante requirere, aut ad superiorem confugere iudicem. Si verò contemnit, eo ipso mortaliter peccat. Nā secundum Gregorium: Præcepta pastoris, siue iniusta sint: siue iusta, timenda sunt. Interdum quoque excōmunicatio iusta est ex parte excommunicantis, iniusta verò ex parte excommunicati: vt dum quis pro crimine falso, tamē in iudicio probato excommunicatur. Et tunc si humiliter sustinet, meritum humilitatis recompensat damnū excommunicationis. Ratio autem cur excommunicatio iniusta effectum habet, est. Nam quanuis nemo gratiam dei iniuste amittere potest, id est, sine propria culpa: potest tñ ea iniuste amittere per quæ ad gratiā Dei disponitur: vt patet de his, quibus verbum debitæ instructionis & exhortationis nō exhibetur. Vnde quod ait Hieronymus: De supercilio phariſæorum est, æstimare ligatum vel solutum, quando iniuste ligatur vel soluitur, intelligendum est quantum ad culpas, non

Universidad de Deusto
Biblioteca

quantum ad pœnas, quæ possunt etiam iniuste infligi à prælatis ecclesiæ.

¶An quilibet sacerdos possit excommunicare 2. An non sacerdotes hoc possint 3. An aliqua tota vniuersitas excommunicari possit. Articulus 137.

PRoinde in foro conscientiæ causa agitur inter hominem & Deum. In foro autem exteriotis iudicij inter homines adinuicem. Absolutio ergo atq; legatio quæ vnum hominem ligat quo ad Deum duntaxat, ad forum pœnitentiæ pertinet. Illa verò, quæ hominem obligat quantum ad alios homines, respicit publicum exterioris iudicij forum. Ad tale autem forum sententia excommunicationis spectat, quia per eam à communione fidelium quis separatur. Illi igitur solum excommunicare valent, qui iurisdictionem in foro iudiciali habent, videlicet coram quibus in causis contentionis conuenitur: vt sunt episcopi & maiores prælati. Vnde præsbyteri parrochiales excommunicare non possunt, nisi in casibus eis concessis: vt in rapina, & furto, atque huiusmodi. Quidam tamen affirmant quemlibet sacerdotem parrochialem posse excommunicare.

2. ¶ Ex quibus elicitur, quod aliqui quanuis non sint sacerdotes, excommunicare eos possunt in quos iurisdictionem sortiti sunt in foro contentioso. Quanuis namq; non habeãt clauem ordinis, habent tamen clauem iurisdictionis. Excommunicati verò atque suspensi à iurisdictione vsum iurisdictionis amittunt, nec excommunicare possunt. Item cum per iurisdictionem ponatur homo in gradu superioritatis cuiusdã, idcirco nemo excommunicare potest seipsum, æqualem, vel superiorem. Imo in foro confessionis sacerdos non potest absoluere superiorem vel æqualem de mortali, nisi ex cõfessione, sed de venialibus potest.

¶ At verò nemo excommunicandus est nisi pro actu peccati mortalis. Actus verò sunt singularium, & nõ communitatis. Et quanuis interdum actus sit totius multitudinis, sicut dum multi vnam nauem trahunt, non tamen probabile est, quod tota cõmunitas sit ita infecta, quin aliquos habeat non consentientes peccato. Quemadmodum igitur Dei non est damnare iustum cum impio: sic ecclesia excommunicare non debet totam communitatem, ne collectis zizanijs eradicetur, & triticum. Vnde Augustinus ait, quod princeps & multitudo non

do non est excommunicanda.

¶An liceat excommunicato communicare in pure corporalibus. 2. An excommunicato communicans sit excommunicatus. 3. An mortaliter peccans. Articulus 138.

EXcõmunicatio insuper minor vt dictũ est, quia solũ separat ab Ecclesiæ sacramentis, cõmunicationem in corporalibus rebus non excludit. Sed excõmunicatio maior, quæ vltra hoc separat à cœtu fidelium, cõmunicationem hanc impedit. Sed quoniã excommunicatio nõ ad mortem sed medelam imponitur, excipiũtur aliqui casus speciales, in quibus excommunicato cõmunitate est licitum sci licet in his, quæ cõcernunt salutem, de quibus cum excõmunicato loqui cõceditur: & alia quoq; verba intexerere licet quatenꝰ ex familiaritate facilius recipiatur verbũ salutis. Excipiuntur quoq; personę, quæ ad promissionẽ excommunicati specialiter pertinent: vtpote vxor, filius nõ emancipatus, seruus, rusticus & seruiens, & qui ante excõmunicationem se ei subdiderunt. Quidam verò adijciunt, quod superiores communicare inferioribus possint. Item cõmunicare excommunicatis licet, dum excõmunicatio ignoratur, & dum aliqui sunt peregrini, viatores in terra excommunicatorum, tunc enim ab eis emere, vendere, & eleemosynã capere possunt. In casu quoque necessitatis id licet.

2. ¶ Denique excommunicatur quis dupliciter. Primo, cum omnibus suis participãtibus: & tunc quicunq; ei participat, maiorem excommunicationem incurrit. Secũdo, excommunicatur homo simpliciter, & tunc vel participat ei aliter in crimine, consilium, auxilium, aut fauorem præbendo, & sic maioti excommunicatione excommunicatus est. Vel participat ei in alijs, scilicet verbo, mensa seu osculo: & ita minorem excommunicationem incurrit. Excommunicatio autem minore excommunicatione licitum est cõmunicare, & sic excommunicatio non transit in tertiam personam.

¶ Insuper aliqui dicunt, quod quicunq; excommunicato communicat verbo vel aliquo modo prædicto, mortaliter peccat. Sed hoc graue videtur, vt homo pro vno verbo leui quo excommunicatum alloquitur, mortaliter peccet. Et ideo alij probabilius aiunt, quod tunc solum mortaliter peccat communicans, quando in crimine sibi participat, vel in diuinis, vel in contemptu ecclesiæ. Et in hoc casu loquitur Decreta-

 lis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

lis, quæ dicit, quod debet homo magis mortem subire quàm excommunicato communicare. Sciendum quoque, quod suspensio nõ est tanta pœna vt excommunicatio, non enim priuantur suspensi suffragijs ecclesiæ. Et ergo potest quis sine proprio peccato suspendi, videlicet pro culpa eius qui in illo punitur: quemadmodum pro peccato regis totum regnum interdicto supponitur.

¶ Vtrum quilibet sacerdos absoluere possit subditum suum ab excommunicatione. 2. An aliquis possit absolui inuitus 3. An homo possit absolui ab vna excommunicatione sine alijs. Artic. 139.

A Minore denique excommunicatione quilibet sacerdos potest absoluere, qui potest absoluere à peccato participationis. Si autem sit excõmunicatio maior, vel est lata à iudice, & tunc eius qui tulit sententiam est absoluere, vel superioris, vel est lata à iure: & tunc episcopus: vel etiã sacerdos potest absoluere, demptis sex casibus, quos papa suæ iurisdictioni seruauit. Primus de illo qui iniecit manum in clericum vel religiosum. Secundus de illo, qui incendit ecclesiã, & est denuntiatus. Tertius de illo, qui frangit ecclesiam & denuntiatus est. Quartus de illo qui in diuinis scienter communicat excommunicatis nominatim à papa. Quintus de eo qui falsat literas apostolicæ sedis. Sextus de his, qui excommunicatis in crimine communicant. Non enim debet absolui nisi ab eo qui excommunicauit, etiam si non sit subditus eius, nisi propter difficultatem itineris absolueretur ab episcopo, aut sacerdote proprio, data iuratoria cautione, quod pateret præcepto iudicis, qui tulit sententiã. Sed à primo casu octo excipiuntur. Primo in articulo necessitatis, in quo à qualibet excommunicatione quilibet sacerdos absoluere potest. Secundo si sit ostiarius alicuius potestatis, & non ex odio neque proposito percussit. Tertio si percutiens sit mulier. Quarto, si seruus, de cuius absentia dominus non habens culpam læderetur. Quinto, si regularis regularem percutiat, nisi sit enormis excessus. Sexto, si sit pauper. Septimo, si impubes, vel senex aut valitudinarius. Octauo, si habet capitales inimicos. Sunt item septem casus, in quibus percutiens clericum excommunicationem non incidit. Primo, si causa disciplinæ. Secundo, si iocosa lenitate. Tertio, si reperit eum turpiter agentem cũ vxore, matre, sorore, aut filia. Quarto, si statim vim vi repellat. Quinto, si ignoret eum esse clericum. Sexto, si inuenit eum in Apostasia post trinam admonitionem. Septimo, si clericus transferat se ad actum suæ cõditioni contrarium, vt similes fiat, aut bigamus.

2. ¶ Porro excommunicatio pœna est. Potest autem homo absolui à pœna inuitus. Nam pœna ab extra infligi potest, & tolli: & ideo potest quis ab excommunicatione absolui inuitus.

3. ¶ Insuper excommunicationes cõnexionem non habent, idcirco nil prohibet quemquam absolui ab vna & non ab alia. Cũ autem aliquis ab eodem iudice pluribus excommunicationibus excommunicatis existit, dum ab vna absoluitur, ab omnibus absolui intelligitur. nisi contrarium exprimatur, vel nisi in casu quo quis absolutionem impetrat de vno præcise casu excommunicationis, cum pro pluribus pro quibus excommunicatus sit, mentio fiat. Cum verò à diuersis iudicibus excommunicatus est, tunc absolutus ab vna excommunicatione, non liberatur idcirco ab altera, nisi omnes alij ad petitionem eius absolutionem suam confirment, vel omnes vni absolutionem demandent.

¶ Vtrum sacerdos legalis habuit claues. 2. An etiam Christus. 3. An soli sacerdotes habeant claues. Articulus 140.

PRæfert quoque Apostolus in epistola ad Hebræos sacerdotium Christi sacerdotio legali: quoniã Christus assistens pontifex futurorum bonorum in tabernaculum cœleste induxit, per proprium sanguinem. Sacerdos verò legalis per sanguinem hircorum, & similium illud non potuit. Ideo sacerdotes in veteri lege clauem regni non habuerunt, sed clauium figuram: quia potestas eorum non se extendebat ad cœlestia, sed ad figuras cælestium.

2. ¶ At verò, sicut ostensum est Christus habuit claues per modum excellentiæ. Potestas enim ligandi atque soluendi in eo principaliter fuit, atque ab ipso propagatur ad ministros ecclesiæ.

3. ¶ Præterea clauem ordinis, quæ clauis regni vocatur, & immediate ad cœli aperitionem se extendit remouendo peccata, soli sacerdotes habent. Clauem verò iurisdictionis in foro causarum, quæ non extendit se directe ad regnum, sed mediante ecclesia, quæ ligat & soluit, & à fidelibus separat, etiã nõ sacerdotes habẽt, vt archidiaconi & electi, & omnes qui excõmunicare possunt. Mulieres autem neutrã clauem habere

bere possunt propter conditionis suæ subiectionem.

¶ *An sacerdos potest semper subditum suum absoluere. Art. 141.*

ORdinis autem potestas quantum de se est, extēdit se ad omnia peccata remittenda: sed vsus eius iurisdictionē requirit super absoluendū. Potestas verò iurisdictionis à superioribus ad inferiores deriuatur. Potest ergo superior alios casus suæ potestati reseruare, in quibus inferiori iudicium non cōmittit, & quantum ad hos inferior iurisdictionē nō habet. Vnde quinq; sunt casus, in quibus oportet vt simplex sacerdos pœnitentem ad superiorē remittat. Primus, dum solennis pœnitētia est imponenda: quā solus episcopus imponere habet. Secundus est de excōmunicatis, quādo inferior sacerdos nō potest absoluere: vtpote quando nō ligauit. Tertio, cū inuenit irregularitatem contractā. Quartus de incendiarijs. Quintus, cum consuetudo in aliquo episcopatu consistit, quod grandia crimina non nisi ab episcopo dimittantur propter aliorum terrorem. In talibus enim consuetudo aufert & dat potestatem.

¶ *Pirum per indulgentiam aliquid pœnæ remittatur. 2. An indulgentiæ tantum valeant sicut pronunciantur. 3. An pro temporalibus subsidijs fieri debeant. Articulus 142.*

VAlent insuper indulgentiæ ad remissionem pœnæ residuæ post cōfessionem, cōtritionem & absolutionem, siue iniuncta est siue non fit iniuncta: propter vnitatem corporis mystici ecclesiæ, in qua multi in operibus misericordiæ super erogauerunt ad mensuram peccatorum suorum, variasq; tribulationes iniustas patienter tulerunt per quas multitudo pœnarum expiata fuisset, si eis debita extitisset. Quotum meritorum tanta est copia, quod omnem pœnam nunc viuentibus debitam superexcedit, præsertim propter meritum Christi. Sancti verò opera talia supererogationis fecerunt indeterminate atque communiter pro tota ecclesia Christi: quemadmodum Paulus ait, se implere ea quæ desunt passionū Christi, in corpore suo pro ecclesia, ad quam scribit. Itaq; merita ista cōmunia sunt toti ecclesiæ. Quæ autem communia sunt multis, dēstribuūtur singulis secundum eius arbitrium, qui multitudini præsidet. Ideo sicut homo remissionem consequitur alio pro ipso satisfaciente: sic si alterius satisfactio ei cōmunicetur & detur per eum qui potest. Et per hunc modum indulgentiæ operantur remissionem

nem pœnæ in suscipiente, quoniam dantur de communibus bonis ecclesiæ vnde debitum soluat.

2. ¶Deniq; indulgentiæ valent non solum secundum quantitatem deuotionis eius qui recipiat eas, vel dati, aut causæ pro qua datur. Nam quantitas effectus sequitur quantitatem causæ. Causa autem remissionis pœnæ in indulgentijs non est nisi meritorum Ecclesiæ copia: quātitas ergo remissionis huius proportionanda est ad excedens Ecclesiæ meritū, non autem ad hominis labotem, vel deuotionem dūtaxat. Vnde secundum quod merita ecclesiæ applicantur ad quenquam, secundum hoc remissionem consequitur. Ad hanc verò applicationem exigitur authoritas dispensandi hūc thesaurum. Vnio quoq; eius cui dispensatur ad eū, qui merebatur, quę fit per charitatem. Ratio etiā dispensationis, per quā saluatur intentio illorum qui opera talia supererogationis fecerūt. Ipsi enim ea egerunt ad Dei honorem atque ecclesiæ vtilitatem in genetali, ideirco omnis causa in Dei honorem & ecclesiæ suæ vtilitatem vergens, est sufficiens tota indulgētias faciendi. Propter quod aliorū opinionibus derelictis dicendū, quod indulgentiæ simpliciter tantum valent quātum prędicantur: dummodo fuerit in dante authoritas, in suscipiente; charitas, & ex parte causæ pietas, id est, Dei honor & ecclesiæ seu prōximorum vtilitas. Nec hoc derogat diuinæ iustitiæ, neq; de misericordia dei fit nimis magnū forum. Nil enim de pœna remittitur, sed pœna vnius alteri cōputatur. Nec ob hunc indulgentiarum valorem currēdum est per terras pro indulgentijs, melioribus bonis omissis: quoniam alia opera satisfactoria sunt amplius meritoria respectu præmij essentialis, quod in infinitum prestantius est quā tēporalis pœnæ dimissio, siue in præsenti, siue in purgatorio: quia & in purgatorio existentibus prosunt indulgentiæ, eo quod Christus Petro dixit: Quæcunq; solueris super terrā erunt soluta & in cœlo, id est in foro diuino seu dei iudicio. Cū verò datur indulgentia indeterminate, vt qui impendit auxiliū ad ecclesiæ fabricā, intelligendum est de tali auxilio, quod cōgruit dāti secundū statum facultatemq; eius, & prout magis vel minus accedit ad hoc, plus aut minus obtinet de indulgētijs. Vnde pauper vnum denarium præstans totam indulgentiam consequi potest, non autem diues quem nō decet tam modicum dare ad opus tam fructuosum ac pium. Item vicinus ecclesiæ & fa-

sacerdotes ac clerici, tantam consequuntur indulgentiam, vt illi qui à mille dietis aduenium, sed illi qui plus laborant, magis merentur: quod tamen verum est dum indistincte indulgentia datur. Interdum enim distinguitur, vt dum papa transeuntibus mare dat septem annos, trãseuntibus mõtes tres. Nec putandum quod quicunque infra tempus indulgentiæ vadit ad ecclesiam talem vsque ad tale tempus, habeat tantum de indulgentia: sed intelligitur semel duntaxat: nisi vbi perenis indulgentia datur, vt in ecclesia sancti Petri quadraginta dierum. Tunc enim quotiens aliquis vadit, totiens indulgẽtiam promeretur.

3. ¶ Præterea pro temporalibus secundum se non sit indulgentia, ne spirituale pro temporali videatur donari, sed prout ordinãtur ad spiritualia: vt repressio inimicorum pacis ac fidei, constructio ecclesiarum ac pontium, nõnunquam indulgentia datur pro pure spirituali. Sicut papa Innocẽtius quartus dedit decem dies indulgentiarũ oranti pro rege Fraciæ. Quandoque etiam datur eadem indulgentia crucem prædicantibus, quæ confertur recipientibus.

¶ Quorum sit dare seu facere indulgentias. Articulus 143.

NVnc ergo ostensum est, quod indulgentiæ fiunt ex communibus bonis ecclesiæ per eum cui dispensatio thesauri huius commissa est. Hoc autem maxime conuenit papæ: episcopis verò secũdum quod eis à summo pontifice taxatum est atque concessum, & non amplius. Et quoniã indulgentias facere spectat ad clauem iurisdictionis, non ordinis, ideirco diaconi & legati seu electi, quanuis nõ sint sacerdotes, indulgentiã facere possũt: ex ordinatione dñi Papæ. Et quia indulgentiã faciens nõ facit eã ex proprio merito, ideo tãtum valent indulgentiæ per eũ factæ, qui in mortali peccato est, sicut per illum qui est sanctissimus. Sacerdotibus verò patrochialibus non conuenit indulgentiam facere, cũ non sint principales prælati, nec toti Ecclesiæ præsidentes, sed quasi coadiutores sui Episcopi. Ité ad indulgentiam requiritur non solum vnio recipientis ad eum qui meruit per charitatem, nã talis communis est omnibus gratiã Dei habentibus: sed oportet, quod sit vnio per intentionem operantis seu promerentis ad eum, qui indulgentiam recipit virtute meritorum ipsius. Hæc verò continuatio aut vnitio fit per causam, pro qua indulgentia fit. ¶ An

¶ *An semper teneatur confessor celare quæ sub confessionis sigillo audiuit 2. An de licentia confitentis ea reuelare possit. 3. An si alias ea cognoscat reuelare possit. Articulus 144.*

EA porro quæ in sacramentis foris aguntur, sunt signa eorũ quæ fiunt intrius. Subiectio igitur illa, qua peccator confessori foris se subijcit, signum est interioris subiectionis, qua se deo anima subdit. Quemadmodum ergo deus peccata cõfessa tegit & quasi ignorat, quia indulsit: sic debet confessor ea celare quasi nunquam fuissent. Et si aliquo modo reuelat, quasi sacramenti violator censendus est. Imo si adiuratus, iussusq; fuerit ea propalare, obedire non debet. Nec cogi potest, quia intentio præcipientis super eum ferri nõ potest, nisi secundum quod homo est. Non enim est superiori subiectus, nisi vt homo. Quæ autem in cõfessione audiuit, nõ vt homo, sed vt dei vicarius nouit. Dato quoq; quod cõfitens nolit se emendare, nõ tamẽ potest peccata eius nudare, quia de iure diuino confessionem sequitur relatio culpę. Sigillum autem confessionis directe concernit peccata, ad alia verò se indirecte extendit. Ideirco alia quę in confessione dicuntur aut fiunt, videlicet ex quibus peccator aut eius peccatum deprehendi potest, summo studio sunt celanda: tam propter scandalum, tum propter pronitatem præuaricationis consuetudinis. Sed & ille qui non est sacerdos, si secretũ aliquod sub sigillo confessionis recipit, tenetur celare.

2. ¶ Deniq; confitens facere potest vt confessor ea quæ in cõfessione audiuit, sciat nõ solum vt deus, sed etiã vt homo, quod facit dũ eum licentiat ad reuelandum, ideo de licentia confitentis potest confessor reuelare peccata. Nihilominus propter scandalum vitandum cauere debet, ne reuelet.

3. ¶ Vnde elucescit, quod confessor ea reuelare potest quæ alias nouit quãm in cõfessione, quanuis in confessione quoque ea audierit. Et hoc verum est, siue ante confessionẽ, siue post eam cognoscat huiusmodi. Quidam autem oppositum, dicunt quorum positio veritati atque iustitiæ seruandæ repugnat.

¶ *An vnctio extrema sit sacramentum. 2. De vnitate huius sacramenti. 3. De institutione ipsius. Articulus 145.*

HOrum præterea quæ ecclesia visibiliter agit, quædã sunt sacramentalia: illæ videlicet actiones, quæ ad principalem effectum, id est, curationem morbi spi-

bi spiritualis nō attingunt, sed disponunt, vt exorcismus. Quidam verò sunt sacramenta, videlicet actiones quæ ad prædictum effectum pertingunt. De quo Esaiæ vigesimoseptimo dicitur: Hic est omnis fructus, vt tollatur peccatum. Vnctio autem extrema ad peccatorum remissionem operatur, ordinatur atq; pertingat, quemadmodum Iac. 5. habetur. Et ideo sacramentum est. Et quoniam vnctio extrema immediate ad gloriæ ingressum disponit, idcirco non habuit in veteri lege figuram seu sacramentum sibi respondens. Nondum enim tunc aderat tempus introitus gloriæ.

2. ¶ Præterea vnum tripliciter dicitur. Primo quod nec actu nec potentia diuidi potest, vt punctus. Secundo, quod actu indiuisum est, sed diuidi potest, sicut cōtinuum. Tertio ipsum perfectum ex pluribus constans, quæ in aliquo vno coniunguntur, vt domus. Et hoc modo sacramentum dicitur vnum, quia in quolibet sacramēto sunt aliqua diuersa, quę ad vnum significandum atq; causandum referuntur. Et dum vna actio sufficit ad perfectam hanc significationem, vnitas sacramēti in vna actione cōsistit: vt in cōfirmatione. Quādoq; verò significatio fieri potest tam per vnam quàm per plures actiones: sicut baptismus, qui fit vel vna vel trina immersione, tuncq; vnitas sacramenti in vna vel pluribus actionibus constat. Interdum quoq; perfecta significatio exigit plures actiones, & tunc plures actiones sunt de perfectione sacramenti: vt in eucharistia, quæ per cibationē & potationē designatur. Et in sacramento pœnitentiæ sunt confessio, absolutio, satisfactio similiter in hoc sacramento. Nā interiorum vulnerum curatio significari non valet nisi per applicationem medicinæ ad diuersas peccatorum radices. Et igitur plures actiones ad huius sacramenti pertinent perfectionem.

3. ¶ Deniq; aliqui dicunt, quod confirmatio & vnctio extrema quoniā plenitudinem gratiæ cōtinent, institutæ non sunt autē missionē spiritussancti. Vnde secundū eos Christus per se non instituit ea, sed Apostolis eorū institutionem cōmisit. Sed quoniam sacramenta ād fundamentū legis spectant, probabilius alij asserunt, quod ipsemet legislator Christus Dominus ea instituit, quamuis Apostoli ea promulgarunt. Quāuis etiam euangelistę de confirmatione & vnctione extrema nil scribant, non sequitur quod Christus per seipsum non instituit ea. Multa enim fecit quæ scripta nō sunt, & de istis non scripse-

scripserunt, quoniam non sunt de necessitate salutis.

¶ An vnctio extrema peccata dimittat. 2. An corporalem sanitatem efficiat. 3. An characterem imprimat. Articulus 14.

QVodlibet verò sacramētum ad vnum principalem effectū ordinatur, qui per ea quæ sensibiliter fiunt, significatur. Vnctio autem extrema per modū medicationis, atque ablutionis impēditur. Vnde sicut baptismus est quædam spiritualis generatio, & pœnitentia spiritalis suscitatio: sic vnctio extrema est quædam spiritualis sanatio. Principalis igitur eius effectus est peccati infirmitatem curare, videlicet ineptitudinem ac debilitatem, quę in nobis ex peccato actuali causantur & relinquuntur. Et ergo dicitur esse contra reliquias peccatorum. Sed quoniā confert & continet gratiam, per cuius infusionem auffertur peccatum, idcirco secundarius eius effectus est tollere culpam, quæ per eam deletur, si adest, siue sit mortalis, siue venialis: nisi quis obicem ponat. Quidam verò affirmāt, quod vnctio extrema principaliter ordinatur contra venialia peccata, sed hoc non valet, quoniam pœnitentia sufficit contra omnia peccata. Vnde principalis effectus huius sacramenti est remissio peccatorum, quantum ad reliquias eorum, & ex consequenti, quantum ad culpam si inuenerit eam: & ideo Iacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur dicens: Et si in peccatis est, dimittentur ei.

2. ¶ At verò vnctio extrema corporalem sanitatem inducit, nō virtute naturali suæ materiæ, sed diuina virtute. Sed hæc sanitas est secundarius huius sacramēti effectus. Secūdarius verò effectus non est introducendus, nisi prout expedit ad principalem effectum. Et ergo deus non semper inducit corporalem sanitatem in huius sacramenti exhibitione, sed tunc solum & semper dum ad spiritualē sanitatem proficuum est, nisi ex parte recipientis impedimentum consistat.

3. ¶ Amplius character in illis duntaxat sacramētis imprimitur, per quæ homo ad aliquid factum agendum vel suscipiendū deputatur. Character enim facit distinctionem statuum, quantū ād ea quæ in ecclesia fiunt. Hæc autem extremæ vnctioni non cōpetunt. Datur enim in remedium cōtra infirmitatem prædictā. Quemadmodum verò in alijs sacramētis est aliquid quod est sacramentum tantū, aliquid quod est res & sacramentū, & aliquid quod est res tantum: ita in hoc sacramento

mento ipsa exterior vnctio est sacramentum tantum. Res autem & sacramentū est ipsa interior mentis deuotio, quæ est spiritualis vnctio, gratia autē quæ confertur, est res tantum.

¶ Quod oleum oliuæ sit huius sacramenti materia. 2. An oporteat hoc oleum esse ab episcopo consecratum. Arti. 147.

SPiritualis demum curatio quæ in fine adhibetur, esse debet perfecta cum sit vltima: & lenis, non mordax, quæ exeuntibus atque debilibus maximè est necessaria. Cùm ergo oleum sit liniuum ac pœnetratiuū & diffusiuum, cōuenit ad prædictas proprietates. Idcirco est conueniens huius sacramēti materia. Oleum quoq; principaliter dicitur liquor oliuæ. Nam alij liquores propter similitudinem eius olei nomen recipiunt. Ideo oleum oliuæ est extremæ vnctionis apta necessariáque materia.

2. ¶ Denique sicut baptismus consistit in ablutione: sic hoc sacramentum in vnctione, & materia eius est oleū sanctificatum, materiæ enim sacramentoū, quibus Christ⁹ vsus non est, sanctificatione egent. Sed illa quib⁹ est vsus, ex suo vsu efficaciam habent vt baptismus. Hoc autem sacramento vsus non est, nec aliqua corporali vnctione. Propter quod in omni vnctione requiritur sanctificatio materiæ. Secunda causa sanctificationis olei extremæ vnctionis est propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur in ea. Quæ non solū tollit culpā, sed & reliquias eius. Tertia causa, quia corporalem sanitatē naturaliter inducere nequit. Et ergo per sanctificationē hanc efficatiam recipit. Præterea efficatia sacramentorū deriuatur à Christo, & per ministros eius dispensatur & vsui applicatur: sic tamen quod potestas inferioris ministri à superiori descendit. Vnde in omnibus sacramentis, quorum materia sanctificatione indiget, prima sanctificatio materiæ fit per episcopum, & vsus interdum per sacerdotem: ad ostendēdum quod sacerdotalis potestas ab episcopali dependet.

¶ De forma huius sacramenti Articulus 148.

OMne igitur sacramentum, vt dictum est, significando operatur. Oportet enim materiā sacramēti determinari ad certum ac proprium effectum per quē designat spiritualem sacramenti operationē. Sed talis significatio sine verbis fieri nequit. Et ergo in omni sacramēto nouę legis est aliqua forma verborū. Forma autē huius sacramenti per modum deprecatiuum profertur, cum dicitur,

dicitur: Per istam vnctionem & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi deus, &c. Et hæc forma ab omnibus obseruanda est. Alia verò sunt de bene esse, nec obseruantur, ab omnibus. Cùm nāq; hoc sacramētū suscipiēs viribus destituatur, congruit, vt pro eo deprecatio fiat. Et sic sacramentū extremæ vnctionis ei apponitur per modum deprecationis, quē admodum Iacobus docet. Secundo quoniam datur exeuntibus qui desinunt esse de foro ecclesię, & in manu dei requiescunt. Et ideo ei per modum orationis recommendantur. Itē quoniam hoc sacramentum non habet aliquem effectū qui semper operatione ministri producatur, omnib⁹ quę ad eius essentiam pertinent, rite peractis: & ergo nō potest habere formā verborū indicatiui modi. Prædicta verò forma aptissima est, tangit enim sacramentū, dum dicit: Per istā vnctionē & eum qui effectū sacramēti inducit, dicēdo, Et suā pijssimā misericordiā. Effectū quoq; exprimit adiungens Indulgeat.

¶ De ministro huius sacramenti 2. De eo cui conficiendum est 3. Quæ parte sit dandum. Articulus 149.

AGnoscendum quoque, quod secundum Dionysium, diaconi non habent nisi vim purgatiuam, sacerdotes verò habent vim illuminatiuam, episcopi perfectiuam. Quoniam igitur sacramenta nouæ legis gratiam continent atque impendunt, non competit eorum administratio diacono ex proprio officio. Non ergo diaconus esse debet huius sacramenti minister, sed sacerdos, nō enim oportet, vt sit episcopus, nam illa sacramenta episcopis administranda reseruantur, quæ suscipientem in aliquo statu perfectionis super alios ponunt, vt ordo & cōfirmatio, sed hoc extremæ vnctioni non competit, quæ omnibus datur.

2. ¶ Præterea hoc sacramentum est spiritualis curatio, quæ per modū corporalis infirmitatis repræsentatur: & ergo hoc sacramentum nō est sanis sed ægris donandū. Rursus cum hoc sactamentū sit vltimū medicamen ecclesiæ, velut immediate disponens ad introitū gloriæ per hoc, quod reliquiæ peccatorum tollit: idcirco dandū est in tali infirmitate, quæ nata est mortem inferre, dūmq; de periculo formidatur.

¶ Adhuc autem quoniam hoc sacramentum per modū orationis impenditur, ideo ad percipiendum eius effectum plurimum valet deuotio suscipientis. Personale quoque meritū dantis atque commune meritum totius ecclesiæ. Vnde dandum

dum nō est eis qui recognoscere nequeunt,& cū deuotione recipere,& præsertim furiosis atq; amentibus. Possunt enim sacramento irreuerentiam exhibere: nisi haberēt aliqua lucida interualla. Item pueris dādum non est, sicut nec eucharistia,nam ad vtriusque receptionem requiritur actualis deuotio ac motus liberi arbitrij in recipiente.

3. ¶Denique sicut corporalis medicina non toti corpori applicatur,sed parti in qua vulnus dominatur: sic vnctio extrema quæ est spiritualis medicina,non toti corpori apponitur, sed partibus illis in quibus est radix peccādi,scilicet sensibus qui sunt principia nostræ cognitionis, & in renibus, ad designandum vim appetitiuam,quæ imperat actum:atq; in pedibus,per quos designatur vis exequens motū. Mutilati autem vngēdi sunt in partibus vicinioribus his locis prędictis quantus enim organa vel partes istas nō habeant, habent tamen potentias animæ in radice,& interius peccare possunt.

¶ *An vnctio extrema possit iterari. 2. An in eadem infirmitate valeat iterari. Articulus* 150.

AMplius considerandū, quod sacramenta perpetuum effectum habentia iterari non debent. Ostenderent enim,quod non essent idonea ad producendū suum effectum,si iterarentur. Vnde sacramenta quæ character imprimunt,non iterantur: videlicet baptismus, confirmatio ordo. Sanitas verò mentis,& etiam corporis in homine,ad quam vnctio extrema ordinatur,amitti potest:& ergo hoc sacramentum iterari potest,quatenus ille effectus recuperetur sicut pœnitentia,& eucharistiæ sumptio.

2. ¶Porro morborum quidam non sunt diuturni,& dum in illis homo iuungitur, non redit ad pristinum statum nisi omnino curetur,& si recidiuum incurrit,alia erit infirmitas. In talibus ergo morbis eisdem manentibus vnctio nō iteratur, sed sunt rursus vngendi in recidiuo. Aliæ verò sunt ægritudines diuturnæ, sicut hydropisis & Ethica, &c. & in talibus æger vngi nō debet,nisi periculum mortis imminere putetur, & si illum articulum æger euadit ac denuo similem infirmitatis statum in eadem infirmitate incurrat, iterum est vngendus. Vnde in talibus infirmitatibus potest vnctio iterari eodem morbo durante,hoc nanque sacramentum non tantum concernit infirmitatem,sed etiam infirmitatis statum. ¶ *An*

¶ *An ordo in ecclesia esse debeat 2. Quid sit ordo. 3. An sit sacramentum. 4. De forma eius 5. An habeat materiam. Articulus* 151.

DEus autem benedictus & sapiens omnia ad suam similitudinem aliquo modo fecit,quatenus diuina perfectio in eis reluceret, & vt ex rebus cognosci posset creator. Vnde vt de' cognosceretur ex creaturis non solum secundum quod in seipso est, sed etiam secundum quod ipse alijs influit, ideo posuit diuersos ordines in rebus creatis, videlicet vt vna regatur per aliam, & inferiora per superiora perficiantur,vt Dionysius docet. Propterea ergo voluit Deus in ecclesia ordinem esse, vt quidam quasi cooperatores Dei existerent: sicque diuinam perfectionem eminentius participarent. Ordines autem ecclesiæ non attenduntur secundum distinctionem gratiæ gratum facientis,sicut in angelis,qui sunt in statu gloriæ:sed secundum distinctionem potestatis: respiciunt enim participationem sacramentorum & communicationem,quæ sunt causa gratiæ, & quodammodo eam præcedunt. Vnde de necessitate nostrorum ordinum non est gratia gratificans,sed potestas dispensandi sacramenta.

2. ¶Insuper ordo sic diffinitur à magistro: Ordo est signaculum quoddam ecclesiæ,per quod spiritualis potestas traditur ordinato. Diffinit autem ordinem prout est sacramentū, & sumit signaculum nō pro interiori charactere, sed pro eo quod exterius geritur: quod est interioris potestatis signum & causa, quāuis pro interiori charactere accipi possit. Nam diuisio ordinis in id quod est res tantum, quod est gratia in ordine data,& in id quod est res & sacramentum, quod est character interior, atque in id quod est sacramentum tātum quod est exterius signaculum,non est diuisio in partes integrales. Quod enim est res tantum,non est de essentia sacramenti. Ipsum quoque exterius signaculum seu sacramentum transit,& ideo character interior est principaliter & essentialiter ipsum ordinis sacramentum. Veruntamen nomen ordinis dupliciter sumitur. Vno modo pro relatione, & sic est in superiori quàm in inferiori. Secundo accipitur pro gradu, qui ordinem prædictum causat,& ita nunc sumitur.

3. ¶Præterea sacramentum est sanctificatio cum signo sensibili exhibita homini,cum ergo in susceptione ordinis consecratio homini adhibeatur per visibilia signa,sequitur quod

ordo sit sacramentum,& hoc sacramentum,ad aliorum sacramentorum dispensationem ordinatur.

4. ¶ Sciendum quoque,quod hoc sacramentum cõsistit principue in potestate cõcessa. Potestas autem à potestate traditur,sicut simile à simili. Potestas etiam per vsum seu actum cognoscitur: ideirco in forma huius sacramenti exprimitur vsus ordinis per actũ qui imperatur,& ita traductio potestatis per imperatiuum modum,dum dicitur: Accipe, vel age, hoc vel illud.

5. ¶ Denique quoniã potestas imperfecta à potestate perfecta causatur, ideirco ordo sacerdotalis ab episcopali potestate quodãmodo derivatur, & non tantum à deo. In alijs verò sacramentis id quod confertur,solũ à deo, non à ministro efficitur. Propter quod sacramentum ordinis alio modo habet materiam quàm alia sacramenta. Nam materia in hoc sacramento potius adhibetur ad determinandũ potestatem, quæ particulariter ordinato donatur ab illo, qui eã plene sortitur quàm ad causandum potestatem,quę traditur sicut potrectio calicis. Aliorum autem sacramentorum effectus causatur à materia, quæ virtutem diuinam ex sanctificatione continet atque significat sic quod virtus causatiua effectus sacramentalis est potius in materia verbo vitę sanctificata,quàm in ministro. Sed in sacramento ordinis huiusmodi virtus non residet in materia,quæ adiungitur,sed apud ministrum, qui spiritualem suam potestatem traducit & confert. In hoc nanque sacramento est quasi quædam communicatio vniuoca. Quoniam virtus collata ad eosdẽ actus ordinatur qui competunt potestati ordinantis. Et quoniam materia huius sacramenti virtutem sanctificandi non continet nec sanctificationem inducit,quemadmodum aliorum materia sacramentorum, ideirco non sanctificatur sicut aliorum materia. Non enim candelabrum seu claues sanctificantur, antequam porrigantur. Quidam etiam asserunt,quod tactus materiæ nõ sit de essentia huius sacramẽti,sed ipsa porrectio. Sed huius oppositum videtur innuere forma sacramenti, qua dicitur: Accipe, &c.

¶ *An in sacramento ordinis conferatur gratia gratum faciens.2. An character ordinis præsupponat characterẽ baptismalem.3. An in sacramento ordinis imprimatur character.4. An character ordinis præsupponat etiam characterem confirmationis.5. An character vnius ordinis præsupponat characterem alterius.*

OPera denique dei perfecta sunt,cuicunque ergo diuinitus datur potestas,et quoque donantur ea per quæ executio potestatis fieri potest. Sicut autẽ gratia gratum faciẽs necessaria est recipienti sacramẽta,quatenus ea digne recipiat:sic & dispẽsanti gratia talis necessaria extat. Cum ergo in sacramento ordinis detur potestas dispensandi sacramẽta,palã est quod gratia gratũ faciẽs conferatur in hoc sacramẽto. Ordinatur enim ad vtilitatẽ nõ vnius sed totius populi,& contra ignorantiam non solum ordinati,sed omnium qui per ordinatos instrui habent. Vnde in hoc sacramento confertur excellens gratię munus nisi obex ponatur.

2. ¶ Denique nemo recipere potest id cuius capax non est, cum ergo secundum præostensa per receptionem baptismalis characteris fiat homo aliorum sacramẽtorum susceptiuus, oportet quod character ordinis characterẽ baptismi supponat. Vnde qui baptisatus nõ est ordinati nõ potest nec sacerdos fieri,& si ordinaretur,nihil conficeret. Imo si episcopus fieret,alios ordinare õn posset, quãuis pie credi possit quod summus sacerdos dominus noster Iesus Christus quantum ad vltimos sacramentorum effectus defectum suppleret,nec permitteret hoc ita facere quod ecclesiæ periculum immineret.

3. ¶ Porro in omnibus ordinibus ecclesiæ character imprimitur,quia quemlibet ordinẽ constituitur quis in aliquo gradu potestatis supra plebem ad sacramentorum dispensationẽ & spiritualis potestatis:sequitur quod in quolibet ordine imprimatur character. Aliqui verò dixerunt,quod solum in ordine sacerdotali character imprimitur. Alij autem, quod solum in sacris ordinibus,& non in minoribus. Sed vtraq; positio stare non potest. Cuius signum est,quod omnes ordines perpetuo manent & nunquam reiterantur. Nam si ad laicatum quis reducat characterem non amittit. Quod patet ex hoc,quia si reuertatur ad clericatum,non denuo ordinatur linitiuum.

4. ¶ Insuper ordo confirmationis non de necessitate exigitur ante characterem ordinis, sed de cõgruitate:omnis enim perfectio necessaria satis videtur ad idoneam executionem ordinis sacramentalis. Et ideo gratia & potestas quæ in confirmatione cõferuntur, cõgruenter debent inesse ordinãdo.

5. ¶Amplius non est de necessitate, vt inferiores ordines recipiantur ab homine, antequam ad superiores ordines promoueatur. Ordines enim distincti sunt, nec vnus de sui ratione præexigit alium in eodem subiecto. Vndè in primitiua ecclesia aliqui ordinabãtur præsbyteri, qui inferiores ordines necdum receperant. & nihilominus poterant omnia quæ inferiores ordines possunt. Virtus namq; inferioris in superiori includitur, sicut ducatus in regno. Postmodum verò ecclesia statuit, ne quis ad maiores se ordines ingerat, qui prius in inferioribus ordinibus non se humiliauit. Vnde secundum Canones non reordinantur, qui per saltum ordinãtur, sed quod omissum de præcedentibus ordinibus eis confertur.

¶Vtrum ad receptionem ordinis exigatur bonitas vitæ. 2. An scientia totius scripturæ. 3. An aliquis ex merito vitæ sit sacerdos. 4. An promouens indignos peccet. 5. An in peccato existens, possit sine peccato vti ordine suo. Artic. 153.

QVemadmodum tert. Ecclesiasticæ hierarchiæ cap. Dionysius ait, non est audendũ aut præsumendum alicui, vt fiat vel sit dux aliorũ in spiritualibus maxime, nisi secundum omnem habitum perfectionis sit Dei formissimus, id est, Deo similimus. Per ordinem verò fit homo dux aliorum in his, quæ ordinem illum concernunt. Et ergo sanctitas vitæ requiritur ad ordinis susceptionem non de necessitate sacramenti, quia mali verè ordinantur. sed de necessitate præcepti. Cùm enim ordinati inter Deum & plebem medij collocentur, debent omnino bona cõscientia stare coram Deo, & bona fama coram populo.

2. ¶Porro actio hominis per rationem dirigitur, vt sit ordinata & bona. Recipienti itaque ordinem tanta scientia necessaria est, quanta exigitur ad digne prosequendum actũ ordinis talis. Non autem oportet quod coram scripturam cognoscat, sed inquantum suo ordini congruit. Nam qui aliis præficiuntur & curam animarum habent, ea scire debẽt quæ ad doctrinam morum ac fidei pertinent. Sacerdotibus verò qui curam animarum non habent, sufficit scire ea quæ ad sacramentum perficiendum respiciũt. Episcopi verò etiam difficiliores ac profundiores quæstiones legis seu fidei Christianæ cognoscere debent. Nam in talibus prælati inferiores ad eos recurrere habent: & quanto est gradus sublimior, tanto amplius necessaria est scientia.

3. ¶Sciendum verò, quod nullus merito suæ vitæ sacerdos efficitur, quasi potestatem consecrandi sortitus, sed solum secũdum nominis interpretationem, vt dicatur homo sanctus sacerdos, id est, sacra dans. Et sic intelligendum est verbum Chrysostomi. Nõ omnis (inquit) sacerdos sanctus, sed omnis sanctus sacerdos.

4. ¶Præterea Christo testante: Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dñs super familiam suam. Idcirco præponitur alijs, vt det illis tritici mensuram. Vnde dispensator sacramentorum, qui indignum ad ordinẽ promouet vel ordinat, mortaliter peccat, quasi res Domini sui indignis distribuẽs: ex quo infidelis domino atque imprudens efficitur. Et talis promotio in detrimẽtum ecclesiæ deique nominis iniuriam vergit. Melius nãque esset habere paucos ministros bonos, quam multos malos, vt Clemẽs Papa testatur. Et si in digni repellerẽtur, tunc procul dubio ex diuina ordinatione digni sufficienter inuenirentur. Debet autem Episcopus inquisitionem facere de qualitate ordinandorum, vt sciat dignitatem vel insufficientiam eorum.

4. ¶Adhuc autem ea quæ iusta & bona sunt, iuste & bene exequenda sunt atque tractanda, quicunque verò in mortali peccato existens aliquod sacrum officium aut sacramentum pertractat iniuste & male hoc agit, & contra legis præceptũ facit atque mortaliter peccat. Imo quotiescunque hoc facit aut res sacras contingit, quasi suo officio vtens, mortaliter peccat. Nam secundum Dionysium primo, Ecclesiasticæ Hierarchiæ capitulo. Immundis nec symbola, id est, sacramentalia signa, tangere fas est.

¶De pluralitate ordinum. 2. De numero eorum. 3. De diuisione ipsorum in sacros, & non sacros. Articulus 154.

SVnt demum plures ordines in ecclesia. Primo ad commendandam ac repræsentandam sapientiam Dei, quę in ordine rerum potissimè lucet. Vnde regina Saba videns ordinem ministrorum Salomonis, nõ habuit spiritum, deficiens præ ammiratione sapientiæ eius. Secũdo ad subueniendum humanę infirmitati, omnia enim sacramenta per vnum amministrari nõ possunt. Tertio, vt ex pluralitate ministrorũ cultus diuini detur populo maius ac plenius proficiendi exemplum. Diuisio verò ordinis in sua particularia nõ est totius integralis, vel genetis, sed totius potestatiuæ in

 suas

suas partes potentiales. Natura enim totius potestatiuæ est, vt totum secundum completam rationẽ sit in vno & in alijs secundum aliquam participationem. Sic enim est hic, quoniã tota plenitudo sacramenti ordinis est in vno, scilicet in sacerdotio secundum perfectam rationem, in alijs vero secundum aliqualem participationem.

2. ¶ Denique sacramentum ordinis ad sacramentum eucharistiæ ordinatur, & ergo distinctio ordinum sumitur secundum relationem ad eucharistiæ sacramentum. Vel enim potestas ordinis est consecratiua eucharistiæ, vel est ad aliquod ministerium ordinata ad consecrationem. Si primum, sic est ordo sacerdotum, qui in sua ordinatione çalicem cum vino atque patenam cum pane recipiunt. Si secundum, tunc cooperatio ministrorum est vel ad ipsum sacramentum, vel ad ipsos recipientes. Si primum: hoc triplicitèr accidit. Primum nanq; ministerium est, quod sacerdoti minister exhibet in sacramento, quo ad dispensationẽ sacramenti. Et hoc ad diaconum pertinet, cius enim est ministrare sacerdoti in omnibus quæ in Christi sacramentis aguntur. Nam & diaconi sanguinem dispensant. Secundo est ministerium, quod ad materiã sacramenti ordinandam in sacris vasis ordinatur. Quod ad subdiaconum spectat, cuius est oblationem in altari ponere, & vasa corporis sanguinisq; portare. Et ergo in sua ordinatione accipit calicem de manu Episcopi, vacuum tamen. Tertio est ministerium ordinatum ad præsentandum materiam sacramenti: quod acolytum respicit, cuius est vrceolum cum vino & aqua parare: Propter quod vrceolum vacuum recipit. Ministerium verò ordinatũ ad præparationem recipientium non est nisi super immundos, quoniam mundi iam parati sunt atque idonei ad sacramenta sumenda. Immundorũ autem secundum Dionysiũ triplex est genus: Quidam enim sunt omnino infideles credere nolentes. Et hi à visione sacramentorum ac certu fidelium pœnitus sunt arcendi: & hoc ad ostiarios pertinet. Quidam autem sunt qui credere volunt, sed nondum in fide imbuti stabiliq; sunt, vt catechumeni. Et ad horum institutionem ordinatur ordo lectorum. Vnde prima fidei rudimenta, videlicet vetus testamentum, eis legẽdum committitur. Quidam demum sunt fideles atque instructi, sed impedimentum habent ex potestate diaboli, vt energumeni. Et super hos ministerium habet ordo exorcistarum.

Septem

Septẽ ergo sunt ordines. In primitiua verò Ecclesia inferiorum omnium ordinum ministeria cõmittebantur diaconis, propter paucitatem ministrorum Ecclesiæ.

2. ¶ Præterea ordo dicitur sacer dupliciter. Primo secundum se, & sic quilibet ordo dicitur sacer, cum sit sacramentũ. Secundo ratione materiæ, circa quã operatur. Et sic sunt tres ordines sacri, videlicet sacerdos atque diaconus, qui actum habent circa corpus Christi, vel sanguinem cõsecratum: & subdiaconus, qui circa vasa consecrata actum habet. Propter quod continentia ei indicitur quatenus sacra mundus contingit & tractet.

¶ De actibus ordinum. 2. Quando character sacerdotalis imprimitur. Articulus 155.

QVia igitur consecratio, quæ in sacramento ordinis fit, ad eucharistiã ordinatur: idcirco ille est cuiuslibet ordinis dignior actus, per quẽ ad Eucharistiæ sacramentũ magis propinquat. Potest tamen ordo habere alios plures actus secũdarios ac min⁹ principales: & ita ad sacramenti Eucharistiæ perceptionem disponit sacerdos absoluendo tanquã proximam præparationẽ inducens. Inferiores vero ministri præparã suscipiẽtes, remotam dispositionem agendo. Acolytus quoque actũ habet super vrceolum, non super contenta in eo. Nam subdiaconi est aquam & vinum in calice ponere. Ordo autẽ acolyti est subdiacono magis propinquus, quàm cæteri ordines inferiores.

2. ¶ Denique eiusdem est formam inducere, & materiã de proximo ad formam disponere. Episcopus autẽ in collatione ordinum duo facit. Nam præparat, & potestatem cõfert. Præparat, autem instruendo ordinandos de proprio officio. Quæ præparatio in tribus consistit, videlicet in benedictione, qua diuinis mancipantur. In manus impositione, per quam plenitudo gratiæ datur: vt sint ad magna officia digni. Et ideo non nisi sacerdotibus atque diaconis manus imponi tur, quoniam officium habent in dispensatione sacramentorum, sacerdos ex proprio officio, diaconus tanquã minister. Et tertio in vnctione quæ solis sacerdotibus fit, qui propria manu corpus domini tangunt: quemadmodũ & calix intingitur: quoniam continet sanguinem, & patena quæ cõtinet corpus. Sed potestatis collatio fit per hoc, quod datur eis aliquid ad proprium eorum pertinens actũ. Cùm itaque principalis

Universidad de Deusto
Biblioteca

cipalis actio sacerdotis sit consecrare corpus Christi & sanguinem: idcirco in datione calicis sub forma verborum determinata sacerdotalis character imprimitur. Potestas autem diaconi media est inter potestatem sacerdotis, & subdiaconi. Nã sacerdos potestatẽ sortitur directè super corpus Christi. Subdiaconus verò super vasa dũtaxat. Sed diaconus super corpus in vase contentum. Eius namque non est tãgere corpus Christi, sed illud in patena portare, & sanguinem dispensare cum calice. Propter quod potestas eius ad actum principalem exprimi nequit, nec per dationem vasis seu calicis, sicut fit in subdiacono. Nec per dationẽ materiæ, sed exprimitur potestas eius quãtum ad secũdarium actũ per hoc, quod datur ei liber euangeliorum, & in hac potestate intelligitur alia quæ est ad principalem actum, & ideo in ipsa libri datione imprimitur eius character. Acolyto quoque imprimitur character in datione vrceoli. Veruntamen nomẽ acolyti portationem cerei signat, & sic à ministerio, quod habet circa candelabrum, nomen accepit: non quod ille actus sit principalior, sed notior.

¶ De corona & rasura ordinatorum. 2. An corona sit sacramentum 3. An per eam reseretur temporalibus. Artic. 156.

BEne præterea competit his qui ad diuinum cultum applicãtur, rasura atque tonsura per modum coronæ. Est enim corona signum perfectionis ac regni, cum sit circularis figuræ. Qui autem ad Dei cultum applicãtur, regiam dignitatem consequuntur, & virtutum perfectionem habere tenentur. Conuenit quoque eis rasura in parte superioti, ne mens eorum à contemplatione diuinorum retardetur, & tonsura in parte inferiori, ne sensus eorum temporalibus inuoluantur. Vnde in veteri testamẽto Nazaræi comam radebant omnino, in signum contemptus temporalium rerum. Similiter modo conuersi tonduntur, in signũ quod temporalia spernunt. Non autem raduntur, quoniam non occupantur diuinis ministerijs, in quibus contemplando figãtur.

2. ¶ Corona autem clericorum sacramentum non est, non enim per eam deputatur homo ad speciale officiũ, sicut per ordines: sed ad quædam communia, quæ à toto ministrorum collegio fieri possunt, vt dicere laudes diuinas. Et ergo corona est quoddam præambulum ad ordinem.

3. ¶ Porro clerici recipiendo coronam non renunciant patri-

monio cæterisq; temporalibus rebus: sed immoderatę earum solicitudini, atq; inordinato affectui. Non enim temporalis possessio: sed affectus in crimine est, nec temporalia cõtrariantur cultui Dei, ad quem clerici deputantur, sed nimia cura & amor. Episcopus verò tenetur sustentare clericos ad sacros ordines promotos, si egeant, aliàs non tenetur.

¶ An super sacerdotalem ordinem debeat esse episcopalis potestas. 2. An episcopatus sit ordo. 3. An aliquis sit superior episcopo. Articulus 157.

HAbet autem sacerdos duos actus, Vnum principalem super corpus Christi verum, qui est conficere. Alium secundarium super corpus Christi mysticũ, scilicet absoluendo atque ligando, & ad sacramenta populum præparando. Quantum autem ad primũ actum, potestas sacerdotis non dependet nisi à potestate diuina: sed quantum ad actum secũdum, qui exigit iurisdictionem sacerdotis super populum cui prædictos actus impendere debet. Et quo ad hunc actum requirit sacerdotalis potestas episcopalem potestatem superiorem, per quam alijs præficiatur.

2. ¶ Denique episcopatus non est ordo, prout ordo dicitur sacramentum ad Eucharistiam ordinatum. Nam respectu sacramenti eucharistiæ non habet episcopus maiorem potestatem, quàm sacerdos. Alio modo ordo dicitur officium respectu aliquarum actionum sanctarum. Et sic episcopatus est ordo, quia episcopus actionem hierarchicã habet super corpus Christi mysticum, id est, ecclesiã altiorem quàm sacerdos. Et hoc modo Dionysius in libro de Ecclesiastica Hierarchia ponit tres ordines, videlicet diaconatum, cuius est purgare & illuminare, & episcopatum, cui cõpetunt purgare illuminare, atque perficere, sub diaconatu verò comprehenduntur ordines inferiores.

3. ¶ At verò in virtutibus & actibus est ordo secundum ordinem finium, vt dicitur primo Ethicorũ. Cùm ergo in ecclesia Dei sint multa particularia regimina, oportet omnia haec vni vniuersali regimini subdi, quatenus diuersa in vno cõmunicent & concurrant, sicque omnia ad eundem finem perveniant. Vnde super omnes Episcopos esse oportet vnum summum pontificem. Et hic est papa, cuius potestatem negantes merito dicuntur schismatici, id est, vnitatis diuersores ac violatores. Tota enim ecclesia vnũ corpus esse nõ posset, nisi a-

num caput haberet. Qui ergo hoc caput negat, vita caret, quemadmodum corpus truncatum.

¶ *De vestibus sacris ministrorum Ecclesiæ. Articulus 158.*

ATtendendū est quoq; quod vestes sacræ ministrorum Ecclesię designāt idoneitates, quę in ministris esse debent ad tractandum diuina. Et ideo quędā vestes cōmunes sunt omnibus. Aliquę verò solis superioribus congruunt. Omnibus itaque competit amictus humeros tegens, ad designandum fortitudinē, quæ in ipsis esse debet ad exequenda diuina. Similiter alba, quę vitę puritatem significat. Cingulum quoque quod carnis repræhensionem figurat. Subdiaconus verò vltra hęc habet manipulum, qui est velut quoddam sudarium in sinistra: ad insinuandā detersionem minimarum culparum. Habet & tunicā strictā quæ doctrinam Christi designat. Subdiaconi enim primo admittuntur ad doctrinam nouæ legis annunciandā. Sed diaconus habęt stolam in humero sinistro, in signum quod applicatur ad ministerium in ipsis sacramētis. Habet quoq; dalmaticam, quę est vestis larga & ita vocatur quoniā vsus eius in Dalmatia cœpit: ad ostendendum, quod ipse primo sacramentorum ponitur dispensator, nū & sanguinem dispensat. dispensatori verò largitas conuenit.

¶ Porro sacerdotis stola in vtroque humero ponitur: ad demonstrandum, quod ei plena insit potestas dispensandi sacramenta. Habet & casulam, quæ charitatem significat. Nā ipse charitatis conficit sacramentū. Episcopis quoq; adduntur nouem ornamenta supra sacerdotes, videlicet caligę, sandalia, succinctorium, tunica, dalmatica, mitra, chirothecæ, annulus, & baculus, quoniam nouem possunt, quę sacerdotes non possunt, vtpote clericos ordinare, virgines benedicere, basilicas dedicare, clericos disponere, modos celebrare, chrisma conficere, vestes & vasa consecrare. Vel per caligas gressuū rectitudo exprimitur. Per sandalia, quæ pedes tangunt, terrenorum contemptus. Per succinctorium quo stola ligatur cum alba, amor honestatis. Per tunicam perseuerantia, per dalmaticam largitas in operibus misericordię. Per chirothecas cautela in opere. Per mitram, quæ duo cornua habet, vtriusq; testamenti cognitio. Per baculū cura pastoralis qua debet colligere vagos, quod curuitas baculi repręsentat, sustentare infirmos, quod stipes baculi monstrat & pungere lentos,

lentos, quod stimulus in pede baculi inuit. Per annulū sacramenta fidei designantur, qua Christo disponsatur ecclesia. Archiepiscopis verò superadditur pallium, in signum priuilegiatæ potestatis. Pallium namque significat auream torquē, quam solebant legitimè certantes accipere. Vtitur autē episcopus vestibus ministrorum potius quām sacerdos, quoniā actus, vel potestas ministrorum in ipso est, sicut in origine. Erant quoque in veteri testamento quædam ornamēta quibus in noua lege quædam correspondent atque succedunt. Nam loco superhumeralis vtitur sacerdos stola, quæ idem designat. Pallio quoque vtitur loco rationalis. Item pro lamina aurea portat noster pontifex crucem, vt Innocentius dicit. Pro fœminalibus verò habet sandalia. Pro linea albam. Pro baltheo cingulum. Pro podore tunicā. Pro ephot amictum. Pro cidari mitram. Aduertendum autem, quod Pontifex Romanus non vtitur baculo, quoniam Petrus misit illum ad suscitandum quendam suum discipulū defunctum, qui postea factus est Episcopus Treuerensis. Propter quod in diocesi Treuerensi Papa baculum portat, non alibi.

¶ *An ordines conferre sit episcoporum duntaxat. 2. An hæretici & fraudis ordines conferant. 3. An mulier ordinē suscipere valeat. 4. An pueri & vsu rationis carentes ordinem queant recipere. Articulus 159.*

EPiscopalis demum potestas ad inferiores ordines se habet, quemadmodū ars superior ad inferiorem. Vnde sicut superior ars inferiori præsigit atque ostendit quid agere debeat & qualiter: sic episcopi est ordines inferiores cōferre, & in omnibus diuinis ministerijs aliquos collocare. Ipse nanq; virgines benedicit, quæ typum gerunt ecclesiæ Christo desponsatæ, cuius cura ei præsertim cōmittitur. Vnde & vasa atq; altaria, vestes & templa cōsecrat, & ipse solus ordines confert. Archidiaconus verò est ministerij princeps. Verumtamen papa, qui plenitudinem potestatis sortitur, ea quæ episcopalem sacerdotem concernunt, simplici sacerdoti committere potest: dummodo illa non habeāt immediatam habitudinem ad verum Christi corpus. Ideireo ex commissione papę simplex sacerdos minores ordines cōferre potest & consecrare: non autē ordines maiores, quoniam immediatam relationem habēt ad verum Christi corpus, super quod maiorē potestatē nō habet, quā simplex sacerdos,

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. ¶Porro episcopi degradati, præcisi, excommunicati, siue hæretici potestatem episcopalem nõ amittunt, nõ enim denuo consecrantur, dum reconciliantur. Et iterum quia omnis potestas, quæ cum aliqua consecratione donatur, semper manet, te ipsa durante. Nam altare seu vestis semel consecrata non iterum consecratur, nisi prius destruatur. Idcirco tales episcopi vera sacramenta conferunt, non autem dant gratiam non propter inefficaciam sacramentorum, sed propter peccata recipientium. Vnde hæreticus absoluere, vel ligare non potest, quoniam absolutio nõ fit nisi per gratiam & etiam, quia iurisdictionem amisit. Ordinati quoque à prædictis in ordinibus suis licite ministrare non possunt.

3. ¶Præterea sacramentum cum sit signum, cõferri non potest nisi habenti correspondentiam ad significationem sacramenti. Idcirco sicut in extrema vnctione requiritur, vt sit infirmus: sic de necessitate sacramenti ordinis est, vt qui ordinatur, sit vir. Ordo enim gradus eminentiam signat, & in statu super alios ponit. Mulier autem naturaliter subiecta est viro. Quãuis igitur omni circa eam fiant quæ in sacramento ordinis fiunt, ordinem tamen non recipit. In Decretis tamen fit mentio de diaconissa atque præsbytera. Sed diaconissa ibi vocatur, quæ actum diaconi participat, scilicet quæ homilia legit. Presbytera verò vidua dicitur. Nam presbyter est idem quod senior. De abbatissis verò fertur, quod habent potestatem nõ ordinariam sed ex commissione, propter periculum cohabitationis virorum cum fœminis.

4. ¶Denique sacramenta quæ actum recipientis requirũt, quemadmodum pœnitentia & matrimonium pueris conferri non possunt, nec eis qui vsu rationis priuantur. Non enim actum possunt habere ratione ligata. Sed quoniam potestates infusæ actum præcedunt. Ideo sacramenta illa in quibus potestas diuinitus datur, nec actus suscipientis de necessitate exigitur, pueris & vsu rationis carentibus possunt conferri. Verumtamen ordines minores ante tempus discretionis dari non debent, propter honestatem sacramenti, nõ propter necessitatem præcepti. Imo pueri de quibus est spes profectus futuri, ante tempus discretionis licite ordinantur. Sed ordines maiores propter votum castitatis annexum ante tempus discretionis conferendi non sunt de necessitate præcepti, & quoniã sacra committuntur eis tractãda. Aliqui tamen affir-

affirmant, nullũ ordinem posse ante tempus discretionis cõferri. Sed dictum eorũ nec ratione nec authoritate fulcitur.

¶ *An seruitus. 2. An homicidium. 3. An illegitima natiuitas. 4. An defectus membrorum, impediant à susceptione ordinis. Art. 160.*

NEmo denique dare potest alteri quod suum nõ est. Seruus autem est non suiipsius, sed domini. Per ordinis verò susceptionem mãcipatur homo diuinis officijs. Seruus ergo ordinari non potest. Si verò ordinatur, ordinem recipit, quia libertas non est de necessitate sacramenti, sed præcepti, quę impedit actum nõ potestatem. Et simulis ratio est de omnibus, qui alijs obligãtur vt ratiocinijs detenti. Ordinatur autem seruus domino suo sciẽte nec reclamante, ex hoc ipso ingenuus fit. Si verò Dñs nesciat, tunc episcopus & illi qui seruum præsentant, tenentur domino in duplo quàm sit pretium serui, si scierant eum esse seruum. Alias seruus si habet peculium, tenetur seipsum redimere. Alioquin redigetur in seruitutem domini sui, nõ obstante quod ordinem exequi nequit.

2. ¶Amplius omnes ordines ad Eucharistiam referuntur, quæ est sacramẽtum pacis, per Christi sanguinis effusionem factæ. Huic autem paci homicidium maximè contrariatur. Vnde ordinandum non esse homicidam, est de necessitate præcepti non sacramenti. sicut de seruo præhabitum est. Vnde & iudex & omnes qui in causa sanguinis ei participant, sunt irregulares. Irregularitas enim incurritur non solũ propter culpam: sed principaliter propter inepitudinem personę ad sacramentum. Sanguinis autem effusio non decet tanti sacramenti ministros. Qui tamen per ignorantiam, quę omnino excusat hominem occidit, non efficitur irregularis. Imo nec homicida censendus est. Nullus enim facit, nisi illud, cuius causa est, quod est voluntarium in homine.

3. ¶At verò ad ordinatos requiritur de necessitate præcepti claritatis quædã morum ac famæ, eo quod in dignitate constituantur alijsque præficiantur. Cùm ergo vitiosa origo claritatem hominis obscuret, nõ sunt illegitimè nati sine dispensatione ordinandi. Et quanto fuerit origo vitiosior, tanta dispensatio debet esse difficilior.

4. ¶Ob eandem quoq; causam, notabilis defectus in membris, vt nasi abscisio, susceptionẽ ordinis impedit de necessitate præcepti. Obscurat enim claritatem personæ.

¶Verum

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Vtrum matrimonium sit naturale. 2. An sit in præcepto. 3. An actus eius sit semper peccatum. 4. An possit esse meritorius. Articulus 161.

DIcitur verò aliquid naturale dupliciter. Vno mõ, sicut ex principijs naturæ de necessitate causatum vetetti deorsum, naturale est terræ. Et sic nec matrimoniũ, nec aliquid quod per liberũ arbitriũ completur, naturale consistit. Secundo dicitur naturale, ad quod natura inclinat, sed per libertum completur arbitrium. Et sic virtutes naturales dicuntur, & etiam matrimoniũ, tam propter principalem suum finẽ, qui est perfectio prolis, in eius informatione & educatione consistens. Tria enim habet proles à parentibus secundũ Philosophũ, scilicet esse, alimentũ, & disciplinam. Non autem posset sic educari ac iuuari, nisi parentes ad mutuã coniunctionẽ obligarẽtur. Quod fit per matrimonium, tam propter secundarium matrimonij finẽ, qui est mutuũ obsequium in rebus domesticis, quod cõiuges mutuo sibi impendunt. Tali enim mutuo adminiculo vita humana naturaliter eget, quoniam quædam congruũt viro, quædam fœminæ. Vnde secundũ Philosophũ, homo naturalius est animal coniugale, quã politicum seu ciuile. Idcirco assensus viri & fœminæ per matrimonium dicitur naturalis.

2. ¶ Denique natura inclinat ad aliquid dupliciter. Primo sicut ad id quod ad vnius seu singulorum pertinet perfectionem, vt est proximo benefacere, & ad talia omnes tenentur. Secundo sicut ad id quod ad multitudinem spectat, & ad talia omnes tenentur, aliàs omnes tenerentur ad agriculturã, vel domificationem. Vnde in talibus naturale est diuersa fieri à diuersis. Vita autem humana indiget quibusdam contemplatiuæ vitæ vacantibus, quæ per matrimonium maximè impeditur. Et ideo matrimonium non est de necessitate præcepti. Quod & philosophi testantur. Nam Theophrastus probat, quod sapienti non expedit nubere.

3. ¶ Denique cum matrimonium ordinetur ad cõseruationem corporalis naturæ, sitque naturaliter inditum, hæreticũ est, si quis asserat omnem eius actum necessario esse culpabilem. Præsertim cum dicat Apostolus: Virgo non peccat, si nubat. Et denuo: Volo, inquit, iuuenculas nubere, filios procreare. Quamois enim actus matrimonialis impediat vnionẽ actualem cum deo actualem, nõ tamen habitualem, quę est per charitatem

ritatem & gratiam. Nec oportet esse peccatum omne illud quod actualem vnionem hanc impedit: quandoque enim occupatio licita circa res inferiores animum distrahit. Turpitudo quoque quæ actum matrimonialem consequitur, scilicet inobedientia inferiorum vitium, membrorum quę corporis, non est turpitudo culpæ, sed pœnæ ex originali peccato secutæ.

4. Insuper nullus actus ex deliberata voluntate procedens est indifferens. Vnde actus matrimonialis semper est meritorius, vel culpabilis in eo, qui gratiam habet. Est autẽ meritorius, dum ex iustitia exhibetur, videlicet vt coniunx coniugi debitũ reddat, vel virtus religionis ad ipsum inducit, quatenus scilicet proles ad dei cultum procreetur. Si verò mouet libido intra bona matrimonij sistens, vt scilicet nullo modo ad aliam accedere vellet, est peccatum venale. Sed si efferatur libido extra bona matrimonij, ita quod etiam ad aliã accedere proponeret, est peccatũ mortale. Quod autem Chrysostomus dicit super Matthæum, hunc actum non habere mercedem, potest intelligi præmio actuali, quo actus matrimonij caret, quia difficultatem non habet.

¶ An matrimonium sit sacramentum 2. De institutione eius 3. An conferat gratiam 4. An carnalis coniunctio sit de integritate ipsius. Articulus 162.

SAcramentum insuper aliud non est nisi quoddam sanctitatis remedium contra peccatum homini datũ sub sensibilibus signis. Hoc autem matrimonio competit. Verba verò quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma huius sacramenti, non autẽ benedictio sacerdotis, quę est quoddam sacramentale. Et sicut pœnitentia nõ habet aliam materiam, nisi actus pœnitẽtis sensibiles, ita nec matrimonium. Sed perficitur vtrumq; sacramentũ per actus eius qui sacramento illo vtitur. In sacramento quoq; matrimonij res illæ quæ foris apparent, sunt sacramentum tãtum. Interior vero obligatio inde nascens vnius ad aliam, est res & sacramentum, sed res tantum est effectus sacramenti.

2. ¶ Denique matrimonium prout ad procreationem prolis ordinatur, institutum fuit ante peccatum. Sed prout est remedium contra concupiscentiã, quæ est vulnus peccati institutum est post peccatum tempore legis naturæ. Quantũ verò ad determinationem personarum, institutũ est in lege Mosi-

Secundum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secundum autem quod repræsentat coniunctionem Christi atque ecclesiæ, institutionem habuit in noua lege, & sic est sacramentū nouæ legis post Christi aduentum institutum. Sed quo ad alias vtilitates ex ipso prouenientes, vt sunt auxilia, mortuorum; obsequium cōiugum, institutum est in lege ciuili. Primo modo est officium naturę. Vltimo autem modo est ciuilitatis officium, sed secūdum medias acceptiones nō est sacramentum. de ratione enim sacramenti est, quod sit signum atque remedium.

3. ¶ At verò in matrimonio cum sacramentum nouæ legis, datur gratia ad exercenda opera illa, quæ in matrimonio requiruntur. Quandocunq; enim diuinitus datur aliqua potestas ad agendum, datur etiam auxilium bene vtendi illa potestate, sicut de sacramento ordinis tactum est. Et hæc gratia est vltima res contenta in hoc sacramento, quæ datur inquantum matrimonium in fide Christi contrahitur. Vnio verò Christi ad ecclesiā non est res cōtenta in isto sacramento, sed significata duntaxat. Quidā autem dixerunt, quod matrimonium non conferat gratiam, maximè ad bene agendum. Sed melius dicitur, sicut prædictum est. Nam actus exteriores & verba consensum exprimentia directè faciunt nexum quendā coniugū, qui est sacramentū matrimonij: & nexus iste ex virtute diuinæ institutionis dispositiue operatur ad gratiam.

4. ¶ Amplius integritas duplex est. Vna quæ attenditur secundum primam rei perfectionē, id est, secundū esse ipsius. Et sic carnalis commixtio nō est de integritate matrimonij. Nā & in paradiso matrimoniū fuit, nō tamen carnalis cōmixtio. Alia verò integritas rei attenditur secundū perfectionem eius secundā, id est, secundum operationē. Et sic cum expletio carnalis sit vsus matrimonij, pertinet ad eius integritatem.

¶ Quid sit matrimonium 2. An consensus sit causa eius efficiens. 3. An oporteat consensum exprimi verbis 4. An consensus expressus per verba de futuro matrimonium faciat 5. An consensus per verba faciat matrimonium, dum deest intentio. Artic. 103.

MAtrimoniū denig; est quædā coniunctio atq; relatio, qua maritus & coniunx ita vocātur. Nam per matrimoniū ordinantur ad vnā curam rei domestic, & generationē educationemq; prolis. Tria vna cx, & generationē educationemq; prolis. Tria vna in matrimonio cōsiderantur, videlicet ipsa essentia matrimonij, quæ est cōiunctio. & sic matrimoniū vocatur cōiugium. Secundo

Secundo causa eius, quæ est dispensatio: & sic dicitur nuptiæ. Tertio effectus eius, qui est proles: & ita matrimoniū dicitur à matre potius, quam à patre. Nam matri potissimè cōuenit officium educandæ prolis. Itaque matrimoniū est cōiunctio inter legitimas personas maritalis ac indissolubilis.

2. ¶ Præterea in omni sacramento est quædam spiritualis operatio per operationem sensibilem significata. Vnde in sacramento matrimonij est quædam spiritualis coniunctio, inquantum est sacramentum: & aliqua materialis, inquantū est naturæ officium, ac vitæ ciuilis. Hæc autem spiritualis coniunctio fit mediante coniunctione materiali virtute diuina. Itaque sicut coniunctiones materialium contractuum fiunt per mutuum consensum, sic & matrimonialis coniunctio. Et ideo causa efficiens matrimonij est cōsensus, & hic cōsensus est signū voluntatis Christi, qua ipse cōsensit vnitati ecclesiæ.

3. ¶ Porro sicut contractuum exteriorum coniunctio exigit vt per verba exprimatur: sic consensus prædictus non efficit matrimonium, nisi verbis explicetur, vel aliquo correspondē te, scilicet nutu, si muti sunt aut diuersarum linguarum. Imò si puella non contradicit, tunc verba patris reputantur quasi verba ipsius.

4. ¶ Adhuc autem sacramentum efficit quod significat. Qui autem se dicit aliquid esse factutum, nō facit iam illud, sed facturus est. Et ergo cum aliquis consensum suum per verba de futuro exprimit, non significat se matrimoniū facere, sed promittit se illud facturum. Consensus igitur per verba de futuro non facit matrimonium sed sponsionem eius, quæ sponsalia appellantur. Vnde secundū Iura qui promittit, vel dicit se aliquam recepturum, & postea consentit in aliam per verba de præsenti, tenetur habere secundam.

5. ¶ Præterea sicut exterior ablutio non sufficit, vt dicatur quis baptizatus, nisi sērm intēdat recipere, sic extetior verbō exprestio sine interiori cōsensu nō facit matrimoniū, vt Innocē. dicit. Et hic defect' cōsensus suffragatur cōsuetudiæ hois, q' nō astringitur alteri vinculo matrimoniali non tamē in foro ecclesiæ, q' iudicat secundum allegata atq; probata. Imo si in vno desit consensus interior ex parte nullius est matrimoniū, quoniā matrimonium in mutua coniunctione cōsistit. Si verò quis ducat aliam vxorem prima relicta, quam sine interiori consensu accepit, compellitur per ecclesiam stare cum

prima vxore, quia ecclesia iudicat secundum ea quæ foris apparent. Nec decipitur in iustitia, quamuis decipiatur in facto. Sed ille debet potius excommunicationem sustinere, quàm ad primam accedere, vel debet ad terras remotas aufugere.

¶ An alter coniugum religionem ingredi possit altero inscio: & an mulier potest nubere alteri viro priore ante carnalem copulam religionem ingressо. Articulus 164.

PEr copulam autem carnalē matrimonium cōsummatur, & caro viri mulieris efficitur ac; econtra. Nemo verò potest obligationē facere de alieno. Idcirco post carnalē cōmixtionē non potest alter cōiugum sine consensu alterius, religionem intrare. Veruntamen ante carnalem copulā hoc fieri licet, tunc enim non est inter coniuges nisi spirituale vinculū: quod per spiritualem mortē, id est, religionis ingressum, quo seculo aliquis moritur, solui potest, sicut & vinculum carnale per mortē corporalē. Nā ante carnalem copulā non transfertur corpus vnius in potestatē alterius simpliciter, propter consensum per verba de præsenti expressum, sed sub conditione, videlicet si ad melioris vitæ frugem non euolet, vnde nec statim tenetur reddere debitum, sed datur ei tempus duorum mensium, propter tria. Primo, vt interim de religionis ingressu deliberet. Secundo vt præparet ea, quæ ad nuptiarum solennitatem exiguntur. Tertio, ne vilem habeat maritus datā, quam nō suspirauit dilatā.

2. ¶ Præterea sicut per mortem corporalem soluitur matrimonium, ita vt mulier cui voluerit, nubat secundum Apostolum vnica & per mortē spiritualem. id est, religionis introitū. Vnde vito religionem ingressо ante copulam carnalem potest mulier alteri nubere. non tamē ante professionem vtr. Dicit autem Decretalis noua, quod professio ante annum emissa pro nulla reputatur. De tali enim professione fit facta ante tempus à iure determinatum est idem iudicium sicut de voto simpliciti. Vnde sicut post votum simplex non tenetur mulier reddere debitum viro, ita non tenetur, si ille ante annum profiteatur: nec tamen alteri nubere posset.

¶ Quid sint sponsalia. 2. Quis possit ea contrahere. 3. Vtrum sponsalia dirimi possint. Articulus, 165.

DIcuntur verò sponsalia, promissio matrimonij cōtrahendi per verba de futuro. Hęc autē promissio dupliciter fit, scilicet absolute, & sub cōditione. Primum fit quatuor modis, videlicet nuda promissiōe, dauōe arræ spōsalitiæ vt pecunia, annuli subtractione, & iuramēto. Conditio quoque quandoque honesta est, & tunc stante eōditione stat promissio, vt si dicatur: Accipiam te, si placet parentibus. Interdū est inhonesta. Et hoc dupliciter: aut enim est contraria bonis matrimonij, vt si dicatur: Accipiam te, si venena sterilitatis procures, & tunc non contrahuntur sponsalia. Aut nō est matrimonij bonis cōtraria, vt si quis dicat, Accipiam te, si furtis meis cōsentias, & tunc stat promissio: sed est tollenda conditio. Cum autem promissio transit, potest sine mortali peccato negari impletio. Ecclesia quoq; cogit ad hoc in foro pœnitentiali: non autem in foro contentioso, quoniam matrimonia coacta malos exitus solent habere, nisi fortalsis iuramentum interuenerit: tunc enim cogendus est, vt quidam affirmant quāuis alijs videatur oppositū, propter causam prædictam: præsertim si de vxoricidio timeatur. Si verò conditio de datione pecuniæ per modū pœnæ addatur, non contrahuntur sponsalia, quoniam matrimonia non debent esse coacta.

3. ¶ Præterea secundum iura septennium determinatē est tempus ad sponsalia contrahenda. cum enim in sponsalibus fiat quædā promissio requiritur aliquis vsus rationis, qui ante primum septennium nullus hane est, sed circa ipsum incipit esse, nam tunc pueri ad scholas ponuntur. Est quoque secundum philosophum primo Ethicorū triplex status hominis. Primus, cum nec per se, neque per alium veritatē cognoscere potest: quod est ante primum septennium. Secūdus, cū non potest intelligere per se, sed informari ab alio: & hoc incipit circa finem primi septennij. Tertius, cum per seipsum cognoscere potest: & hoc incipit in fine secundi septennij in his, quæ pertinent ad se. Sed in fine tertij septennij quantum ad ea quæ alios concernunt: Ratio quippe hominis proficit paulatim, secundum quod motus fluxibilitásque humorum quietantur in homine. Ad matrimonium verò puella sit apta in duodecimo anno. Puer autem in fine secūdi septennij: talibus namque tempotibus vtriusq; corpus generationi est aptum secundum philosophum in libro de animalibus.

3. ¶ Potro spōsalia dirimi possunt. Nā ipso iure diriműtur, cū aliquis religionem ingreditur, vel cum alia contraxit per verba de præsenti. In alijs quoq; casibus dirimuntur secundū iu-

dicium

diciũ ecclesiæ, vt si alter ad terras longinquas se transferat, nec ad tempus pro matrimonio cõtrahẽdo statuũ redeat vel si alter eorum grauem infirmitatẽ incurrit, quæ sit vel deformans, vt nasi abscissio, vel debilitans sicut hydropisis, vel contra bonum Prolis vt lepra, quę fœtum inficere solet. Et hoc ideo, ne cõiuges sibi mutuo displiceant, ipsumq; matrimoniũ exitum malum acquirat. Item si sponsus consanguineam sponsæ cognouerit, dirimuntur sponsalia. Ad quod probandũ sufficit sola fama propter scandalũ vitandum, Probabile quoq; est (& decretalis hoc dicit) quod spõsalia dirimi possunt, si se mutuo absoluunt. Item si alter fornicetur, per hoc enim suspectus efficitur, quod postea fidem non conseruaret.

¶ Quomodo bigamia contrahitur. 2. Quod irregularitas sit ei annexa, Articulus. 166.

ESt autem defectus quidam in sacramento, dum significatio eius integra non est. Sacramẽtum verò matrimonij vnionem disignat Christi atque ecclesiæ, quæ est vnius ad vnam. Et ergo ad perfectam sacramenti significationem exigitur, vt vir non sit nisi vnus fœminæ vir, & vxor tantum vnius vxor. Vnde bigamia, quæ hoc collis irregularitatem inducit. Suntque quatuor modi bigamię. Primus, dum vir plures vxores habet de iure, successiue. Secundus, cum simul habet plures, vnam de iure, & aliã de facto. Tertius, quando successiue habet plures. Vnam de iure, & alteram de facto. Quartus, dum viduam ducit vxorem. Quamuis enim in secundo & tertio modo non sit sacramentum, in altero est tamen quædam sacramẽti similitudo. Primus verò modus est principalis in causando bigamiam.

2. ¶ Denique in coniunctione Christi ex vtraque parte virtus inuenitur, & ideo siue ex parte viri, siuæ ex parte fœminę diuisio carnis sit facta, est defectus sacramenti. Tamen diuersimode, in viro enim non oportet quod sit virgo, sed quod aliam non duxerit in vxorem. Sed ex parte vxoris requiritur, q̃ sit virgo, cuius rationem assignant Decretistæ dicẽtes, quod episcopus ecclesiam militantem significat, cuius curam gerit, in qua multæ corruptiones sunt. Sponsa verò significat Christum, qui virgo fuit. Sed istud nõ cõsonat verbo Apostoli ad Ephe. 5. dicentis: Viri diligite vxores vestras sicut Christus ecclesiam. Vbi apparet quod vxor signat ecclesiam, & sponsus Christum. Respondendum ergo, quod corruptio extra & ante

ante matrimonium facta defectum non facit in sacramento ex parte eius in quo est corruptio, sed alterius, quoniam actus contrahentis cadit super alium: & ergo ex termino specificatur, quia est quasi materia sacramẽti respectu actus illius. Vnde si mulier esset ordinis capax, ipsa irregularis fieret, cõtrahendo cum viro corrupto. Si verò quis virginem defloret, & postea eam ducat vxorem, probabilius est, quod non efficitur irregularis, quia carnem suam non diuidit in plures.

¶ Porro secundum Augustinum, per baptismum non tollitur bigamia vel irregularitas, baptismus enim aufert culpam, non autem coniugia ad quæ irregularitas sequitur. Hieronymus tamen oppositum tenet sed non tenetur in hoc.

¶ Insuper cum irregularitas non sit adiuncta bigamiæ de iure naturali, sed positiuo, nec sit de essentia ordinis, quod aliquis non sit bigamus. Imo si bigamus ad ordinem accedit, characterem recipit. Ideo in tali irregularitate papa dispensare potest totaliter: Episcopus verò quãtum ad ordines minores. Quidam quoque affirmant, quod episcopus dispẽsare potest in hac irregularitate, quo ad ordines maiores cum eis qui volunt Deo in religione seruire, propter vitandum religiosorum discursum.

¶ An iuramentum additum consensui per verba de futuro faciat matrimonium. 2. An copula carnalis addita talibus verbis matrimonium faciat. 3. An consensus in occulto per verba de præsenti expressus faciat matrimonium. 4. An consensus in matrimonium sit consensus in copulam carnalem. Articulus. 167

IVramentum denique significationem non mutat, sed dictum confirmat. Et ergo iuramẽtum verbis de futuro adiunctum non facit matrimonium. sicut nec cõsensus per verba de futuro expressus sine iuramento propter rationem præhabitam. Vnde si post iuramentum cum alia contrahat per verba de præsenti, tenetur eam habere vxorem quamuis grauiter peccet priorem promissionem iuramento firmatam infringens. Quod enim ante contractum cum alia per verba de præsenti licitum fuit, videlicet promissionẽ implere cum iuramento, hoc postea illicitum redditur propter cõtractum prædictum cum alia per quem potestatem sui corporis transfert in posteriorem.

2. ¶ Porro quoniã nulla verba expressius significare possunt

 consensum,

cõsensum, quã copula ipsa carnalis. Idcirco secundũ iudicia ecclesiæ, quæ iudicat secundum ea quę foris appatẽt, copula carnalis addita consensui per verba de futuro facit matrimonium, nisi, nisi appareant euidẽtia signa doli vel fraudis, nõ tamẽ secundũ rei veritatẽ atq; diuinum iudicium, si desit consensus interior. Vnde si sponsa sponsum ad copulam carnalẽ admittit credẽs eum velle esse & cõsummare matrimoniũ excusatur à peccato, nisi appareant aperta signa fraudis: vt si sint multũ distantes conditione, vel in nobilitate, aut in bonis fortunæ. Si etiam quis virginem defloratam, tenetur eam recipere cõiugem, si sint æquales conditionis, vel ipsa sit melioris conditionis. Sed si aliam duxerit, factus est impotens ad soluendũ id ad quod tenebatur: & ideo sufficit, vt ei de nuptijs prouideat. Ad quod etiam secũdum alios non tenetur, si sit multo melioris conditionis, aut manifesta signa fraudis appareant: tunc enim probabiliter æstimari potest, quod sponsa decepta non fuit, sed decipi finxit.

3 ¶ Præterea consensus per verba de præsenti, quãuis in occulto expressus, verum matrimonium facit: quamuis peccẽt sic contrahentes, nisi per legitimã causam excusentur. Sicut enim in alijs sacramẽtis quædam ad solennitatem pertinẽt, nec sine culpa omitti possunt, non tamen ad sacramẽti essentiam spectãt: ita & in matrimonio prohibẽtur nãq; clandestina matrimonia propter pericula, quæ inde euenunt. Sæpe enim ex altera parte miscetur fraus, & speciem turpitudinis habent.

4 ¶ At vero cum matrimonium non sit carnalis commixtio, sed associatio viri ac fœminæ in ordine ad ea ad quę matrimonium ordinatur: idcirco consentire in matrimonium nõ est consentire in carnalem copulam explicite sed implicite.

¶ An cõsensus coactus tollat matrimoniũ. 2. An consensus conditionatus facit matrimonium. 3. An per præceptum parentum cogi quis valeat ad matrimonium. Articuli 168.

VInculum porro matrimonij perpetuum est, quoniã igitur metus qui cadit in virum constantem, perpetuitatem cõtractus auferr: nam restitutio in integrum reperi potest: idcirco coactio talis metus tollit matrimonium & non alia. Constans autẽ cogitur ad minus malum propter vitandum maius malum. Incõstans ecõtra. Pertinax vero nec propter maius malum vitãdum cogi potest, vt manus malum incutiat.

2. ¶ Amplius cõditio addita vel est de præsenti: & tunc stãte ea stat matrimonium, & non stante non stat matrimoniũ, siue sit honesta siue non: nisi fuerit matrimonij bonis contraria. Si autem conditio sit de futuro, tunc vel est de necessitate, vt solem eras oriri: & tunc stat matrimonium; nam talia in suis causis iam sunt præsentia vel est de contingenti, vt est datio pecuniæ: & tunc non facit matrimonium.

3. ¶ Et verò proles nõ est in potestate parentum vt seruus, sed libera est, & potestatem sui corporis habet, quãuis à parentibus educationem ac disciplinã in moribus sumere debet. Vnde filius aut filia cogi non potest præcepto parentum ad matrimonium, cum in matrimonio sit perpetua seruitus. Papa tamen potest cogere clericum ad suscipiendum episcopatum, quoniam in spirituali matrimonio nõ est seruitus corporalis. Spirituale namque matrimonium est, sicut quoddam officium dispensandæ rei publicæ.

¶ An error impediat matrimonium. 2. An omnis error hoc faciat. Articuli. 169.

COnsensus denique siue quo matrimoniũ esse vel perfici nequit, actus est voluntatis. Actus autem voluntatis ex actu intellectus procedit atque dependet.

Deficiente verò priori deficere oportet posterius. Et ergo dum error cognitionem conditionis impedit, sequitur defectus in consensu, nec fit matrimonium. Vnde de iure naturali error sortitur, quod matrimonium tollit.

2. Porro error ex hoc matrimonium auferr, ex quo involuntariũ causat & ergo errorem quo matrimonium tollitur, necesse est esse alicuius eorum, quæ sunt de essentia matrimonij. Sed matrimonium duo includit, videlicet personas quæ coniunguntur: & mutuam potestatẽ in inuicem, in qua matrimonium consistit. Quorum primum auferrur per errorem personæ, secundum per errorem conditionis. Nam seruus dare non potest alteri potestatem sui corporis siue consensu domini sui. Propterea hi duo errores, & non alij, matrimonium tollunt. Veruntamen error aliorum impedimentorum matrimonij, quantum ad ea quæ reddunt personas illegitimas, impedit matrimonium, vt error impotentiæ coeundi. Sed de illorum errore non fit mentio, quoniam illa impediunt matrimonium, siue sciantur siue ignorentur, vt si ali-

Universidad de Deusto
Biblioteca

qua cum diacono contrahat: conditio autem seruitutis non imp- dit, si seruitus cognoscatur.

¶ De bonis matrimonij 2. vt de numero bonorum matrimonij. De ordine eorundem. Articulus 170.

SApiens insuper iacturam boni incurrere non vult, nisi propter recompensationem boni æqualis vel amplioris. Actus autem matrimonialis actum rationis impedit. Indiget ergo aliquo bono annexo, quo honestetur talisq; iactura recompensetur. Hoc autem est bonum matrimonij ipsum honestans atque exercitans.

2. ¶ Tria verò sunt matrimonij huiusce modi bona. Matrimonium namque est & officium naturæ, & est sacramentum ecclesiæ. Inquantum igitur est officium naturæ, duobus ordinatur naturæ quorum vnũ est finis agentis, scilicet proles. Aliud verò perficit ipsum actum, videlicet fides. Et sumitur hic fides, non prout est virtus theologica, sed prout est pars iustitiæ, per quam seruantur promissa. Matrimonium verò inquantum est sacramentum ecclesiæ, aliam bonitatem sortitur, & hæc explicatur nomine sacramenti. Vnde proles, fides, & sacramentum sunt tria bona matrimonij.

3. ¶ Denique horum trium bonorum matrimonij sacramentum est dignius, quia concernit matrimonium prout est sacramentum gratiæ. Alia duo prout est officium naturæ. Fides verò & proles considerãtur dupliciter. Primo secundum quod in seipsis sunt, & sic pertinent ad actũ matrimonij. Sacramentum verò quo indiuisibilitas designatur, respicit matrimonium secundum seipsum: & sic sacramentũ est essentialius matrimonio, quã duo prædicta. Nunquam enim innotescitur matrimonium sine inseparabilitate, reperitur tamen sine prole & fide: quoniam esse rei non dependet ex actu ipsius, sed econtra. Secundo accipitur proles pro intentione prolis, & fides pro debito seruandi fidem, sine quibus matrimonium esse non valet: hæc enim in matrimonio ex pactione coniugali qua sibi inuicem proprij corporis potestatem donant, causantur. Vnde si aliquid his contrarium exprimeretur in consensum qui multum facit, impediretur matrimonium. Et hoc modo proles est essentialissimũ matrimonio. 2. fides, sacramentũ, quemadmodum homini essentialius est esse naturæ quàm gratiæ, quamuis esse gratiæ dignius sit quam esse naturæ. Matrimonium quoque non imprimit characterem quoniam

quoniam ad actus corporales refertur, sacramenta autẽ quæ characterem imprimunt, ad spirituales actus ordinantur.

¶ An habere plures vxores sit contra legem naturæ 3. An aliquando licuit. Articulus 171.

NAturalis porro conceptio homini indita, qua ad operandũ cõuenienter dirigitur, lex naturalis seu ius naturale vocãtur. Idcirco quod actionẽ hominis inconuenientem reddit suo fini, cõtra legẽ naturæ esse censetur. Potest autẽ actio esse inconueniẽs tã fini principali quàm secundario: vel finem omnino impediendo, sicut comestio nimia corporis sanitatẽ corrumpit: vel indecẽtiã seu difficultatẽ circa finẽ acquirendũ causando, vt inordinata comestio, quãtũ ad tempus. Cum igitur actio finẽ principalem directe impedit, tunc per legem naturæ prohibetur primis eius præceptis. Si verò actio incõpetens sit fini principali vel secundario, indecentiam vel difficultatem inducens, tunc prohibetur secundis præceptis, legis naturalis, quæ derivãtur ex primis: quemadmodum cõclusio ex præmissis. Principalis demum finis matrimonij est procreatio ac educatio prolis, & hæc actio conuenit homini ex natura sui generis, nam & aliis animalibus est cõmunis. Secundarius verò finis matrimonij est cõmunicatio coniugũ in operibus ad domesticam vitam spectantibus, & hęc conuenit homini ratione suæ speciei. Tertius autẽ finis matrimonij est, significare vnionem Christi atque ecclesiæ: prout põnitur nouæ legis ac gratiæ sacramentum, & competit homini prout est Christianus. Pluralitas ergo vxorũ primũ matrimonij finem nõ tollit nec impedit. Vnus enim vir plures vxores impregnare earũque proles potest nutrire. Sed secũdũ finẽ multũ impedit, quãuis non penitus tollat. Nam vnus vir pluribus vxoribꝰ satisfacere nequit, & cõmunicatio plurium in vno officio litẽ producit. Vnde sicut figuli, ita & vxores vnius cõtendunt. Tertium autem finem, qui est significare vnitatem Christi & ecclesiæ, pluralitas vxorum penitus aufert. Ex quibus elucescit, quod vxorum pluralitas sit quodãmodo contra legem naturæ, & quodammodo non. Sed vnam mulierem habere plures maritos est cõtra prima præcepta legis naturę, ex hoc enim sequeretur incertitudo prolis quantum ad patrem, vnde hoc nulla lege aut consuetudine est permissum.

2. ¶ Deniq; quoniã pluralitas vxorum nõ est contra prima

Universidad de Deusto
Biblioteca

præcepta legis naturæ, idcirco per dispensationē atque licentiam authoris omnis naturæ ac legis aliquando licita fuit, videlicet dum multiplicatio hominum necessaria fuit ad cultū diuinum. Necesse est enim secundaria naturalis legis præcepta variari interdum secundum quod actus hominum exigunt, propter diuersitatem conditionum in personis, & rēporibus ac circumstāntijs alijs. Verū quia lex de vnitate vxoris nō humanitus est instituta, sed à deo, nec vnquā verbo aut literis tradita, sed cordi impressa: ideirco in hoc à solo deo dispensatio fieri potuit, per inspirationem internam in patrib sanctis quæ eorum exemplo ad posteros deriuata consilit.

¶ *Virum concubinam habere sit contra legem naturæ. 2. An sit peccatum mortale. 3. An aliquando licuit.* Art. 172.

ACtio itaq; cōtra legē naturę vocatur, quę est debito fini naturæ inēōperens. Finis aūt cōcubitus est proles educāda ac instruēda. Et propter hunc finē natura delectationē commixtione adiunxit. Qui ergo cōcubitū propter delectationē requrit, contra naturalē legem facit. Similiter qui cū ea conēubit, cū qua nō ordinat, ita quod simul prolē educare atq; instruere possint. Res autē à fine nomē sortitur. Vnde quemadmodū cōiunctio matrimonij à bono prolis nomen accepit: sic nomē cōcubinæ à concubitu propter se intento impositū est. Et si quis ex tali concubitu sæpe fœtum desiderat, nō tamē est cōuenieus ad bonum prolis, ideirco concubinam habere est contra legem naturæ.

2. ¶ Denique talis concubitus est mortale peccatum. auferit nanque debitam ordinationem parentis ad prolē. Illa verò peccata ex suo genere sunt mortalia, per quæ fœdus amicitiæ inter deum & hominem, vel inter homines admittē, violatur. Contingit autem frequenter, quod homo qui nō vitat peccatum mortale, vitat peccatum venitale, ad quod tantum incitamentum non habet.

3. ¶ Potro actus peccati mortalis nunquam licet per quamcunque dispensationem, Cum ergo iste concubitus seu fornicatio simplex sit peccatum mortale, nunquam fuit. Itaque vbicunque in veteri testamento leguntur habuisse concubinas aliqui, quos à peccato mortali excusare oportet, intelligendum est eas matrimonio fuisse innectas: & nihilominus concubinas nominari, quoniā perfectam rationē vxoris non attingebant. Erant quippe vxores quantum ad principalem matrimonij

matrimonij finem, qui est procreatio prolis. Non autē quo ad secundariū eius finem, quid est dispensatio familiæ & cō municatio operum vitæ domesticæ. Ex quo patet, quod Agar fuit vxor Abrahę, quo ad finē matrimonij principalē, & ideo quod electa erat cum filio, non licuit nisi propter commissionem dispensationis diuinæ propter mysterium, quod Apostolus ad Galatas quarto edisserit de duobus testamentis.

¶ *An inseparabilitas vxoris sit de lege naturæ. 2. An vxorem dimittere licuit per dispensationem. 3. An in lege Mosi licuit vxorē dimittere. 4. An licuit repudiatæ alium virū habere. 5. An repudianti licuit repudiatam recipere.* Art. 173.

MAtrimonium ergo ad educationem prolis ordinatur, non solum per aliquod tēpus sed p totā vitā, & ideo de lege naturæ est, vt parētes filijs thesaurizēt filijs, parentū hæredes sint. Societatē igitur viri & cōiugis indiuisibilē esse oportet. Et sic inseparabilitas ad matrimonium pertinet de lege naturæ seu naturalis rōnis dictamine. Tamen separatio matrimonij non prohibetur, nisi lege Christi. Nam ipsa dūtaxat inter omnes leges ad perfectionem adducit, atque ad naturæ integræ statum.

2. At verò dispensatio in præceptis legis naturæ se habet, quemadmodum immutatio cursus rei naturalis, quæ duplicitер fieri potest videlicet per causam aliā naturalē contrariam & impedientem actum alterius. Et hoc nō fit nisi in his, quæ non semper eodem modo fiunt vel agunt. Secundo hoc fit per causam supernaturalem, vt in miraculis: quod etiam potest accidere his quæ semper eodem modo contingūt, vt statio solis tempore Iosue. Pariformiter dispensatio præceptorum primorum legis naturæ non pertinet nisi ad deum, sed dispensatio secundorum præceptorum legis naturæ ad inferiores causas spectare potest. Si ergo inseparabilitas matrimonij ad prima præcepta legis naturæ pertinet, dispensationem non recipit nisi à deo. Si verò ad secundaria præcepta legis naturalis attinet, tunc per causas inferiores dispensationem admittit. Videtur quoque potius pertinere ad secunda legis naturalis præcepta.

3. ¶ Præterea aliqui asserunt, quod qui in lege Mosi libellū repudij dabant, excusabātur à pœna secūdū legē infligēda, nō aūt à culpa. Vnde Moses libellū repudij permisit, sicut & alijs gentibus fœnerari. Præsertim ad vitandū vxoricidiū, ad quod

Iudæi

Iudæi proni erant, sicut & ad auaritiam. Alij verò affirmant, quod ex dispensatione diuina licitū & absq; culpa fuit. Aliàs viderentur Iudæi à salute relicti, eo quod nec Moses neq; aliquis prophetarum hoc peccatum prohibuit. Et licet hoc probabilitet dicitur, primum tamen communius tenetur.

4. ¶ Insuper secundum primam harum opinionum mulier repudiata peccabat alterum virum ducens, quoniā primum matrimonium non fuit solutum, quāto enim tempore vir vivit, mulier alligata est legi viri, secundū Apostolum. Sed alia opinio ait, quod sicut per diuinam dispensationem separatio coniugum licita fuit: ita & mulier repudiata alteri viro sine peccato se matrimonio iunxit. Et secundum hos quod Christus Matth. quinto dixit, qui dimissam duxerit, mœchatur, ad tempus nouæ legis refertur.

5. ¶ Amplius duo erant permissa & item duo præcepta in lege circa libellum repudij. Nā vxorem dimittere & dimissam aliam ducere erant permissa. Sed libellum repudij scribere, & repudiantem virum non posse accipere quam semel dimissi, videlicet ne promptus quis esset vxorem dimittere, præcepta fuerunt. Proxima verò causa repudij erat vitatio vxoricidij, sed remota causa fuit inuidia, quæ vxoricidium facere solet. Causæ quoque repudij scribebantur in libello, non in speciali sed in generali. Quia non scribebantur vt ostenderent repudium esse licitum. Sed vt liceret mulieri alium ducere, secundum Iosephum. Propter quod libellus ei tradebatur. Sed secundū Augustinum, libellus repudij scribebatur, quatenus mora scribendi atque consilio scribarum intercurrentibus maritus à proposito repudiandi desisteret. Dicit etiam Iosephus, quod scriptura libelli repudij talis erat: Promitto tibi, quod nunquam tecum conueniam.

¶ *De variis impedimentis matrimonij. Articulus 174.*

EOrum præterea quæ ad solennitatē matrimonij spectant omissiones seu impedimenta impediunt matrimonium contrahendum. Sed non dirimunt contractum, vt prohibitio Ecclesiæ, & tempus feriatum, de quo sunt metra: Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum Impediunt fieri, permittunt iuncta teneri. Impedimenta verò quæ contrariantur pertinētibus ad essentiam matrimonij dirimunt contractum. Non enim est verum matrimonium, quæ his versibus exprimuntur. Error, conditio, votum, cognatio,

gnatio, crimē. Cultus, disparitas, vis, ordo, ligamē, honestas. Si fis affinis, si forte coire ne quibis. Hęc sociāda verant connubia, facta retractant. Intelligitur autem per vim coactio, per ligamen contractus cum alia. Per cognationem propinquitas duarum personarum respectu tertiæ matrimonio iunctæ. Per honestatem propinquitas duarum personarum respectu tertiæ per sponsalia iunctæ. Per crimē adulterium prius cum muliere commissum. Frigiditas deniq; quæ perpetuam impotentiam coēundi inducit, ad quam impotentiam experiendam ecclesia triēnij tempus instituit, matrimoniū soluit, si ante contractum matrimonij ignoretur. Et simile est de seruitute, propter quam non potest aliquis libere debitum reddere coniugi. Hæc enim si ante ignoratur, soluit matrimonium: si verò sciatur, non soluit. Item impotentia quę per maleficium infertur, & operationem diaboli si fuerit perpetua, dirimit matrimonium non autem si sit temporalis. Et ad hoc experiendum ordinauit ecclesia tempus trium annorum, in quo tamen falli potest. & ideo statuit: vt si vxor viri frigidi alterum duxit post diuortium, vt reuertatur ad virū priorem, si ille inuenitur ad copulam carnalem idoneus. Maleficium verò non facit impotentiam coēundi cum omnibus fœminis, sed cum vna vel certis potest esse potens, & quantū ad alias impotens. Propter quod datur viro licentia cōtrahendi cum alia, & etiam fœmina alium ducere potest. Insuper furia quæ matrimonium sequitur, ipsum non dirimit. Si verò præcedit, tunc vel furiosus habet lucida intervalla, & illis durantibus contrahere potest: quamuis hoc tutum non sit. Vel non habet, & tunc neque contrahere valet, imo nec consentire. Rursus si vir cognouerit sororem aut consanguineā vxoris suæ ante matrimonium contractum, etiam post sponsalia, oportet matrimonium separari ratione affinitatis contractæ. Si verò post matrimonium contractum & consummatū hoc faciat, non debet totaliter separari, sed vir amittit ius petendi debitum ab vxore, sed reddere potest petenti: quoniam punienda non est propter peccatum viri. Post mortem autem vxoris debet manere sine spe coniugij nisi cum eo dispensetur: & tamen si sine dispensatione contraxerit, peccat: sed matrimonium stat, nec soluendum est.

¶ *An propter fornicationem sit vxor dimittenda. 2. An hoc sit in præcepto. 3. An potest fieri proprio iudicio. Articulus 175.*

Vxorem

VXorem autem dimittere in noua lege conceditur in pœnam eius qui fidē fregit, atque in eius fauorem qui fidem seruauit. Septem ergo sunt casus, in quibus illud non licet. Primus si vterq; sit adulter, nullus enim potest aliū accusare qui in simili crimine est. Secundus si vir vxorē prostituit. Tertius, si ipsa virum probabiliter mortuum credens, alteri nupsit. Quartus, si alter ad eam latēter sub specie viri accessit. Quintus, si vi oppressa est. Sextus, si vir eam sibi reconciliauit per copulam carnalem. Septimus, si matrimonio in perfidia vtriusque contracto vir dedit vxori libellum repudij, & vxor alteri nupsit: tunc namque si ambo conuertantur, tenetur vir eam recipere. Potest quoque propter peccatum contra naturam diuortium fieri.

2. ¶ Deniq; quoniā vxoris fornicantis dimissio introducta est in pœnam & correctionē peccantis: idcirco si ipsa pœnitear, non tenetur vir eam dimittere. Si verò non pœnitea, tenetur eam relinquere, ne crimini eius videatur consentire.

3. ¶ At verò dupliciter potest vir vxorem relinquere. Primo, quantū ad thorum duntaxat: & sic potest eā propriō iudicio emittere, quā cito de fornicatione ipsius certitudinē habet, nec tenetur ei debitum reddere nisi per ecclesiam compellatur. Secundo, quantum ad cohabitationem & thorum: & sic non licet vxorem iudicio suo dimittere, sed iudicio ecclesiæ. Quod si eam aliter dimiserit, cogendus est ad cohabitationē, nisi queat vxori fornicationem in continenti probare. Hæc autem diuisio diuortium dicitur, & ergò diuortium propriō iudicio fieri nequit. Sciendum verò, quod Ioseph volebat virginem matrem relinquere non propter suspitionem fornicationis, sed propter reuerentiam sanctitatis eius, tam sacratissimæ virgini cohabitare se censens indignum.

¶ An vir & vxor sint ad paria iudicandi in causa diuortij. 2. An post diuortium vir alteri nubere possit. 3. An post diuortiū vir & mulier reconciliari possint. Articulus 176.

DEnique in casu diuortij vir & mulier iudicantur ad paria, ita quod idem est vtrique licitū atque illicitum. Non tamē hoc sit pari causa. Nam adulterium mulieris magis contrariatur bono prolis quā adulterium viri, facit enim incertitudinem prolis: in vtroque tamen est causa sufficiens.

2. ¶ At verò nil superuenies matrimonio potest ipsum dissoluere;

soluere; & ergo propter adulterium non rumpitur vinculum matrimonij, sed matrimonium verum manet. Nam secundū Augustinū: Inter viuentes manet coniugale vinculum, quod nec separatio, nec cum alio iunctio potest auferre. Et igitur non licet vni alio viuente ad aliam copulam transire.

3. ¶ Ostēsum est autē quod si vxor pœniteat, posse eam viro reconciliari. Sciendū quoq;, quod seruus & ancilla cōtrahere possunt. Et quāuis seruitutē suam ignorent ante cōtractum, non tamen ob id matrimonium dirimi potest. sicut diximetetur, si alter liber existeret, non potest aliquis maiorē obligationem exigere ex parte alterius, quàm ipse possit facere.

¶ An seruus potest contrahere matrimonium sine consensu domini. 2. An seruitus potest matrimonio supernenire. 3. An filij sequātur conditionem patris. Articulus 177.

PRæterea ius positiuū à iure naturali progreditur, nec ei præiudicare potest. Cum ergo matrimonū sit ad ius naturale pertinens, quoniam ordinatur ad cōseruationem speciei, vt dictum est patet quod seruitus matrimonium impedire non valeat, quantū ad dominū: sed domino nesciente & contradicente seruus cōtrahere potest. Seruus enim est res domini sui quātū ad ea quæ supernenūt & superadducuntur naturæ, non autē in naturalibus in quibus omnes pares existunt. Sed in tali casu magis tenetur domino præcipienti parere atq; seruire, quā mulieri debitū reddere: secus tamen esset, si ex consensu domini contraxisset.

2. ¶ Denique maritus potest se in seruum dare vel vendere inuita vxore, non enim subditur ei nisi in actibus naturæ, in quibus in se mutuam potestatem habent, ad quos seruitus se non extendit. Nec idcirco matrimonium soluitur, quoniam nullum impedimentum matrimonio supernenies ipsum dissoluere potest. Sed tunc vir potius obligatur vxori debitū reddere, quàm domino obedire.

3. ¶ Porro secundum leges ciuiles partus sequitur ventrem. Nec irrationabiliter. Pater enim dat complementum formale, sed mater ministrat substantiam corporis partis. Seruitus autem est conditio corporalis. Nam seruus est velut organum domini sui in operando. Vnde in libertate & seruitute proles sequitur matrem. In his autem quæ dignitatem concernunt, sequitur patrem: vt in honoribus, in municipijs, & hæreditate. Et huic Canones & lex Mosi concorditer consonant

sonant. Sed in quibusdam terris, quæ in lege ciuili non reguntur, partus sequitur deteriorem conditionem: vt si pater sit seruus, quamuis mater sit libera, filij serui sint: non tamen si pater post matrimonium contractum se dedit in seruum nolente vxore. Et similiter fit, si sit econuerso. Si autem ambo sint seruilis conditionis atque ad diuersos dominos pertinent, diuidunt domini filios si plures fuerint. Sed si sit vnus duntaxat, tunc vnus dominorum qui eum habuerit, alteri recompensabit de precio.

¶ An defectus ætatis matrimonium tollat. 2. An liceat viro vxorem in adulterio deprehensam occidere. 3. An talis possit alij nubere. Articulus 178.

SEcundum determinationem insuper iuris matrimonia contrahi nequeũt ante illud tempus discretionis, quo potest vterque de matrimonio sufficienter deliberare, & debitum mutuo reddere: & si aliter fiant matrimonia, ditimuntur. Hoc autem tempus vt frequentius in masculis est in anno quartodecimo, in fœmina verò in duodecimo. Sed quoniã præcepta iuris positiui sequũtur id q̃ est in plurib⁹: si quis ante prędictũ temp⁹ vsum rationis ac naturæ vigorem attigerit, matrimonium stabit. Et ergo si contrahentes ante prædictum tempus pubertatis carnaliter commisceantur matrimonium solui non poterit.

2. ¶ Præterea secundũ leges ciuiles quasi licitũ eõputatur, vt vir mulierem fornicantem in ipso actu deprehensam occidat. Sed ecclesia non reputat hoc fieri sine reatu pœnæ æternæ, vel in ecclesiastico iudicio infligendæ. Sed nulla lex permittit, vt vir vxorẽ occidat extra actum fornicationis, quamcunq; certus sit inde. Patet ergo, quod in foro cõscientiæ in nullo casu sit licitũ vxorem propria authoritate occidere.

3. ¶ Amplius ex statuto ecclesiæ vxoricidiũ matrimonium impedit, quandoque enim impedit contrahendum: sed non dirimit contractum, quando videlicet propter odiũ vel adulterium vir vxorem interficit. Sed si timendum videtur de incontinentia eius, dispensari potest cum eo. Interdum verò vxoricidium dirimit matrimonium contractum, vt dum quis propriam vxorem occidit, quatenus aliam cum qua mœchatur accipiat: tunc enim nullo modo recipere potest, sed est illegitima persona quo ad eam, non tamen respectu alterũ. Et ideo si cum alijs contrahit matrimonium stabit, quamuis sic contra-

contrahens peccet. Sciendum quoque, quod in ecclesia occidentali ordo sacer impedit matrimonium contrahendum & dirimit contractum. Dirimit enim contrahendum ex vi ordinis & propter votum annexũ. Sed apud Græcos seuin oriẽ tali ecclesia facti ordines impediunt matrimonium contrahendum solum ex vi ordinis, nõ autem dirimunt contractũ. Sed licet mulierem quam ante ordinis susceptionẽ habebat retinere, atq; cognoscere. Sed non possunt Græci in sacris ordinibus existẽtes de nouo cõtrahere, ltẽ si vir vxore viuẽte ac nolẽte seu reclamãte ad ordines suscipiẽdos accedat, veraciter ordinatur, & characterẽ recipit. Sed executiõe ordinis suscepti priuatur, quãdiu hæc viuit. Si verò vir cũ cõsensu vxoris ordinet sacros sumit, ipsa tenetur castitatem vouere, & si non tunc vir tenetur ei debitum reddere.

¶ An fidelis potest matrimonium cum infideli contrahere. 2. An inter infideles sit matrimonium. 3. An coniunx ad fidem conuersus possit commanere cum vxore infideli nolente conuerti, cum qua in infidelitate contraxit. 4. De alijs quibusdam. Art. 179.

ORdinatur autem matrimonium ad prolem diuino obsequio mancipandam. Hoc verò fieri conuenienter non valet, dum alter coniugum veram fidẽ nõ habet. Et ergo talis disparitas cult⁹ impedit matrimonium ne contrahi possit. Sed in veteri lege erat permissum cum aliquibus infidelibus contrahere, non tamen cum Chananæis & quibusdam vicinis eisdem, propter periculũ sequendi deos eorum. Si verò vterque sit baptizatus, quamuis vnus coniugum esset hæreticus, tamen si contrahant, verum est matrimonium licet peccent sic contrahendo.

2. ¶ Ex istis elicitur, quod inter infideles sit quidem matrimonium, non tamen perfectum, non enim ordinatur ad perfectum ac debitum finem matrimonij. Sad educandum prolem ad cultum diuinum, sed solum ad ipsam prolem seu naturalem perfectionem.

3. ¶ Denique fides non rumpit sed perficit matrimonium. Et ergo si vnus coniugum ad fidem conuertitur, nõ tenetur vxorẽ relinquere nisi videret eam omnino in malo obstinatam. Est enim idem iudiciũ de tali vxore & de muliere adultera, de cuius dimissione ac permissione præhabitum est.

4. ¶ Insuper dum infidelis ad Christum conuertitur, nõ amplius tenetur vxori infideli debitũ reddere, nec cohabitare

si illa conuerti non vult. Dum enim quis priori vitæ moritur, non tenetur ad ea ad quæ antè obligabatur. Si autē mulier infidelis cum viro fideli velit habitare sine blasphemia creantis, & subuersione fidei maris, potest fidelis discredere & non discredere. Sed si discedit, alteri nubere non licet. Si verò mulier sine blasphemia & subuersione prædicta cohabitare non velit, tunc vir tenetur discredere, & potest aliā ducere, matrimonium enim infidelium perfectum ac ratum non est.

¶ *Quid sit consanguinitas. 2. De distinctione eius per gradus & lineas. Articulum 180.*

AMicitia verò in aliqua communicatione consistit. Amicitia autē est vnio quædā siue ligatio. Et ideo cōmunicatio, quæ est amicitiæ causa, vinculum appellatur. Vnde secundum quamlibet communicationem dicuntur aliqui colligati, sicut dicuntur conciues qui communicationem politicam habent, & commilitones qui in negotio militari conueniunt, & eodem modo consanguinei nominantur, qui naturali communicatione conueniunt. Propter quod consanguinitas taliter diffinitur. Consanguinitas est vinculum ab eodem stipite descēdentium carnali propagatione contractum. Per stipitem autem intelligendus est stipes propinquus, cuius virtus productiua aliquo modo manet in posteris, non stipes remotus. Prædictum quoque vinculum melius dicitur consanguinitas, quàm carnalitas, quoniā proximum quod in semen conuertitur est sanguis, secundum philosophum. Inter alia autem animalia consanguinitas locum non habet, quia eorum coniunctio non est ad amicitiæ vnitatem, sicut in homine.

2. ¶ At verò secundum philosophum octauo Ethicorū, Prædicta consanguinitatis communicatio triplex est. Vna secundū habitudinem principij ad principiata, vt patris ad filium. Alia secundum habitudinem principiati ad principium, vt filij ad patrem. Tertia secundum habitudinem eorū quæ sunt ab vno principio inter se, vt fratrum adinuicem. Et quoniam punctus suo motu lineam causat, ipseque patet per propagationem quodāmodo in prolem descendit, ideirco secundum tres has habitudines tres lineæ consanguinitatis sumuntur, videlicet linea descendentiū secundum primā habitudinem: linea ascendentium, iuxta secundum habitudinem: linea transuersalium, secundum tertiam. Propagatio autem naturalis non

non quieuit in vno termino, sed est accipere patrem patris, & filium filij, & secundum talem progressum, diuersi gradus in vna linea reperiuntur. Gradus verò rei est pars eius. Non ergo est gradus propinquitatis, si desit propinquitas. Vnde nimia propinquitas nimia quoque distantia gradus consanguinitates tollunt. Et ideo nulla persona ad seipsam facit gradū sed per comparationem ad aliam. Et tamen diuersa est ratio computandi gradus in diuersis lineis. Gradus namque cōsanguinitatis in linea abscendentium ac descendennum contrahitur ex hoc, quod vna persona ab alia propagatur, corū inter quos gradus pensatur. Vnde secundum computationē canonicam atq; legalem, persona quæ primo ingressū propagationis occurrit vel ascendendo vel descendendo, distat ab alio quo in primo gradu, vt pater & filius: quæ verò vtrinque secundo occurrit distat in secundo gradu, vt auus & nepos: sicque deinceps. Consanguinitas autē existentium in linea trāsuersali inde contrahitur, quod plures propagantur ex vno. Id circo gradus consanguinitatis in hac linea computantur per comparationem ad vnum principium. Diuersimode tamen. Nam legalis computatio attendit descensum à cōmuni radice ex vtraque parte, sed canonica solum ex vna, illa videlicet, ex qua maior numerus graduum inuenitur. Et igitur frater & soror seu duo fratres attinent sibi in secundo gradu, secundum computationem legalem: quia vterque à communi radice distat per vnum gradum. Et similiter filij duorū fratrum distant à se in quarto membro. Secundum comparationē autem Canonicam duo fratres attinet sibi in secundo gradu, quoniam neuter eorum distat à cōmuni radice, nisi per vnū gradum. Filij verò fratrum in secunda membro attinent sibi. Et ergo secundum computationem legalem, quanto aliquis gradu distat ab aliquo superiori, tanto distat à quolibet descēdentium, & nunquam minus, nam propter quod vnumquodque tale & illud magis. Sumitur autem nunc linea nō prout est simplex dimensio, quæ est prima species quantitatis: sed pro his, quæ linealiter disponuntur: quemadmodum vnitas post vnitatem in numero ordinatur. Et sicut in tali linea quælibet vnitas adiecta gradum facit, ita in linea consanguinitatis, sicque vna linea plures continet gradus.

¶ Cōsanguinitas demum dici potest maior seu minor duplici ter, scilicet intensiue ex ipsa natura cōsanguinitatis, & dimen

siue secundum quod quantitas consanguinitatis mẽsuratur ex personis, inter quas cõsanguinitatis propagatio procedit. Et hoc modo gradus consanguinitatis traduntur. Potest itaque duorũ in eodem gradu consanguineorum vnus alicui tertio esse magis consanguineus intensiue quàm alius, quanuis ipse sunt illi tertio æque propinqui quantum ad gradum: vt pater & frater sunt vni in eodem gradu propinquo: & tamen pater est idem magis propinquus intensiue, cum sit filius eius, quàm frater illius.

¶ An consanguinitas de lege naturali impediat matrimonium. 2. An gradus consanguinitatis matrimonium impedientis sit ab ecclesia, vsque ad quartum gradum taxandus. Articulus. 181.

COnsanguinitas insuper quantum ad aliquas personas, videlicet inter patrem & filiam, matrem quoque & filiam, impedit matrimonium de iure naturali. Filia enim naturaliter debet esse patri subiecta in omnibus. Et ideo innaturale est, vt sit ei socia in educatione prolis & regimine domꝰ. Sed filius naturaliter obligatur matrem reuereri, quantum verò ad aliquas personas impedit matrimonium de iure diuino quod per Mosen prohibuit certas personas propter consanguinitatem à matrimonio: eas præsertim, quas oportet vel solitum est simul morari. Nisi enim inter personas domesticas interdicta esset matrimonij copula, magnus daretur concupiscentiæ aditus. Cũ ergo sit matrimonium in remedium contra concupiscentiam datum conuenienter contrahi nequit inter quosdam propinquos. Quantum autẽ ad aliquos cõsanguinitas impedit matrimoniũ de iure per homines instituto ad augendũ amicitiã, & multiplicandum cõfœderationem ac pacem inter homines cum homo ita afficitur propinquis coniugis suæ vt proprijs. Itaque secundum diuersa tempora consanguinitas secundũ diuersos gradus matrimonium impediuit. In principio nam que generis humani propter paucitatem hominũ & necessitatem multiplicationis eorum, non nisi pater & mater à matrimonio repellebãtur. Postmodũ autem multiplicatis hominibus tẽpore Mosi plures personæ propter consanguinitatẽ prohibitæ sunt illæ videlicet q̃ cohabitare in vna familia soliti sunt, vt Rabbi Moses dicit, ne daretur incẽtiuũ libidini. Sed aliæ personæ propinquæ nõ erant prohibitæ, sed tempore noue legis, quæ est lex amoris & spiritꝰ, cõsanguinitas matri-

matrimonium impediuit vsque ad septimum gradum, & non vltrà, quoniam post tantam distantiam non facile remansit memoria communis radicis: & etiam propter congruentiam septiformis gratiæ spiritussancti, & hoc vt augeretur inter homines dilectio mutua per multas personas ratione consanguinitatis & affinitatis.

2. ¶ Nunc verò circa hæc vltima tempora restrictum est indicium ecclesiæ vsq; ad quartum gradum, quoniã refrigescẽte charitate multorum propinqui post quartum gradum nõ plus diliguntur quàm personæ extraneæ. Et ergo per matrimonium est renouanda dilectio.

¶ Aduertendum autem, quod mundo assignantur ætates nõ quo ad substantiam, sed quantum ad statũ: ad similitudinem ætatis vnius hominis, cuius ætates variantur secũdum notabiles varietates in statu ipsius. Prima quippe ætas vocatur infantia, vsq; septennium durans. Secũda pueritia vsq; ad quartumdecimum annum. Tertia adolescentia vsq; ad annum vicesimumquintum. Et hæ ætates interdum computantur pro vna. Quarta est iuuentus ad quinquagesimum annũ durans. Quinta senectus vsq; ad .69. Sexta dicitur senium, & durat vsq; ad vitæ finem. Similiter in hoc mundo dicitur prima ætas ab Adã vsq; ad Noë, in qua fuit humani generis institutio & etiã lapsus. Secunda à Noë vsq; ad Abrahã in qua fuit humani generis destructio per diluuium & renouatio eius. Tertia ab Abraham vsque ad Dauid, in qua lex & circumcisio datę sunt. Quarta à Dauid vsq; ad transmigrationẽ Babyloniy, in qua lex floruit sub regibus & prophetis. Quinta à transmigratione Babylonis vsq; ad Christum, in qua fuit populi captiuatio & liberatio. Sexta à Christo vsq; ad finem mundi, in qua fuit humani generis facta redemptio. Non itaque oportet, vt ætates prædictæ æqualem numerum annorum sortiantur, sicut nec ætates vnius hominis. Vltima enim ætas quandoque tantum durat vt aliæ omnes.

¶ An ex matrimonio consanguinei affinitas causetur. 2. An maneat post mortem viri inter relictam & consanguineos viri. 3. An ex illicito concubitu causetur affinitas. 4. An ex sponsalibus causetur affinitas. 5. An affinitas sit causa affinitatis. Art. 182.

AMicitia ergo, vt dictũ est, in quadã cõmunicatione fundatur. Naturalis autẽ cõmunicatio fit, scilicet per carnis propagationẽ, & per cõiunctio-

iunctionem carnalem ad propagationem ordinatam. Sicut itaque persona alteri per carnis propagationem, coniuncta, quoddam naturalis amicitiæ vinculum facit: ita si cõiungatur per copulam carnalem, non tamen fit particeps eiusdem tadii eis & sanguinis, sed quasi ab extrinseco aduenit. Propter quod efficitur aliud genus vinculi, quod affinitas appellatur. Sed persona per carnis propagationem coniuncta manet in eo de genere vinculi seu attinentiæ, non tamen in eodẽ gradu, de quo versus habetur: Mutat nupta genus, sed generata gradum.

2. ¶ Deniq; causa affinitatis est coniunctio viri atq; vxoris. Ipsa autem cõiunctio transit, & ratione præteritionis habet quandã necessitatẽ, sicut præterita. Vnde sicut paternitas & filiatio non destruuntur propter subtractionem causę, cum illa præterita sit, videlicet esse genitum, sed propter corruptionem subiecti in altero extremorum: sic affinitas manet manẽte vxore ad cõsanguineos viri, quãuis mortuus sit vir, quãdiu illi manẽt cũ quibus affinitas est cõtracta. Matrimoniũ enim & consanguinitas atq; affinitas aliud non sunt, nisi quædam relationes quæ in actione, vel passione seu motu fundantur.

3. ¶ Præterea quoniam affinitas ex carnali cõiunctione causatur, idcirco fornicarius quoque cõcubitus affinitatem inducit, inquantum aliquid habet de naturali coniunctione: non autem concubitus contra naturam, quia non habet seminum commixtionem, quæ possit prolem producere.

4. ¶ Sciendum verò, quod sicut sponsalia non habent perfectam rationem matrimonij, sed sunt præparatio ad ipsum, ita non causant affinitatem, sed aliquid simile, quod dicitur publica honestatis iustitia: quę impedit matrimonium sicut affinitas & consanguinitas, & secundum eosdem gradus ex institutione ecclesiæ.

¶ Denique dictum est, quod attinentia quę est per carnis propagationem, manet in eadem specie, non autem quæ per copulã carnalem contrahitur: sed fit aliud genus vinculi seu attinentiæ. Vnde iste modus contrahendi propinquitatem cum alio est quasi æquiuocus, & in aliam speciem cadẽs à sua causa: nõ autem primus. Et ergo affinitas nõ causat affinitatem, sicut consanguinitas consanguinitatem: nisi dicatur omnino aliud genus, vel secundum, aut tertium genus affinitatis. Secundum & tertium genus affinitatis olim erãt prohibita ab eccle-

ecclesia, propter publicę honestatis iustitiam, potius quã propter affinitatem, quia deficiunt à ratione veræ affinitatis. Sed modo prohibitio illa cessauit, & primum genus affinitatis prohibitum manet.

¶ *An affinitas impediat matrimonium 2. An habeat gradus. 3. An gradus illi extendantur, sicut gradus consanguinitatis. Art. 183.*

POrro affinitas quæ matrimoniũ præcedit, impedit cõtrahendum dirimitq; cõtractum, eadem ratione qua consanguinitas. Quemadmodum enim consanguineos, sic & affines cohabitare necesse est. Si verò affinitas matrimonio superueniat, non valet ipsum dissoluere.

2. ¶ Amplius graduum distinctio directè & immediate cõpetit cõsanguinitati, quoniam per carnis propagationẽ contrahitur. Sed affinitas à carnis propagatione mediante cõsanguinitate procedit, quæ est causa affinitatis. Vnde ad inueniendum gradum affinitatis est regula generalis, quod quoto gradu consanguinitatis attinet mihi vir, toto gradu affinitatis attinet mihi vxor.

3. ¶ Quia igitur gradus affinitatis sumitur secũdum gradus consanguinitatis, tot sunt gradus affinitatis quot consanguinitatis. Facilius tamen & olim & nunc dispensatur in remotis gradibus affinitatis, quam consanguinitatis. Vinculũ enim affinitatis minus est vinculo consanguinitatis.

¶ *De filijs illegitimis. 2. De pœna eorum. 3. An etiam valeant legitimari. Articulus 184.*

QVadruplex dicimus est status filiorum, quidã enim sunt naturales & legitimi, vt ex matrimonio nati: quidam naturales & illegitimi, vt ex simplici fornicatione producti: quidam legitimi & non naturales, vt adoptiui: quidam nec legitimi, nec naturales, vt spurij, de stupro aut adulterio nati, tales namq; nascuntur contra legem positiuam, legemq; naturæ.

2. ¶ Porro filij illegitimi duplex damnum incurrunt. Primo quia non admittuntur ad actus legitimos, scilicet ad officia vel dignitates, quæ honestatem requirũt in agente. Secundo quia nõ succedunt in hæreditate. Naturales verò filij succedere possunt in sexta parte tantum. Spurij autem in nulla. Patentes tamen de iure naturali tenẽtur eis prouidere, ad quod per episcopum sunt cogẽdi. Prædicta ergo damna illegitimi filij pati dicuntur, non quod eis quicquam subtrahitur quod

eis debitum fuit, sed quoniã eis non est debitum, quod aliàs eis debitum esse potuisset, videlicet si illegitimi non essent.

3. ¶ Deniq; filij legitimi legitimantur ex hoc, quod per authoritatem ecclesiæ prædictis damnis nõ subijciuntur. Suntq; sex modi legitimandi, duo secũdũ Canones: vt cũ quis duxit in vxorem illam, ex qua filiũ illegitimũ generauit, si nõ fuit adulteriũ. Secundus est per specialẽ indulgentiam & dispensationẽ domini Papæ. Alij quatuor modi sunt ciuiles. Primus, dum pater filium naturalem curiæ imperatoris offert. Secundus, cum pater in testimonio nominat eum legitimũ hæredem, & filius postmodum imperatori testimoniũ offert. Tertius, si nullus est filius legitimus & ipsemet principi offerat se. Quartus est, quando in publico instrumento, vel eũ trium testium subscriptione eum vocat legitimum, nec adijcit naturalem. Agnoscendum quoque, quod ignorantia excusat illicitum coitum, si non sit affectata. Et ergo qui bona fide conueniunt in facie ecclesiæ, licet sit impedimentũ si ipsum ignorant, non peccant, nec filij illegitimi erunt. Si verò sciãt, quãuis ecclesia quæ impedimentum ignorat, sustinet eos: nõ excusantur à culpa, nec filij ab illegitimitate. Si autem non sciunt, & in occulto contrahunt non excusantur, eo quod talis ignorantia appareat affectata.

¶ *Virum spiritualis cognatio impedit matrimonium. 2. An tales propinquitas per solum baptismum contrahatur. Articulus* 185.

Sicut præterea per carnis propagationem accepit homo esse naturæ, sic per sacramenta ecclesiæ suscipit esse spirituale gratiæ: quod est ei quodammodo naturale inquantum est membrum ecclesiæ. Ideirco sicut carnalis, sic & spiritualis cognatio matrimoniũ impedit ex statuto ecclesiæ. Si enim præcessit matrimonium, impedit contrahendum, dirimitq; contractum. Sed si sequeretur, tunc nõ dirimit matrimonij vinculum. De actu tamen matrimonij est distinguendum. Vel enim spiritualis cognatio causã necessitatis inducitur, vt dum pater pueri infantem baptizat propter periculum mortis: & tunc ex nulla parte impedit matrimonij actũ. Aut inducitur sine necessitate, sed ex ignorãtia: & tunc si ille ex cuius actu inducitur, debitam diligentiam adhibuit, est idem iudicium sicut prædictũ est. Si verò inducitur ex industria & præter necessitatem: tunc ille ex cuius actu inducitur, peccat ius petendi debitum, quanuis reddere obligetur.

¶ Causa

¶ Causa autem cur spiritualis cognatio matrimonium impedit est: quia multiplicationem amicitiæ tollit, ipsa enim per se ad amicitiam est sufficiens.

2. ¶ Præterea secundum probabiliorem & communiorem opinionem spiritualis cognatio non contrahitur nisi per duo sacramenta, videlicet per baptismum & confirmationem. Catechismus verò impedit matrimonium contrahendum, non autem dirimit contractum.

¶ *Inter quos contrahatur spiritualis cognatio. 2. An transeat à viro in fœminam. 3. An à patre in filios. Articulus* 186.

Denique sicut in generatione carnali quis nascitur ex patre & filio: sic in spirituali regeneratione nascitur homo filius dei sicut patris, atque ecclesiæ sicut matris. Quemadmodũ autem sacramentum conferẽs gerit personam dei: sic qui baptizatũ de fonte sacro leuat, vel confirmandum tenet, habet personã ecclesiæ: ideo ad vtrumque spiritualis cognatio contrahitur.

2. ¶ Insuper aliquis potest fieri compater alicuius dupliciter: Vno modo per actum alterius, scilicet baptizantis, vel suscipientis in baptismo filium eius: sicque spiritualis cognatio non transit à viro in coniugẽ, nisi ille sit filius vxoris, tunc enim vxor directè contrahit cognationem spiritualem, sicut & vir. Alio modo per proprium actum, vt dum filium alterius de fonte baptismatis leuat: & sic cognatio spiritualis transit ad mulierẽ carnaliter cognitã, quanuis non sit matrimonialiter iuncta, tunc enim sunt vna caro. Non autem si non sit mulier carnaliter cognita, sed inter patrem spiritualẽ, matremque spiritualem eiusdem non oritur spiritualis cognatio, quoniam alter per se sufficeret. Et ergo simul contrahere possunt. Cùm infideli quoque non potest spiritualis cognatio contrahi, quia non pertinet ad mysticum corpus Christi.

3. ¶ Præterea cum filius sit aliquid patris & non econtra: idcirco spiritualis cognatio transit à patre in filios, & non vicẽuersa. Tres igitur sunt spirituales cognationes, quarum vna paternitas nominatur, quæ inter patrem spiritualem & filium eius consistit. Alia compaternitas dicitur, quæ est inter patrẽ spiritualem & filium eius carnalẽ. Tertia verò vocatur spiritualis fraternitas, quæ est inter filiũ spiritualem filiosque carnales eiusdem patris. Et quælibet harũ impedit matrimoniũ contrahendũ dirimitq; contractum. Spiritualis tamẽ cogna-

tio nõ habet gradum. Nam in eodem gradu attinet filius spiritualis filio naturali sui spiritualis patris, in quo attinet ei pater eius, mediante quo spiritualis cognatio transit.

¶De diffinitione adoptionis per quam est legalis cognatio, 2. An ex adoptione impediatur matrimonium, 3. Inter quos talis cognatio contrahatur. Artic. 188.

ARs autem imitatur naturã, & supplet eius defectum. Et ergo per eius ꝓpositũ, quod est ars æqui & boni, potest homo personam extraneã sibi in filium assumere, ad similitudinem filij naturalis, propter supplendum amissorum filiorum defectũ. Ad quod adoptio instituta cẽsetur, & ideo taliter diffinitur: Adoptio est extraneæ personæ in filiũ aut neporem, vel deinceps, legitima assumptio. Est verò adoptio duplex, videlicet perfecta quæ errogatio dicitur, & naturalem filiationem perfectè imitatur. Per hanc enim adoptatus transit in potestatem adoptantis, & succedit ei ex intestato. Et hæc adoptio fieri nequit, nisi authoritate principis, nec taliter adoptare valet qui sui iuris non est. Alia verò species adoptionis est imperfecta, quæ naturalẽ filiationem imperfectè sectatur. Non enim per eam transit adoptatus in potestatem adoptantis, nec succedit ei in bonis, neque tenetur ei adoptans aliquid in testamento relinquere. Hæc quoque adoptio fieri potest sine authoritate principis, ex authoritate magistratꝰ: ficq; adoptari potest, qui sui iuris nõ est. Sed primo modo adoptatus sine culpa sua priuari nõ potest quarta parte hæreditatis. Item qui sui iuris non est, vel qui nondum vigintiquinq; annos fortitus est, & mulier, adoptare nõ possunt: nisi ex cõcessione principis. Qui etiã perpetuũ habet impedimentum generandi adoptare non potest, nã ratione suæ sterilitatis hereditas eiꝰ ad ꝓpinquos eius pertinet.

2. ¶ At verò legalis cognatio, quæ per adoptionem inducitur, matrimonium impedit, secundum leges ciuiles & approbationem ecclesiæ: tales enim personas cohabitare oportet, & ergo coniungi non debent, nec personæ consanguineæ.

3. ¶ Sciendum quoque, quod cognatio legalis est triplex. Prima quasi descendentium, quæ contrahitur inter patrẽ adoptantem & filium adoptatum, & filium filij adoptiui & neptem, & ita deinceps. Secunda, quæ est inter filiũ adoptiuum & filium naturalem. Tertia est per modũ affinitatis cuiusdam quæ est inter patrem adoptantem atq; vxorem filij adoptati, vel

vel econtra. Et item inter filium adoptatum & vxorẽ patris adoptantis. Prima ergo & tertia perpetuo matrimoniũ impediũt. Secũda verò quãdiu manet in potestate patris adoptantis. Vnde mortuo patre, vel filio emãcipato, potest inter eos matrimoniũ esse, qñ cohabitatio terminatur: tũc eñ filius adoptiuus, & filia naturalis eiusdem patris contrahere pñt.

¶An secundæ nuptiæ sint licitæ, 2. An sacramentales. Art. 189.

MVlier insuper, teste Apostolo, alligata est viro, quãdiu viuit vir eius. Vnde mortuo viro vinculum matrimoniale cessat ac definit, propter quod alteri nubit. Et ideo non solùm secundæ nuptiæ, sed tertiæ quoque & quartæ, atque deinceps sunt licitæ.

2. ¶ Deniq; ea quæ ad sacramenti huius essentiam requirũtur, videlicet debitam materiam, cum sit inter personas legitimas: & debitã formam, vtpote expressus consensus interueniens per verba de præsenti. Nihilominus tale matrimoniũ aliquid imperfectionis sortitur respectu matrimonij primi. Nõ enim seruatur in eo plena significatio matrimonij quę est vnio Christi & ecclesiæ, in qua vnione non est diuisio in plura. Et ideo benedictio subtrahitur, quando secundæ nuptiæ sunt secundæ ex parte viri ac coniugis, vel ex parte vxoris duntaxat. Nã si virgo contrahat cum eo qui aliam mulierem habuit, nuptiæ benedicuntur, saluatur enim quodãmodo significatio etiã in ordine ad primas nuptias. Quanuis enim Christus vnam ecclesiam habeat sponsam, habet tamen plures personas desponsatas in ecclesia. Anima autẽ non potest esse sponsa alicuius quã Christi: cum dæmone nãque fornicatur, neque est ibi spirituale matrimonium. Idcirco dũ mulier secundo nubit nuptiæ nõ benedicuntur, propter defectũ sacramenti, quod vnionem designat cum Christo.

¶An vtergue coniugum teneatur semper exæquo ad reddendum debitam etiam quandoque non petenti propter verecundiam 2. An vir & mulier possint votum emittere contra debitum matrimonij sine mutuo consensu. 3. An temporibus sacris debitum petere sit mortale peccatum. Articulus 189.

ORdo naturæ & charitatis hoc habet, vt vnũquodq; prius in seipso perficiatur, & postmodum alteri de sua perfectione communicet. Et ergo licet vxor in viro potestatẽ habeat quantũ ad vitiuẽ generationis exigẽdi ab eo debitum, nõ tamẽ tenetur reddere cũ detrimento

mento incolumitatis proprij corporis. Extra quem casum tenetur vir semper vxori debitum reddere, etiam non petenti propter verecundiam: modo expressa signa in ea appareant voluntatis reddendi debitum, etiam festiuo tempore, saltem seruata debita honestate, quæ in talibus exigitur. Hoc enim est propter lubricum carnis diuinitus ordinatū, vt semper petenti debitū reddatur, ne aliqua occasio detur peccati. Et eadē ratione tenetur vxor viro petenti semper debitū reddere. Quia quantū ad hoc vir & mulier sunt æquales. Vnde 1. Cor. 7. Mulier potestatē sui corporis non habet sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

2. ¶ Cùm itaq; coniuges sibijnuicē teneantur in redditione debiti, nō potest vnus absq; consensu alterius continentiam vouere. Votū enim est de illis duntaxat bonis, quę nostrę subiacent voluntati: qualia nō sunt ea, in quibus vnus tenetur alteri. Peccat proinde qui sic vouet & non debet seruare votū, sed agere pœnitentiā de voto malefacto, etiā si tantū vouerit se redditurū quidē debitū petenti, sed nunquā petiturum. Per hoc enim redderetur matrimoniū alteri onerosum, dū oporteret semper vnū onus petēdi debitū subire. Et ob hoc 1. Cor. 7. dicitur. Ne fraudetis vos inuicē, nisi ex communi cōsensu ad tēpus, vt vacetis orationi. Si verò ante cōtractū matrimoniū emisisset votū simplex castitatis, tenetur quidē petenti debitū reddere: ipse aūt exigere debitū sine peccato nō potest.

3. ¶ Quanuis verò semper oporteat petenti debitum reddere, saluis cōditionibus suprà memoratis, petere tamē in die festo peccatum est ad minus veniale: grauius quidem si sola delectationis causa petatur. Reddit quippe carnalis delectatio, rationē deprimens, hominem ineptum ad spiritualia, quibus præcipue intendendum est die festo. Non est autē peccatum mortale, quia petere debitū in die festo est circūstantia non trahēs in aliā peccati speciē, quare nec potest in infinitū aggrauare. Si qua igitur carnis tēratio insurgat die festo oratione, ieiunio, vigilijsq;, aut, præueniēda est aut retūdenda,

¶. An animabus post mortē receptacula assignentur. 2. An statim post mortem ad ipsa animæ deducantur. 3. An de ipsis locis egredi valeant. 4. An limbus infernus sit idem quod sinus Abrahæ. 5. An limbus sit idem quod infernus damnatorū. 6. An limbus patrum sit idem quod limbus puerorum. 7. An tot receptacula debeant distingui. Art. 190.

Cum

CVm scriptura sacra attribuat deo (qui est substantia spiritualis omnium prima) locum corporeum suprāmū, cœlum videlicet Psalm. attestante: Cœlum mihi sedes est, omnino credendū est animas quæ sunt in participatione perfectæ deitatis, in cœlo esse. Quæ autē à participatione huiusmodi impediuntur, loco contrario deputari. Quod licet à nobis pro statu huius viæ plene cognosci non possit, tamen quia secundum Aug. 3. de trinitate, & Grego. 4. dialogo, corporalia gubernantur à deo mediantibus spiritualibus, & secundum philosophos, ordo mobilium pensatur secundum ordinem substantiarū separatarum: consequēs profecto est vt dignioribus substantijs digniora corpora adaptētur. Conuenit enim anima separata cum corpore cui deputatur, & si non secundum similitudinem alicuius sensibilis qualitatis, conuenit tamen secundū quid per quandā propottionabilitatem. Animæ spiritualiter illuminatæ conueniunt cum corporibus luminosis, offuscatæ verò per culpam cum locis tenebrosis. Quibus dum se agnoscunt animæ deputari: vel gaudio afficiuntur, vel dolore.

2. ¶ Quemadmodū verò grauia & leuia sublato impedimēto, protinus in suum quæq; locū feruntur: ita & animæ vinculo carnis abrupto, illico vel in infernum demerguntur, vel in cœlum euolant, nisi obsistat peccatū aliquod veniale purgandū. Testatur hoc Paul. 2 Cor. 5. Scimus enim quōn si terrestris domus nostra huius habitatiōis dissoluatur, q̄ ædificationē ex deo habemus, domum non manufactam, sed æternā in cœlis. Qui & Philippensibus scribēs: Cupio, inquit, dissolui, & esse cum Christo. Hoc autem frustra peteret, si existimaret animam à corpore solutam non confestim in cœlum migraturam. Sed & diues epulo Lucę 16. defunct⁹ in inferno, animā Lazari in sinu Abrahæ vidisse perhibetur. Nam cū sint animæ singulatim à deo creatæ, nunc quidē sola singulari retributione in abditis illis receptaculis, cœlo videlicet, vel inferno continentur, licet aliter nunc quàm post diem nouissimū: quia nunc sine corpore, tunc verò simul cum corpore, vel beatitudine perfruentur, vel affligentur miseria. Quæ quidem corpora propter mutuam continuationem adinuicem (nam secundū ea verum est dicere, quod dicitur Act. 17. q̄d deus ex vno fecit omnium hominum genus) congruum est simul omnia glorificari, vt & in ipsa carne gaudeant secundum B.

Grego

Gregorium quarto dialogo, in qua dolores pro dño cruciatusq; pertulerunt. Et eodem modo dicendum est de dānatis.

3. ¶ Et quia secundum B. Augustinum in libro de cura pro mortuis agenda, alij sunt humanarum limites rerum, alia diuinarum signa virtutum, alia quæ naturaliter, & alia quæ inuisibiliter fiunt. Quāuis animæ suis deputatæ locis, inde simpliciter, vel secundum consuetū naturæ cursum non exeant, tamen secundū ordinē diuinę prouidentia, quandoq; ad tempus egredi possunt, dum vel ad eruditionē hominum, vel terrorem permittuntur viuentibus apparere, aut etiā suffragia expetunt, quantū ad illos qui purgatorio detinentur, vt patebat per multa exēpla B. Greg. quarto dialogo. Et B. Aug. lib. de cura pro mortuis agenda de Felici martyre, qui ciuibus Nolanis visibiliter apparuit cum à barbaris oppugnarentur. Quòd autem sancti (qui etiā cum hic viuerent miraculorum gratia claruerunt, & ob id verisimile est viuentibus posse apparere cùm velint) non semper apparent viuis, ijs etiā quos hic habuerunt charissimos: fieri putandum est propter conformitatem voluntatis eorū ad dispositionem diuinā, quę nouit quatenus huiusmodi apparitiones viuentibus, vel obsint, vel expediant: vel quia in purgatorio pœnis oppressi de sua magis miseria doleāt, quā vt curent alijs apparere, nō etiam cum viuentibus apparent, nec gaudij diminutionem patiuntur beati, nec dānati vllā pœnarum suarū sentiūt reuelationē eo quod se agnoscāt sic semp latis aut tristibus locis addictos, vt nisi ad momentum nutu creatoris inde nequeant exire.

4. ¶ Cęterū iustorum animæ post mortem non semper eam dē requiem habuerunt. Quia post Christi aduentū habēt plenā requiem diuina visione fruentes, sed ante aduentū Christi habebant tantū immunitatē pœnæ absq; quiete desiderij per consecutionē finis. Erat proinde idem locus saltē per accidens, quo ante aduentū Christi delatæ sunt animæ iustorū & quo nunc deferuntur, videlicet limbus inferni & sinus Abrahæ. Qui propter requiē ad quā Abrahæ fides transmittebat accedentē enim ad deū oportet credere. Hebr. 11. sinus Abrahæ dicerentur, & limbus inferni propter carentiā beatificæ visionis. Hæc tamē idēntitas post Christi aduentū est cessata. Non aūt vnitati accidentali repugnat, q; nusquā in sacris literis sinus Abrahę in malū accipitur, ꝓpter requiē, & in limbus inferni siue infernus nunquā in bonū propter defectū. Nā cū ante aduen-

aduentū Christi, requies sanctorum haberet defectū quietis adiunctū, dictus est infernus & limbus, tantū enim ibi nō videbatur deus. Nūc verò cōpletā post Christi aduentū sanctorū requie, citra omnis defectus admixtionē eadem quies nō infernus dicitur, sed sinus Abrahæ. Ad quem etiā ecclesia fideles suos orat perduci. Est enim nunc requies beatorū pauperū, quorū est regnum cœlorum, vt dicit quædā glossa. Lu. 16. super illud. Factū est vt moreretur diues. ¶ Quāuis verò probabile sit eundē esse locū, vel continuū secundū situm, limbū inferni & inferuū damnatorum, ita tamen quod quædā superior inferni pars limbus patrū dicatur, decebat enim sanctos patres q minimū quid habebāt de ratione cuiusq; supremū. & minus tenebrosum locū habere præ ijs, qui illic puniebātur, nequaquā tamen dubitandū est limbū patrū & infernū damnatorum secundū qualitatem locorū, potro fuisse distinctas. Quia in inferno est pœna & sensibilis & æterna: quarū neutra erat in limbo, vbi temporaliter tantum detinebātur absq; omni sensibilli dolore. Vnde euoluto decreto à deo tēpore, Christus infernū mordens nō absorbens, expoliauit limbū, patres antiquos secum inde in cœlū transduxit. Inter quos & Iob fuisse credendū est, nō obstāte quod de se dixerit 17. ca. In profundissimū infernum descendit anima mea. hoc quippe, vel de limbo patrū dixisse putandus est, qui & profundissimus est in cōparatione ad alia loca nō pœnalia, inquātum sub eodē includitur omnis locus pœnarū. Vel secundū Aug. 34. super Gen. ad literā, dicēdum quod iustus homo timuerit ne tristitia nimia sic perturbaretur, vt non ad requiem bonorum, sed ad inferos iret peccatorū. Quare huiusmodi verba ficubi de iustis hominibus dicta legūtur, credendū est timentū potius affectū significare, quā aliquid pro verò asserētiū.

5. ¶ Sed & patrū & puerorum in solo originali decedentiū eundem fuisse locum secundum situm, nō videtur improbabile. Fuerunt tamen absq; dubio distincti secundum qualitatem pœnæ, vel præmij. Nam patribus aderat spes vitæ beatæ vtpote in quibus & fidei & gratiæ lumen resplendebat, quorum nullum erat in pueris. In patribus enim originalis culpa expiata erat, secūdum quod erat infectiua personæ remanente impedimento ex parte naturæ, pro quo nōdum satisfactū erat. In pueris verò obstaculū erat, & ex parte personæ, & ex parte naturæ. Vnde quantum ad dilationem gloriæ mitior

Universidad de Deusto
Biblioteca

erat pœna pattum quàm puerorum. Nam quod Aug. dicit in Enchri. mitissimam esse pœnam puerorũ, intelligendum est per comparationem ad pœnas, quæ pro peccatis personalibus infliguntur.

7. ¶ Licet verò omnibus animalibus, quandiu in carne sunt, debeatur (sub infinitis etiã gradibus meritorũ & culparũ) vnus locus merendi & demerendi propter vnitatẽ status: est enim eiusdẽ posse mereri & demereri, tamẽ eorũ qui recipiunt pro meritis, vel pœna, vel præmiũ, sicut sunt stat' diuersi: ita sunt & receptacula diuersa. Nam aïa, vel est in statu recipiendi finale præmiũ. vel est in statu quo impeditur ab illo. Si primũ hoc est dupliciter. Vel quantũ ad bonũ, & sic, quia secundũ Diony. 4. cap. de Diuinis nominib', & Philosophũ. 1. Ethic. bonum cõtingit tantũ vno modo, malũ aut multipharie, est tantum vnũ receptaculũ, videlicet paradisus cœlestis. Texistis enim, quo deducti sunt Enoch & Helias, magis spectat ad statũ viatoris, quã ad statũ recipientis ꝓ meritis. Si enim quantũ ad malũ, sic ratione actualis culpæ est infernus, prius quidem dæmonũ ac damnatorũ locus, vbi pro meritis recipiant retributionẽ. Quamuis etiã dæmones aërem hunc caliginosum inhabitare beatus Petr' asserat ꝓ hominum exercitio vsq; ad diẽ iudicij, sicut & animę separatę, quandoque in loco habitationis nostrę puniũt ꝓpter nostrã instructionem vt eorum pœnas videntes à culpis retrahamur. Ratione vero originalis culpæ (in qua cũ solo veniali pctõ nemo discedit) est limbus puerorũ, qui neq; quo ad personã, neq; quoad naturam à peccato originali purgantur. Si verò est in statu qui impeditur à consecutione finalis retributionis, hoc est, vel propter defectum personæ, & sic est purgatorium in quo detinentur animæ, ne statim præmia consequantur, propter peccata quæ commiserunt. Nã licet in inferno (vbi nõ est pœna malũ citra omnis boni admixtionem) damnatorũ quoq; aliqui dã bona opera per mitiorẽ pœnam quoddãmodo præmiabit ad beatitudinẽ tamen (cuius est impermixtũ ac syncerũ bonũ) nemo nisi omnino purgatus, potest admitti. Vel est propter defectũ naturæ, & sic est limbus patrũ, in quo propter reatum naturæ humanæ (quæ nondũ poterat expiari) à culpa cutione gloriæ partes antiquũ in anima detinebantur. Completa enim gloriæ animæ statum diuersificat non corona gloriæ corporis, quia in gloria animæ consistit præmium essen-

essentiale, à qua originaliter redundat in corpus.

¶ *An anima separata remaneant potentiæ sensitiuæ 2. An remaneãt in ea actus distarum potentiarum. 3. An anima separata possit pati ab igne corporeo. Articulus 191.*

OPerationem hominis duplex est genus. Quædam enim sunt quarum principia sunt potentiæ animæ, & tamen non propriè sunt animæ vt subiecti, sicut color est corporis (vt quidã falsõ sunt opinati) sed cõiuncti id est corporis, & animæ simul, quia explentur per corpus, vt est videre, audire & huiusmodi. Et quia secundum Philo. de somno & vigilia, eius est actio cuius est potentia: oportet quod istæ potentię sint cõiuncti sicut subiecti, animę verò sicut principij influentis. eo modo quo omnis forma est principium proprietatum cõpositi. Nam nõ comparantur ad animam vt naturales passiones ad sũũ obiectum, sed sicut ad originem in qua radicantur. Qua ratione à beato Aug. dictũ est, animam secũ trahere sensum & imaginationem, concupiscibilitatem & irascibilitatem, quæ tamen ad sensitiuã potentiã spectant, nisi forte de interioribus sensibus, qui ad intellectiuum partim pertinent, videatur locutus, eo modo loquendi, quo secundum Basilium super Prouerbia, & Philos. sexto Ethicorum sensus quandoq; pro intellectu accipitur. Alterũ verò genus operationum est, quæ immediate exercentur ab anima sine organo corporali, vt intelligere, considerare, & velle. Et hæ sunt animæ propriæ. Nam potentiæ quæ sunt harum principia, non solum sunt animæ vt principij, sed etiã vt subiecti. Has ergo potentias, quæ in suis actionibus nõ vtũtur organo corporali, necesse est remanere in anima separata. Sicut enim remanẽte subiecto, manere oportet & propias passiones: ita & destructo subiecto, oportet easdem quoque destrui, principio nihilominus integro & illæso perseuerãte, id est, anima, à qua huiusmodi potentiæ sensitiuæ in corpus manabant, sicut nec potentia regis manet dimidiata, mortuo præposito, qui eius potentiam participabat. Et hæc cõfirmari possunt per Augustinum libro de Ecclesiasticis dogmatibus sic dicentem: Duabus substantijs homo constat, anima tantũ & carne, anima cum ratione sua, & carne cum sensibus suis. Potentiæ itaque sensitiuæ ad carnem pertinent, ergo corrupta carne non manent itaque in anima.

2. ¶ Actus potentiarum sensitiuarum communes corpori

& animæ, neque exerceti valeant nisi per organum aliquod corporale, nullo modo manent in anima separata, nisi forte sicut in radice, & hoc Philosophus 1. de anima dicit, quod corrupto corpore anima non reminiscitur neque amat. Quod enim dictum est diuiti epuloni Lucæ. 16. Recordare fili, quia recepisti bona in vita tua, non est referendum ad memoriã, quæ est partis sensitiuæ, secundum quod concernit tẽpus præteritum: sed ad memoriam prout est pars imaginis ad intellectiuam partem pertinens, & secundum Augustinum, abstrahit ab omni differentia temporis, cum non sit tantum præteritorum, sed etiam præsentium & futurorum. Similiter gaudiũ, amor, tristitia, & huiusmodi erunt in anima separata, prout sunt actus voluntatis quæ est in intellectiua parte, non secundum quod sunt passiones appetitus sensitiui, quia sic non explentur sine determinato motu cordis.

3. ¶ Christo in euangelio perhibente Matth. 25. Maledictos in ignem æternum ituros, qui præparatus sit diabolo & angelis eius, haud dubium est animas separatas non minus quàm dæmones, (qui & ipsi spirituales sunt creaturæ) ab igne corporeo affligi. Quo autem pacto hoc possit fieri, diuersimode conati sunt ostendere. Omnium tamen modos in vnum colligendo, dicendum est, quod ignis ex natura quidem sua habet, quod spiritus incorporeus ei coniungere possit, vt locus locatum, eo tamen modo quo spiritualia possunt esse in loco videlicet per diffinitionem loci, sed inquantum est instrumentum diuinæ iustitiæ, habet vt etiam ipsum quodãmodo inuitum retineat alligatum. In quo ignis ille est veraciter spiritui nociuus, vt sic anima ignem vt sibi nociuum per violentã detentionem videns, realiter ab igne patiatur. Sicut Greg. 4. dialogo per ordinem ad longum tangit, & beatus August. vigesimoprimo de Ciuitate dei: Sicut (inquit) anima in hominis conditione iungitur corpori, vt dans ei vitam, quamuis illud sit spirituale & hoc corporale: & ex illa coniunctione vehementer concipit amorem ad corpus, sic ligatur igni, vt accipiens ab eo pœnam, & ex illa coniunctione cõcipiat horrorem. Vnde apparet ignem illum animam agere non per mutuã transmutationem, aut per modum influentis, aut per corporalem contractum: quæ corporum duntaxat sunt, & eorum quę communicant in materia, sed per modum detinentis, & per cõtactum spiritualem, sicut & motor cœli cùm sit spiritualis spiritu-

ali tactu tangit cœlum, ipsum mouens, per modum quo dicitur contristans tangere. sicut dicitur primo de generatione. Qui tactus continuatus dæmonibus & damnatis, etiam cum per dispensationem infernum aliquandiu exeunt, sicut dicit glossa super illud Iacobi. 3. Inflammat rotam nativitatis nostræ, Drab. vbicũque sit, siue sub terra, siue in aëre, secum trahit tormenta suarum flammarum.

¶De suffragijs mortuorum, an suffragia per vnum facta alijs prodesse possint. 2. An mortui possint iuuari operibus viuorum. 3. An suffragia per peccatores facta mortuis prosint. 4. An quæ à viuis pro mortuis fiunt facientibus prosint. Articulus 192.

ETsi opus vnius hominis non possit valere alteri per viam meriti (quod iustitiæ inniititur) ad acquirendum salutem beatitudinis, ad quam vnusquisque ex suo actu disponitur, non ex alieno. Quæ enim seminauerit homo, hęc & metet, Galatas sexto. Potest tamen & per viam meriti & per viam orationis, quę misericordię innititur, opus vnius valere alteri, vel ad præmium aliquod accidentale, vel dimissionem pœnæ peccatis debitæ, tum propter communicantiam in radice operis, quæ charitas est, in operibus meritorijs, secundum quod dicitur in psalmo. Particeps ego sum omnium timentium te, tum etiam ex speciali intentione facientis opus: ad hoc, vt alijs prodesse possit, hoc enim etiam secundum iustitiam humanam contingit, vt satisfactio vnius pro alio accipiatur.

2. ¶ Quum verò charitas (quæ est vinculum, membra ecclesiæ vniens) præsenti vita non finiatur, possunt & viuorum suffragia mortuis in purgatorio existẽtibus applicari, & propter vnionem charitatis, qua viuis mortui sociantur & propter specialem viuentium intentionem, non minus quàm viuorũ inter se sibi mutuo suffragia subeuniunt, vel quantum ad diminutionem pœnæ vel aliquid huiusmodi, quod tamen statum mortui non transmutet de miseria damnationis ad gloriam beatitudinis. Vnde 2. Machabæorum duodecimo dicitur: Sãcta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare vt à peccatis soluantur.

3. ¶ Quanuis autem suffragia per peccatores facta non tantum prosint mortuis, quantum si per sanctos ac iustos fierent prodesse tamen credenda sunt, tum quantum ad opus operatum (vt est sacrificium altaris quod sicut, & reliqua eccle-

 siæ sa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

fix sacramenta ex seipso efficaciam habet) tum quantum ad opus operans ipsius ecclesiæ, cuius personam gerit sa-ctos iniquus suffragia faciens, tum etiam propter charitatē principalis agentis, qui suffragia fieri disponit.

4. ¶ Opus itaque suffragij facienti quidem prodest ad meritum vitæ æternæ, si procedat ex radice charitatis: sicut in psalmo. Oratio mea in sinu meo conuertetur. Inquātum verò est expiatiuum pœnæ per modum cuiusdam recompensationis, quæ in satisfactione attenditur, ita absoluit eum pro quo fit ab obligatione pœnæ debitæ, vt tamen non absoluat facientem à debito pœnæ propriæ. Cuius causa est quia oportet opus satisfactorium æquari reatui, sed reatus duorum peccatorum maiorem satisfactionem requirit, quàm reatus vnius. Nam secundum mensuram delicti erit & plagarum modus, Deuteronomij vigesimoquinto.

¶ An suffragia prosint etiam existentibus in inferno, in limbo puerorum & sanctis existentibus in patria. 2. An orationibus ecclesiæ, & sacrificio altaris & eleemosynis animæ defunctorum iuuentur. Art. 193.

NVllus in inferno damnatorum vel limbo puerorū existens iuuari potest, secundum legem communē vllis viuorum suffragijs, neq; quo ad diminutionē pœnæ, neque quo ad interruptionem, nec quo ad confortationem patientis, tum quia charitate carent secundum quam opera viuorum continuatur defunctis, tum quia totaliter ad vitæ terminum peruenerunt, recipiētes vltimam pro meritis retributionem, sicut & sanctis qui inebriati ab vbertate domus dei immunes sunt ab omni indigentia, iuuari non competit per viuorum suffragia. Quia vt Augusti. inquit, Iniuria est in ecclesia pro martyre orare, cuius nō debemus precibus commendari. Et beatus Dionys. 7. cap. Eccles. hierarchiæ de damnatis inquit: Summus sacerdos, pro immundis non orat, quia in hoc auerteretur à diuino ordine.

2. ¶ Quanuis verò quæcunque bona ex charitate facta pro defunctis, eis valere credenda sint, tamen orationes ecclesiæ, & sacrificium altaris, & eleemosinę sunt præcipua mortuorū subsidia. Prosunt enim defunctis viuorum suffragia secūdum quod vniuntur inuicem charitate, & secundum quod intentio viuentis fertur in mortuos. Ad charitatem autē præcipuè pertinet sacramentum eucharistiæ, cum sit sacramentum ecclesiasticæ vnionis Christum continens, in quo tota ecclesia vnitur

vnitur & consolidatur. Eleemosyna quoq; inter effectus charitatis est opus præcipuum. Sed ex parte intentionis directè in mortuos præcipuè valet oratio, quæ secundum suam rationem directius respicit ad id pro quo oratur.

¶ Vnde nec ieiunium prodesse potest defunctis, nisi ratione charitatis, & intentionis in defunctos directè. Similiter nec candelæ, nec oleum, nisi inquātum sunt eleemosinæ, datę ad cultum dei vel in vsum ecclesiæ. Sed & baptismus cū sit quędam spiritualis regeneratio, illis duntaxat est vtilis ex opere operato qui regenerantur, id est, viuentibus. Quos Apostolus. 1. Corinth. 5. baptizati dicit pro mortuis, id est, peccatis mortalibus.

¶ An indulgentiæ quas facit ecclesia, etiam mortuis prosint. 2. An cultus exequiarum defuncto prosint. 3. An suffragia quæ fiunt pro defunctis tantundem valeant alijs, quantum illis pro quibus fiunt. Artic. 194.

CVm prælatus ecclesiæ ex causa cōuenienti indulgentias facit sub hac forma: Quicunq; fecerit hoc vel illud, ipse & pater eius vel quicunque alius ei adiūctus in purgatorio detentus, tantum de indulgētia habebit. Talis indulgentia non solum viuo, sed etiam mortuo prodest. Non est enim aliqua ratio quare ecclesia transferre possit communia sanctorum merita (quibus innituntur indulgētiæ) in viuos & non mortuos.

2. ¶ Sepultura humani corporis viuis quidem prodest, dum per hanc nec cadauerum putredine eorum oculi offendūtur, nec fœtoribus corpora inficiuntur. Insuper & in fide resurrectionis confirmantur, videntes corpora defunctorum non viliter abijci, sed piè & religiosè humari. Eadem verò defunctis prodest, nō quasi mortuis corporibus aliquis sensus insit, sed quia inspicientes monumenta, memoriam retinēt defunctorum, & pro ipsis orāt. Quæ si fiat in loco sacro magis prodest propter preces sancti cuius se patrocinio commisit, & etiam eorum qui loco sacro deseruiunt. Est etiam non inutile cultū aliquem, moderatum tamen ipsis exequijs adhibere, tum propter viuorum solatia, tum vt aspicientes ad compassionem, & per consequens ad orandum pro defuncto excitentur. Maxime vero curandum, vt ex his sumptibus vel pauperes fructum referant, vel ecclesiæ ornatus promoueatur, sic enim sepultura inter cæteras elemosynas computabitur.

3. ¶ Sicut in iustitia humana aliquis pro aliquo debitum solvens, cum tantum absoluit, nō quemlibet aliunde ita & in iustitia diuina (quæ est exēplar iustitiæ humanæ) suffragia quæ per intentionem viuentium alicui defuncto destinantur aut applicantur, ei solum, valent pro quo fiant quātum ad remissionem pœnæ, ad quam satisfactio (quæ per suffragia intenditur) proprie ordinatur: quamuis secundum quandam interiorem consolationem, etiam eis valere possint, qui fuerint magis charitate pleni: licet pro eis specialiter non fiant, quia charitas facit omnia bona communia.

¶ De oratione respectu sanctorum qui sunt in patria.
¶ An sancti orationes nostras agnoscant 2. An debeamus sanctos orare ad interpellandum pro nobis. 3. An orationes sanctorum ad deum pro nobis fusæ semper exaudiantur. Artic. 195.

AD perfectionem beatitudinis pertinet, vt homo habeat quicquid velit, nec aliquid inordinate velit. Ergo sancti cognoscunt intuitu diuinæ essentiæ (quæ est sufficiens medium ad cognoscēdum omnia) vota & deuotiones, & orationes hominum, qui ad eorū auxilium confugiunt: hoc enim ad eorum gloriam pertinēt, quia per hoc auxilium præstare possunt indigenibus ad salutem, cooperatores dei effect., quo nihil est diuinius, secūdum B. Dionys. 3. cap. cœlestis hierar. Et ideireo B. Gregor. 12. lib. Mora. super illud Iob. 14. Siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelliget: Hoc de animabus sanctis sentiendum non est, quia quæ omnipotentis dei virtutem & claritatem vident, nullo modo credēdum est, quod sit forte aliquid quod ignorent.

2. ¶ Pertinet etiam hoc ad complementū ordinis vniuersi, vt secundum beatum Dionysium. Vltima in deum reducantur per media. Vnde sicut mediantibus sanctorum suffragijs, det in nos beneficia deneniūt: ita oportet nos beneficia eius sumentes, mediāntibus sanctis, iterato in deum reduci. Quare non immerito eos intercessores pro nobis ad deum cōstituimus, & quasi mediatores dum ab eis petimus vt pro vobis orent. Sicut & beatus Paulus Romanorum decimoquinto, & plerisque alijs locis, etiam viuorum præces ac intercessiones (quas tamen constat beatorum orationibus efficaciores non esse) legitur postulasse.

3. ¶ San-

3. ¶ Sancti itaque orando pro nobis oratione expressā, secūdum quod votis suis aliquid nobis à deo postulant, semper exaudiuntur, eò quòd sic nihil volunt diuinæ voluntati contrarium. Cùm verò orant oratione interpretatiua, scilicet per eorum merita, quemadmodū & sanguis Christi dicitur pro nobis veniā petere: nō semper quod sic petunt impetrant, propter indignitatē nostrā, qui meritis sanctorū sumus indigni.

¶ De signis quæ iudicium precedent.
¶ An aduentum domini ad iudicium præcedant aliqua signa. 2. An circa iudicium secundum rei veritatem sol & luna obscurentur. 3. An virtutes cælorum domino veniente moueantur. Artic. 196.

ADuentum Christi ad iudicium venientis multa signa precedent, vt corda hominū ad subiectionem & reuetentiā venturi iudicis adducantur. Hoc enim pertinet ad dignitatem iudiciariæ potestatis, quā dūs in forma gloriosa exercebit. Quia verò secundū Apostolum, prima Thessal. 5. dies illa dñi sicut fur ita in nocte veniet. Quæ sint illa signa, determinate sciri non poterit, vt Augustinus dicit ad Ephium. Nam signa quæ in euāgelijs leguntur, frequēter à principio mundi facta sciuntur, nisi forte credamus tūc crebriora & maiora futura, quàm vnquam antea fuerint. Signa verò quę beatus Hieronymus recitat, ex annalibus sunt Hebræorum, parum veritatis habentia.

2. ¶ Credibile nō est, quod in ipso momento aduētus Christi sol & luna obscurentur sui luminis priuatione, tum quia tunc totus mundus innouabitur, tum quia secundum Esaiam capite trigesimo, lux lunæ erit tunc sicut lux solis: & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum. Poterit autē esse quod secundum tempus propinquum ante iudicium, obscurentur per diuinam virtutem, vel simul vel diuersis temporibus ad hominum terrorem.

3. ¶ Virtutum cœlestium nomine si intelligantur omnes angeli, tunc virtutes cœlorum moueri dicuntur in aduentu domini propter admirationem nouitatis, quæ tunc in mūdo existens, stupore quodam percellet omnes angelos. Potest & per virtutes çœlorū designari proprium nomen ordinis, cui B. Gregorius quidē attribuit miracula facere: quæ quidē tūc frequentiora erunt ab affectu, virtutes cœlorū moueri dicuntur. Si verò secundū beatum Dionysium, virtutū officium sit

S iij mone-

mouere cœlestia corpora, tunc virtutes cœlorum moueri dicuntur, quando cessante corporum cœlestium motu vlterius corpora non mouebunt. Vnde Iob decimosexto: Columnæ cœli (per quas non nisi virtutes cœlorum possunt intelligi) dicuntur stupere aduĕtum eius. Et Matthæi vigesimoquarto dicitur: Stellæ cadĕt de cœlo, & virtutes cœlorũ mouebũtur.

¶ An aliqua mundi purgatio sit futura. 2. An hæc purgatio sit futura per ignem eiusdem speciei cum igne elementari. 3. An ignis ille purgabit etiam cœlos superiores. 4. An ignis ille elementa consumet. Articulus 297.

QVanuis pure corporalia, vt sunt elemẽta & ea pars mũdi quæ in vsum nostrum cedit, subiectum culpæ esse non possint, tamen ex culpa in eis commissa ineptitudinem quandam ad gloriæ susceptionem recipiunt, sicut & loca sacra propter crimina in eis perpetrata, prophana & minus idonea fiunt ad cultum Dei ibi peragendum. Quę, quia propter hominem facta sunt necesse est vt homine ab omni corruptione & culpæ infectione per corpus glorificato, ipsa quoque in meliorem statum proportionabiliter mutentur & innouentur, secundum quod beatus Ioannes in Apocalypsi vidisse se perhibet cœlum nouum & terram nouam, ptiori cœlo & terra abeuntibus. Sic enim erit glorificati hominis, & locus conuenientior, & aspectus nobilior.

2. ¶Hæc autem purgatio, teste beato Augustino, vigesimo de Ciuitate dei, mundanorum, id est elementarium ignium cõflagratione futura est, sicut & diluuium mundanarum aquarum inundatione, tum quia lux connaturalis igni maxime conuenit cum proprietatibus gloriæ, ad quam purgatio ista disponit, tum quia ignis propter actiuitatem est cæteris elementis impermixtior, tum denique quod à nostra habitatione remotior, & ob id non tam cõmunis nostris vitiis, eiusque inficitur. Vnde secunda Petri vltimo dicitur, quod cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent.

3. ¶Quia verò cœli superiores non sunt peregrinę impressionis capaces, nec in eis aliquid reperitur, repugnãs vltimæ perfectioni vniuersi, nisi tantum motus localis, qui est via ad perfectionem: ideo nec per ignem, neque per alicuius creaturæ actionem purgabuntur, sed tantũ oportet motum eorũ sola diuina virtute quietari, quod eis loco purgationis erit.

4. ¶Ele-

4. ¶Elementa aliqua mutari ad formam cœli virtute ignis conflagrationis, secundum philosophiam quidem absurdum est, cum nec materiam communem, nec contrarietatem adinuicem habeant: secundum Theologiam vero, quia sublatis aliquibus elementis non saluabitur perfectio vniuersi cũ integritate suarum partium. Qualitates ergo actiuæ & passiuæ, elementorum propriæ passiones, & effectus formarum substantialium ab elementis auferri non possunt. Purgabuntur tamen ab infectione quam ex peccato hominum contraxerunt, & ab impuritate quę per actionem & passionẽ mutuam in eis accidit, quia iã cessante motu primi mobilis, in elementis inferioribus mutua actio, & passio non erit.

¶ An omnia elementa per ignem purgabuntur? 2. An ignis vltimæ conflagrationis iudicium sequatur? 3. An ignis ille habebit talem effectum in hominibus qualis designatur. 4. An ignis ille reprobos inuoluet. Artic. 298.

CVm tota sphæra ignis neque per fumum idololatriæ, neque per quoscunq; vapores peccati infectione vitiata sit, neque per impuritates aliorum elementorũ (quorum permixtio vltra medium aĕris interstitium non extenditur) contaminata cõsequens est elemẽtum ignis per vltimam cõflagrationem non purgari, sicut & beatus Petrus, secunda Petri tertio, illos tantum cœlos repositos igni dicit, qui per aquam diluuij purgati fuerunt, quę vltra quindecim cubitos supra altitudinem montium non eleuabarum.

2. ¶Quia verò simul erit resurrectio communis, & sanctorum corporum glorificatio, secũdum quod dicitur prima Corinthiorum duodecimo. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: manifeste colligi potest, quod illa cõflagratio, quo ad purgationem mundi, iudicium præcedet, vt sic tota creatura suo modo simul renouetur, quando corpora sanctorum glorificabuntur, sicut ad Rom. 8. dicitur, quod ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum dei. Licet quo ad inuolutionem malorum, sententiam iudicis sit sequutura, quando dicitur: Ite maledicti in ignem æternũ.

3. ¶Ignis quoq; finalis conflagrationis, quantũ ad virtutem suæ naturæ pertinet, similiter aget in bonos & malos (qui tũc viui reperientur) vtrorumq; corpora in cinerẽ resoluendo. Solus enim Christus (secundũ scripturas) ab hac incineratione est præseruatus, de quo dicitur in Psal. Nõ dabis sanctum

tuũ videre corruptionem. Inquantum verò agit vt instrumẽ tum diuinæ iustitiæ, sic mali per actionẽ ignis cruciabuntur. Boni verò in quibus nihil purgandũ inuenietur, omnino nullũ dolorẽ ex igne sentiẽt, sicut nec pueri in camino ignis. Danielis tertio. Boni verò in quibus aliquid purgãdum reperietur, sentient cruciatum doloris ex illo igne, subitaneũ tamẽ, tum quia paura in eis purganda inuenientur, propter terrores & persecutiones quas patienter pertulerunt, tũ quia brevitas temporis, intensione caloris pensabitur, quæ tamen pro meritorum diuersitate, non omnibus æqualis erit.

4. ¶ Sicut igitur post diem iudicij purgatio quędam erit, qua mali separentur à bonis, secundum quod de Christo dicitur Lucæ 3. Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suã, & cõgregabit triticum suũ, id est, electos in horreum: paleas autẽ, id est, reprobos cõburet igne inextinguibili: ita & tunc purgatio quædam totius mundi futura est, vt quicquid fuerit turpe & fœdum, in infernum cum reprobis ad augmẽtum miseriæ remittatur eos inuoluendo, quicquid verò pulchrum & nobile, conseruetur in superioribus ad cumulũ gloriæ electorũ. Sicut dicit Basilius super illud psal. Vox domini intercedẽtis flammã ignis. Et in psalmo de illo igne dicitur, quod inflammabit in circuitu inimicos eius. Idẽ verò ignis prout purgabit bonos, & cruciabit malos duo ignes dicuntur quodãmodo, & quantum ad officium, & etiam aliquo modo ad substãtiam. Quia quo ad calidum vstiuum, & quãtum ad id quod in igne grossum reperietur, descender ad inferos ad pœnam damnatorum. Quod verò est ibi sensibile & lucidũ, remanebit superius ad gloriam electorum.

¶ *An corporum resurrectio sit futura* 2. *An resurrectio erit omnium generaliter.* 3. *An resurrectio sit naturalis.* *Articulus* 199.

VLtimus finis quem naturaliter omnes homines desiderant est beatitudo. Quam quidem in hac vita haberi non posse, ostendit beatus Augustinus in fine de ciuitate dei, ex fortunæ varietate, humani corporis infirmitate, scientiæ & virtutis imperfectione & instabilitate. Similiter nec in anima sola post hanc vitã consistere potest absoluta hominis beatitudo: tum quia operatio, pro qua datur merces beatitudinis, nõ solius est animæ, sed hominis ex anima & corpore cõpositi: tum quia animæ status extra corpus, & imperfectus est, & desiderium eius naturale non impletũ. Nõ enim vnitur anima corpori vt instrumẽto, aut sicut nauta naui, vel sicut malum bono, sed sicut forma materiæ, vt ostẽdit Philosophus in libro de anima. Si itaq; homo neq; in hac vita, neq; in anima sola potest esse beatus, necesse est ponere resurrectionẽ. Et hoc B. Iob fideliter professus est: Scio inquiẽs, quod redẽptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circũdabor pelle mea, &c.

2. ¶ Necesse est sicut vnũ, ita & omnes homines resurgere. Anima enim in perfectione vltima speciei humanæ esse non potest à corpore separata, nec quoad præmium vel pœnam, nec quoad desiderium omnibus hominibus secundum speciem naturale. Et ob id dictum est Ioã. 5. Omnes qui in monumentis sunt audient vocẽ filij dei, & qui audierint viuent. Et 1. Corinth 15. Omnes quidem resurgemus, &c.

3. ¶ Omnis operatio cuius natura nec principium est, nec terminus, est vel miraculosa, sicut glorificatio corporis: vel violenta, sicut impulsio lapidis sursum. Cuius verò operationis natura & principium est & terminus, ea dicitur proprie naturalis, vt est projectio lapidis deorsum. Operatio autem, cuius terminus est natura, sed principium est vel supra naturam sicut illuminatio cæci, vel aliquid aliud sicut in accelerationẽ florum & fructuũ per artificium facta, nõ potest simpliciter dici naturalis, sed vel miraculosa, vel artificialis, vel violenta. Quanuis itaque resurrectio terminetur ad vitam naturæ, tamen quia natura eius principium esse non potest, neq; passiuum, hoc enim ad generationem naturalem pertinet, semper habens aliquã potentiam actiuã respondentem sibi in natura, vt habetur 11. Meta. neque etiam principium actiuum, cum illius sit determinato modo per viam generationis ex semine ad productionem hominis agere: consequens est resurrectionem simpliciter loquendo miraculosam esse, & non naturalem, nisi secundum quid.

¶ *An Christi resurrectio sit causa nostræ resurrectionis.* 2. *An vox tubæ sit causa nostræ resurrectionis.* 3. *An ad resurrectionem nostram angeli aliquo modo operentur.* *Artic.* 200.

CHristus, inquantum deus & homo resurgens, est causa proxima, & quasi vniuoca nostræ resurrectionis. Quia eodem principio mediante, quo Christus seipsum ad vitã resuscitauit .i. diuina sua virtute nostrã quoque faciet resurrectionem, sicut dicitur Roma. 8. Qui suscitauit

scitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra. Et quia ad rationem causæ vniuocæ requiritur, vt producat effectum in similitudine suæ formæ, habebit etiam resurrectio omnium hominum aliquid similitudinis cū resurrectione Christi, pro quanto in vita naturæ, in qua omnes erunt Christo conformes, in vitam immortalem omnes homines resurgent. Cui cōformitati superaddetur in sanctis, qui fuerunt Christo conformes per gratiā, conformitas quoque quantum ad ea quæ sunt gloriæ. Quare & conuenienter dicitur. 1. Cor. 15. Christus primitiæ dormientium. Et Apocalypsis 1. Primogenitus mortuorum.

2. ¶ Christus resurgens est causa vniuoca nostræ resurrectionis, idcirco oportet quod in resurrectione corporum omnium aliquo signo dato Christus resurgens operetur. Oportet enim causam & effectum aliquo modo coniungi, vt patet. Quod quidem signum erit vel vox Christi resurrectionem imperantis, sicut imperauit mari, & cessauit tempestas, Matth. 8. Vel ipsa repræsentatio euidens filij dei in mundo. Quia vox dicitur, quia Christo apparenti tota natura obedier ad reparationem corporum humanorum sicut imperauit, venit & in iussu venire dicitur. 1. Thessalo. 4. Dicitur & clamor qui si præconis ad iudicium citantis. Et sonus tubæ, quia resurgentes congregabuntur ad concilium, ad prælium, ad festum, qui fuit vsus tubæ in veteri testamento.

3. ¶ Quantum ad collectionem cinerum & eorum præparationem ad humani corporis reparationē spectat, deus vtetur in resurrectione ministerio angelorum. Nam secundū beatum Gregorium 4. dialogorum, in omnibus quæ à deo fiunt corporaliter, vtetur deus ministerio angelorum. Et secundū beatum Augustinum sicut corpora inferiora per potentiorem ordine quodā reguntur, ita omnino corpora reguntur à deo per spiritū animæ rationalem. Et ad hoc valet quod 1. Thessal. 4. dicitur, quod dominus in voce archangeli descendet de celo, & mortui qui in Christo sunt resurgent, &c. Vnionem verò animæ ad corpus & gloriam corporis ipse deus faciet sine ministerio angelorum, qui solus animam immediate creat & glotificat.

¶ *An tempus resurrectionis differri oporteat vsque ad finem mundi.* 2. *An tempus illud sit occultum.* 3. *An resurrectio erit nostis temporibus.* 4. *An resurrectio subito fiat, an successiue. Artic.* 201.

ETsi probabile videatur secundum b. Hiero. ad testificandum Christi resurrectionem, quorundā sanctorū corpora cum Christo verè resurrexisse ad immortalē vitam: tamen quia esset contra ordinem, quem diuina prouidentia statuit rebus, si citra priuilegium gratiæ speciale materia inferiorum corporum ad statum incorruptionis perduceretur, manēte motu corporum superiorum. Ideo humanorum corporum resurrectio differri credenda est vsq; ad finem mundi, cum motu cæli quiescente, electi omnes (quos Apoc. martyrum nomine expressit) mille annis, id est, infinito tempore cum Christo simul sunt regnaturi. Et propterea Iob 9. dicitur: Homo cum dormierit non resurget, donec atteratur cœlū, nec euigilabit vt consurgat à somno suo. Et loquitur de somno mortis. Et ad Heb. 12. dicitur, homines dei testimonio fidei probatos non accepisse repromissionē, id est plenam corporis & animæ beatitudinem, deo aliquid melius pro nobis prouidente, ne sine nobis consummarētur, id est perficerentur.

2. ¶ Cum igitur simul erit resurrectio & finis motus cœli, tempus quod erit vsque ad resurrectionem enumerari non poterit naturali ratione. Ex motu enim accipitur numerus omnium quę determinato tempore per naturalem rationem futura præuidentur. Ex motu autem cœli nō potest cognosci finis eius, quia ex eo quod circularis est, habet secundum naturam suam quod in perpetuum possit durare. Similiter nec per reuelationem haberi potest, tum vt omnes solliciti sint, & parati ad Christo occurrendum, tum quia nec angeli (quibus mediantibus reuelationes fiunt hominibus secundum B. Dionys. 5. cap. Eccles. hierarchiæ) determinate sciunt tempus prædictum, Matth. 24. De die illa & hora nemo scit, neque angeli in cœlis. Sed nec Apostoli plenitudinem spiritus habentes, vt patet Acto. 1.

3. ¶ Satis tamen probabiliter à quibusdā dicitur resurrectionem fore in crepusculo sole existente in oriēte & luna in occidente: tum propter occultationem, quātum ad determinationem temporis, tum quia in tali dispositione sol & luna creduntur esse creata, vt sic eorum circulatio cōpleatur penitus per reditum ad idem punctum, vnde & de Christo dicitur, quod tali hora resurrexit.

4. ¶ Quæ in resurrectione fient ministerio angelorum, & si

no-

non fient in indiuisibili temporis: fient tamẽ tempore imperceptibili propter facultatem operandi, quæ cõpetit angelis. Quod autem fiet mediante virtute diuina, quę infinita est, in instanti fiet & subito. Et hoc Paulus testatur. 1. Cor. 15. Omnes inquiens resurgemus in momento & in ictu oculi.

¶ *An mors sit terminus a quo resurrectionis. 2. An omnium resurrectio erit à cineribus. 3. An pulueres illi ex quibus corpus humanum reparabitur, aliquam inclinationem naturalem habeant ad animam quæ eis coniungetur. Artic. 202.*

VErior opinio est, quod omnes homines moriãtur, & à morte resurgãt. Primo quia iustitia diuina omnes morte dãnauit, qui ex Adã gignuntur naturaliter. Secundo, quia scriptura sacra omnium futuram resurrectionem prædixit: quæ propria non est nisi eius quod per mortem cecidit, secundum Damasc. Tertio, quia secundum ordinẽ naturæ quod corruptũ & vitiatum est quousq; modi est natura humana) in nouitatem nõ reducitur, nisi corruptione mediante. Et quia vita quã hic viuimus, gubernatur ex influentia motus cœli, ideo oportet ex hac vita discedere eos, qui motu cœli quiescente sunt victuri, quemadmodum 1. Cor. 15. dicitur: Quod seminas nõ viuificatur, nisi prius moriatur. Et loquitur sub similitudine seminis de resurrectione corporum. Item ibidem clarius: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur.

2. ¶ Quãuis non omniũ hominum corpora cõburantur, tamen in cõmuni resurrectione omnes resurgent à cineribus, nisi ex speciali priuilegio gratiæ aliquibus indultum sit contrarium, sicut & resurrectionis acceleratio. Cineres enim intelliguntur omnes reliquię, quæ remanent humano corpore resoluto, tum propter antiquos, qui mortuorum corpora cõburebant, & cineres reseruabant, tum propter causam resolutionis, quę est incendium fomitis, ad cuius purgationẽ oportet corpus humanũ vsq; ad prima cõponentia resolui. Quod autem per incendium resoluitur, dicitur in cineres resolui. Ad quod vlterius astruendum valent rationes, quibus iam probatum est omnes à morte resurrecturos.

3. ¶ In illis aũt cineribus nulla est inclinatio naturalis ad resurrectionẽ, quia sunt vel carnes animaliũ, vel partes elementorum, aut cuiuslibet alterius corporis homogenij, quorum non est naturalis inclinatio magis ad hanc quàm ad illam animam.

Est ergo solum ex ordine diuinæ prouidentię, quod hi cineres, & illæ elementorum partes magis huic animę cõiunguntur quàm illi. Posse autem humanum corpus in elementa resolui, patet: quia composita ex contrarijs possibile est resolui in ea ex quibus componuntur.

¶ *An anima idem corpus numero resumat in resurrectione 2. An oporteat pulueres humani corporis ad eandem partem corporis, quæ cum eis dissoluta est, per resurrectionem redire. Art. 203.*

NIsi anima ad idem corpus numero redeat quod per mortem deposuit, nõ erit vera resurrectio. Est enim secundum Damasce. resurrectio eius quod cecidit, secunda surrectio. Sed hoc corpus quod nunc geri mus per mortem cecidit, ergo idem numero corpus resurget. Et per consequens idem numero homo. Hæresis proinde est, animas iterato coniungi corporibus cœlestibus, vel corporibus in modum venti subtilibus. Neque secundũ philosophiam sustineri potest opinio, pouentium animas separatas per viam generationis naturalis migrare vel in corpora brutorum animalium, puta, canum, leonũ, aut quorumlibet aliorum, quorum se moribus conformasset homo in hac vita, vel etiam in alterius hominis corpus, vt patet per Philosophum in lib. de anima.

2. ¶ In humano corpore possunt accipi diuersæ partes dupliciter. Vno modo diuersæ partes totius homogenei. Alio modo diuersæ partes totius heterogenei. Licet itaque magis probabile sit secundum congruentiam, quod etiam idẽ situs partium humani corporis seruabitur in resurrectione, tamen quia partium situ variato nullũ præiudicium generatur identitati totius, posset materia vnius partis totius homogenei redire ad aliam partem eiusdem speciei, salua identitate totius hominis. Materia verò tota vnius partis essentialis, & quæ erat de veritate humanæ naturæ, non posset redire in aliam partem totius heterogenei, id est alterius speciei, quia sic non tantum situs sed etiam identitas partium tolleretur, qua ablata, aufertur & identitas totius.

¶ *An omnia membra humani corporis resurgant. 2. An capilli & ungues resurgant. 3. An homines resurgant. 4. An totum quod fuit in humano corpore de veritate humanæ naturæ, resurget in ipso. Artic. 204.*

Oportet

Universidad de Deusto
Biblioteca

OPortet hominem perfectũ resurgere, vtpote à deo (cuius perfecta sunt opera) suscitandum, & qui ad consequendam vltimam perfectionem ordinati. Sed homo perfectus esse nõ potest, nisi torũ quod in anima cõtinetur implicite, exterius in corpore explicetur. Continet autem anima totum corpus, & omnia membra etiam vt causa efficiens. 2. de anima, & 3. de animalibus. Ergo necesse est omnia mẽbra, quæ nunc sunt in humano corpore in resurrectione reparari. Si enim aliquod membrorum corpori defuerit, non respondebit corpus animæ ad plenũ proportionaliter, quod tamen oportet non minus, quàm ad perfectionem artificiati requiritur, vt suæ arti respondeat.

2. ¶ In partibus corporis animati quædam ordinantur ad operationes animæ exequendas, vt sunt cor, epar, manus & pes: quædam autem & ad ornatum & ad custodiam aliarum partium, sicut sunt capilli & vngues. Cùm ergo homo resurget in omni perfectione suæ naturæ, oportet & pilos & vngues in ipso resurgere. Vnde Christus Lucæ 21. Capillus (inquit) de capite vestro non peribit.

3. ¶ Humiditas illa quæ habet aliquam formam determinatam contentam inter partes corporis humani, sicut sanguis & alij tres humores, quos natura ordinat ad membra quę ex eis generantur, sed tamen habẽt aliquas formas determinatas simul resurgent cum alijs partibus corporis. Pertinent enim ad perfectionem huius individui resurgentis nõ minus quam reliqua membra. Similiter humiditas illa quę ipsum perueniet ad vltimam perfectionem, quam natura intẽdit in corpore individui, quæ iam est dealbata & incorporata membris, & vocatur glutem, cum sit de substantia membrorum, resurget sicut & alia membra. Reliqui verò humores, qui secundum se ad perfectionem individui non spectant, non resurgent cuiusmodi sunt, vrina, sudor, sanguis, semen, lac, & quicunq; humores sunt in via transeundi de forma humoris in formam membri vt sunt illi quos Physici vocant ros & cambiũ. Quod ergo Apo. dicit 1. Cor. 4. Caro & sanguis regnum dei nõ possidebunt, de corruptione carnis & sanguinis dictum est secundum B. Augustinum in epistola ad Consentium.

4. ¶ Sicut autem in humano corpore natura, forma, & species singularium partium eius manent continuæ per totam vitã, sed materia partium, & resoluitur per actionem caloris naturæ

naturalis, & de nouo ad generatur per alimentum: non est tamen alius homo numero secundum diuersas partes & ætates, quanuis non quicquid est materialiter in homine secundum vnum statum, sit in eo secundum alium statum: ita ad hoc quod resurgat homo idem numero, non requiritur quod quicquid fuit in eo materialiter secundum totum tempus vitæ suæ resumatur, sed tantum ex eo quantum sufficit ad complementum debitæ quantitatis. Et præcipue illud resumendũ videtur, quod perfectius fuit sub forma & specie humanitatis existens.

¶ *An omnes resurgent in eadem ætate, scilicet iuuenili. 2. An omnes resurgent eiusdem staturæ. 3. An omnes resurgent in sexu virili. 4. An omnes resurgent in vita animali. Articulus 205.*

STatus vltimæ perfectionis humanę naturæ est ætas iuuenilis quia ad hunc terminatur motus augmenti, & incipit motus decrementi. Cùm ergo homo in maxima perfectione resurgat, omnes in illa ætate resurgẽt, tam pueri in quibus natura humana ad vltimam perfectionẽ nondum peruenit, quam senes in quibus iam ab vltima perfectione recessit. Quod testatur Paulus Ephes. 4. Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, Christus autem in ætate iuuenili resurrexit, quia secundum B. August. incipit circa annum 30. qua ætate Christus passus est & resurrexit.

2. ¶ In resurrectione, qua tota humana natura reparabitur, non solum attendendum quod competit naturæ speciei, sed etiam quod competit naturæ individui. Competit autem naturæ individui, vt aliquem gradum quantitatis assequatur secundum proportionabilitatem colotis extendentis & humidi extensibilis. Quæ quia non sunt eiusdem virtutis in omnibus, ideo non omnes resurgent in eadem quantitate, sed quilibet resurget in illa quantitate ad quam fuisset perductus in termino augmenti per virtutem naturæ suæ propriæ, si ea nõ errasset aut defecisset. Nam licet natura speciei humanæ quãtitatem habeat, quà nec excedat nec ab ea deficiat, ea tamen non est accipienda secundum vnam mensuram determinatam, sed habet aliquos gradus latitudinis.

3. ¶ Cum per resurrectionem sint reparandi defectus naturæ idcirco nihil eorum quę ad perfectionem naturę pertinẽt, à corporibus resurgentium auferetur. Sicut autem alia mem

bra ad integritatem humani corporis pertinent, ita & ea quæ generationi deseruiũt, tam in maribus quàm in fœminis. Resurgent ergo ea membra in vtrisque. Deerit autem confusio mutuæ visionis, quia aberit libido incitans ad turpes actus ex quibus confusio causatur.

4. ¶ Vita animalis ordinatur per generationẽ ad subueniendum defectui, qui per mortem accidit ad multiplicationẽ humani generis, & per comestionem ad restaurationem deperditi, & ad augmentum quãtitatis. Sed in statu resurrectionis totum genus humanum habebit totam multitudinem individuorum à deo præfinitam, quia vsque ad resurrectio differtur. Similiter etiam quilibet homo resurget in debita quantitate, nec erit vltrà mors aut aliqua deperditio fiet à parte hominis. Non erit ergo ibi actus generatiuæ & nutritiuæ virtutis. Et ob id Matth. 22. dicitur quod in resurrectione neq; nubent neque nubentur.

¶ An sanctorum corpora post resurrectionem futura sint impassibilia? 2. An impassibilitas erit æqualis omnibus. 3. An impassibilitas sensuum in actu à corporibus gloriosis excludat. 4. An sint ibi omnes sensus in actu. Articulus 206.

PRoprie accipiendo passionem prout est secundum Damasc. motus præter naturam, non erit in corporibus sanctorum potentialitas ad passionem, sed erunt penitus impassibilia. Cuius ista est ratio: Omnis passio fit per victoriam agentis super patiens, nam aliàs agens nõ assimilaret sibi patiens. Corpus autem humanum & quicquid in eo est elementarium qualitatum, erit perfecte subiectum animæ rationali. Cum ergo impossibile sit quod aliquid dominetur super patiens, nisi inquantum debilitatur dominium formæ propriæ supta materiam patientis, non enim materia subijceretur vni contrariorum sine hoc, quod tollatur dominiũ alterius super ipsam vel saltem diminuatur. Propterea nõ potest in corporibus sanctorum post resurrectionem vlla actio vel passio prouenire à qualitatibus elementaribus, qua sic cõtra dispositionem animæ, quã intendit corpus conseruare. Et ergo rectè à B. Pau. de corpore gloriosum dictum est, 1. Corinth. 14. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Non est itaque opinandum qualitates actiuas & passiuas quæ sunt elementorum propriæ passiones, aut earundem actiones auferri à corpore glorioso; harum enim actio ad mixtionem requiritur, & secundum prædominium vnius vel alterius efficiuntur diuersæ complexiones, quas oportet ponere in corpore resurgentis, quia ibi erunt carnes & ossa & huiusmodi partes, quibus omnibus non competit vna complexio.

2. ¶ Impassibilitas si consideretur secundum suam causam, qui est dominium animæ, super corpus causatũ ex hoc quod anima fruitur deo immobiliter, sic erit in vno maior quàm in alio. Est enim in illo qui perfectius fruitur, maior impassibilitatis causa. Si verò consideretur secundum se, quia sic solam negationem vel priuationem importat, sic nõ suscipit magis & minus, sed erit omnibus æqualis.

3. ¶ Sensum aliquem esse in corporibus sanctorum omnes ponunt, aliàs enim corporalis vita somno magis comparatur quàm vigiliæ, quod nõ competit illi perfectioni eo quod in somno corpus sensibile non est in vltimo vitæ actu: propter quod somnus vitæ dimidium dicitur primo Ethicorum. Sed quia in resurrectione natura speciei manebat eadem in homine & omnibus partibus eius, sancti tunc sentient nõ tamen extra mittendo, sed per receptionem alicuius speciei sensibilis administratæ à rebus quæ sunt extra animã. Est enim natura sensus vt sit potentia passiua, vt in 2. de anima probat Philo. De cuius ratione est recipere proprium actiuum, quæ sit res existens extra animam. Si enim organum sentiendi nõ moueatur à rebus, sed vel ab imaginatione, vel alijs viribus superioribus, aut ipse sensus extramittatur, nõ erit verum sentire sed apparens, sicut patet in phreticis & mente captis. Hoc tamen verum est quod corpus glorioſum non recipit qualitatem rei sensibilis per immutationem naturalem organi, sicut manus sit calida ex contactu rei calidæ, quia huiusmodi receptio non parit sensum per se, vt patet inanimatis, & immutat naturam patientis, quod corpori glorioso & impassibili non conuenit. Sed recipitur qualitas sensibilis in organis sensuum beatorum immutatione spirituali: sicut pupilla recipit speciem albedinis, & tamen illa non efficitur alba, secundum quod Philosophus dicit 2. de anima, quod sensus est susceptiuus specierum siue materia. Erit ergo sensus beatorum in actu, sicut etiam in Apocalypsi dicitur. Videbit eum omnis oculus.

4. ¶ Excepto gustu (qui nutritiuæ deseruit, cuius actus, in beatitudine non erit, nisi forte per immutationem linguæ ab ali-

Universidad de Deusto
Biblioteca

qua humiditate) erunt omnes sensus beatorum in actu. Olfactus quidem, quia ecclesia canit quod odor suauissimus erũt corpora sanctorum, nam licet euaporatio (quæ in quadam resolutione consistit) requiratur ad hoc, quod odor in corporibus humiditate aspersus percipiatur, tamẽ quia in corporibus gloriosis erit odor in sua vltima perfectione nulla humiditate aspersus, ideirco pertingit ad instrumentum sentiendi spirituali immutatione absque aliqua euaporatione pertingente ad organum sensus. Similiter erit vbi auditus, non quidẽ propter disciplinam, qua scientiam acquirant, sed propter perfectionem sensus & delectationem. Vnde super illud Psal. Exultationes dei in gutture eorum, dicit Augustinus quod corda & linguæ non deficient laudare deum. De sensu tactus dubiũ non est cum sit fundamentum omnium sensuum, sicut nec de visu cuius tunc actus acutissimus erit, tum propter perspicuitatem medij, id est, aëris, tum propter excellẽtiam diaphoneitatis in pupilla.

¶ An subtilitas sit proprietas corporis glorioſi. 2. An quæcunque duo corpora, siue gloriosa, siue non gloriosa possint esse simul in eodem loco nisi per solam virtutem diuinam & miraculum. 3. An ex sua subtilitate remoueatur à corpore glorioso necessitas euisplendi in æquali loco. 4. An corpus gloriosum ratione suæ subtilitatis sit ima palpabile. Articulus 207.

NOmen subtilitatis secundum Philoso. 2. de generatione à virtute penetrandi est dictum. Inter corpora verò illis præcipuè accommodatur quæ habent paruam quantitatem & paruam materiam. A quibus translatum est ad illa corpora, quæ perfectissimo modo suis formis subsistant. Quemadmodum dicimus subtilitatẽ esse in sole, luna, auro & huiusmodi quæ perfectissimè cõplentur in esse & virtute suæ speciei. Deinde transfertur etiam ad res incorporeas quantitate & materia carentes sicut ad intellectum, quem subtilem dicimus, dum pertingit ad inspiciẽda intrinseca principia rerum & proprietates naturales latẽtes. Item ad sensum, visus enim subtilis dicitur, qui ad aliquod minimum videndum possit pertingere. Quod itaque Apost. dicit corpus surrecturum spirituale, non sic intelligẽdum est (vt quidam hæretici putauerunt) quod per resurrectionẽ vertendum sit omnino in spiritum: sic enim non resurgeret idem homo,

homo, qui ex anima & corpore constat naturaliter. Neque etiam sic est intelligendũ quod corpus quidem manebit sed habebit subtilitatem secundum modũ ratefactionis, ita quod erit aëreum ac vento simile. Quam B. Greg. 23. Moraliũ narrat quorundam fuisse hæresim. Hoc enim esse non potest, quia corpus resurgens erit palpabile, sicut & corpus Christi post resurrectionem, vtpote constans ex carnibus & ossibus, Luc. vlt. Et Iob 19. dicitur. In carne mea videbo deũ. Corpus verò aëreum non esset palpabile. Quod autem quidam asserunt corpora fore subtilia propter admixtionem quinti corporis, id est, cœlestis, apparentiam nõ habet, quia corpus cœleste non admisceretur elementis, ex quibus constat corpus humanum, quia non communicant in materia. Illa ergo cõplexio ex qua corpora gloriosa spiritualia futura sunt, id est, subtilia, erit ex dominio animæ glorificatæ super ipsum corpus, vt sic corpus gloriosum spirituale dicatur, quasi omnino subiectum spiritui. Vnde Grego. 14. Mora. Corpus gloriosum dicitur subtile per effectum spiritualis potentiæ.

1. ¶ Impossibile est quæcunque duo corpora esse simul in eodem loco nisi per solam diuinam virtutem & miraculum. Pro cuius euidentia primum excludere oportet opinionem dicentium, sublata per dotem subtilitatis corpulentia, corpus gloriosum nec locum implere, & per consequens nec impedire coexistentiam sui cum quouis alio corpore in eodem loco. Hoc enim stare non potest. Primo quia cum secundũ Philosophum quarto Physicorum vacuum sit locus non repletus corpore sensibili. Corpus autem gloriosum sit corpus sensibile, vt puta palpabile (vt patet Lucæ vlt.) & in nullo diminutũ, quod ad integritatem corporis pertinet, vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ, vel ex parte naturalium accidentium: insania videtur dicere, quod locus vbi esset corpus gloriosum, esset vacuus, id est, non repletus corpore. Corpulẽtiam verò quados subtilitatis auferat cum sit inordinatio quædam materiæ non perfecte subsistentis suæ formæ, & obiid ad defectũ naturæ pertinens: sicut adhærens corpori nihil facit ad hoc quod est replere locum: ita ipsa sublata nihilominus est corpus gloriosum repletiuum loci, hoc habet per illud quod est de integritate suæ naturæ, & non ex aliquo defectu naturæ. Secundo concesso quod corpus gloriosum non repleat locũ, ex hoc tamen male infertur quod propterea non impediat

Universidad de Deusto
Biblioteca

coexistentiam sui cum alio corpore in eodem loco. Cum secundum Philosophum, quarto Physicorũ, & tertio Metaph. si ponantur dimensiones separatæ sine materia, illæ quidẽ non replebunt locum: sed tamen non poterunt esse simul cũ alio corpore in eodem loco. Sicut corpus mathematicum (quod nihil aliud est quàm dimensiones separatæ) non potest simul esse cum alio corpore naturali sensibili. Quo errore excluso, dicendum est quod qua ratione corpus nostrum nunc prohibetur esse simul cum alio corpore in eodem loco, eadem ratione, nec duo corpora gloriosa nec vnũ corpus glorioſum, & aliud non glorioſum posse esse simul in eodem loco. Hæc autem ratio est sola quantitas dimensiua, secundum suam diffinitionem situm requirens per quam & materia & forma, & quicquid est sensibilium qualitatum, situm habet. Nihil enim potest prohibere corpus aliquod, ne sit simul situatum cũ alio corpore in eodem loco, nisi hoc quid in eo requirit diuersum situm. Nam nihil est, impeditiuum identitatis, nisi quod est causa diuersitatis. Quantitas autem dimensiua remoueri non poterit corpore glorioſo per dotem subtilitatis. Manente itaque causa manet & effectus, &c. Et hinc est quod dicit Boẽtius libro de trinitate: quod duobus corporibus vnũ locum fingere non possumus, vt hanc saltem accidentium varietatem, distinctio individuorum requirat. Quia verò causa prima potest conseruare rem in esse, cessantibus causis secundis, vt patet per primam propositionem libri de causis, ideo diuina virtute & ea sola fieri potest, quod corpori remaneat esse distinctum ab alio corpore, quamuis eius materia non sit distincta in situ à materia alterius corporis. Et sic miraculose fieri potest, quod duo corpora sint in eodem loco. Vnde & beata virgo peperit filium miraculose corpore pueri exeunte, claustro pudoris integro remanente: sicut & Christus clausis ianuis ad discipulos intrauit, Ioan. 20. Credendum tamen est duo glorioſa corpora nũquam simul fore in eodem loco, tum quia seruabitur in eis debitus ordo qui distinctionem requirit, tum quia vnum corpus glorioſum nunquam opponet se alteri.

3. ¶ Sed ne per miraculum quidem fieri potest, vt corpus glorioſum sit in minori loco quã sit sua quantitas. Hoc enim fieret, vel per variationem quantitatis circa eandem materiã, vt scilicet materia quæ nunc subest magnæ quantitati postea subsit

subsit paruæ, aut quod quantitas corporis glorioſi efficiatur minor seipsa per variationem situs, ita scilicet quod partes glorioſi corporis subintrent sese inuicem, & sic redeat ad quantũcunque paruam quantitatem. Porro primum repugnat incorruptibilitati, cum nullus motus qui fit secundum aliquid intrinsecum rei, fieri possit sine passione abiciente à substantia. Sequeretur etiam corpus glorioſum quandoque esse rarius, quandoque densius, quod superius est improbatum. Secundum verò esse non potest, quia repugnat rectæ dispositio humani corporis, quæ requirit determinatum situm & distantiam partium.

4. ¶ Palpabile dicitur aliquod corpus ex duobus, scilicet ex qualitatibus tangibilibus, & ex hoc quod resistit tangenti, vt non transeatur. Corpus ergo glorioſum à natura quidem sua habet qualitates quæ sunt natæ immutare tactum, tamẽ sicut tale corpus est omnino subiectum spiritui, habens in sua potestate, vt secundum eas immutet tactum, vel non immutet, ita & miraculose diuina virtute contingere potest ad nutum ipsius quod sit cum alio corpore in eodem loco, & sic non resistet ei transeunti. Vnde secundum naturam suam palpabile est corpus glorioſum, sed ex virtute supernaturali ei copetit, vt cum non vult, non palpetur à corpore non glorioſo. Patet hoc in corpore Christi glorioſo post resurrectionem, quod cum voluit palpandum præbuit; cum rursus vellet, cessit & euanuit.

¶ *An corpora glorioſa sint futura agilia 2. An sanctis agilitate sua vtuntur vt moueantur. 3. An moueantur in instanti. Ar. 108.*

POst resurrectionem anima beata perfectè damnabitur corpori, tum propter perfectionem virtutis, tum propter habilitationem corporis glorioſi ex redundantia gloriæ ab anima in ipsum: in tantum, vt non solum in ipso nihil sit quod resistat volũtati spiritus, quia hoc etiam fuit in corpore Adæ: sed & etiam sub eadem figura & quantitate expeditum sit & habile ad obediendum spiritui sine vllo labore in omnibus motibus & actionibus animæ, etiam in his quæ ad sensum pertinent. Qua ratione à B. Paulo dictum videtur, 1. Corin. 15. de corpore glorioſo: Seminatur in infirmitate, surget in virtute. glo. 1. mobile & viuum. Et hæc quidẽ perfectio dos glorificati corporis dicitur, non quasi in corpore sit propter dominium quintæ essentiæ (quam cõstat

Universidad de Deusto
Biblioteca

humano corpori non posse admisceri) sed animæ tribuitur, à qua sicut & gloria in corpus emanat. Siquidē corpus per dotem subtilitatis subijcitur animæ totaliter, inquantum est forma corporis, dans ei esse specificum, & per dotem agilitatis subijcitur ei, inquantum est motor. Ad cuius indigentiam aut imperfectionem non spectat, quod post resurrectionem corpora gloriosa deferantur in nubibus obuiam Christo in aëra ab angelis, vt dicit glossa. 1. Thes. 4. sed reuerentiam designat, quam corporibus glorioſis & angeli & omnes creaturæ tūc exhibebunt.

2. ¶ Corpora sanctorum aliquando moueri necessarium est ponere, propter corpus Christi, quod motū est in ascentione, & sanctorum corpora quæ de terra resurgent, & ad cœlū empyreum ascendent. Sed etiam postquam cœlos conscenderint, verisimile est quod quādoque moueantur pro suę libito voluntatis, vt illud quod habent in virtute actu exercentes diuinam sapientiam commendabilem ostendant, & vt visus eorum reficiatur pulchritudine creaturarum diuersarum, in quibus dei sapientia eminēter relucebit. Vnde Isaiæ 40. dicitur: Current, & non laborabunt volabunt, & non deficient. Et Sapien. 3. Tanquam scintillæ in arundineto discurrēt. Per quem motum nihil decedet eorum beatitudini, quæ consistit in visione dei quem vbique præsentem habebunt, sicut & de angelis dicit Gregorius, quod intra deum currant quocunque mittantur.

3. ¶ Velocissimum quidem ac imperceptibilem esse motum corporis glorioſi omnino verisimile est, eo quod virtus animæ glorificatæ excedat inæstimabiliter virtutem animæ non glorificatæ, sicut & Augustin. dicit in quæstionibus de resurrectione, quòd corpus glorioſum vtraque interualla pari celeritate attingit, vt radius solis. Porro cum impossibile sit, vtpote contradictionē implicans, quod aliqua mutatio habens duos contrarios terminos, quorum vterque est aliquid positiue sit instantanea, necessarium est dicere, motum corporis glorioſi esse in tempore. Omnis enim motus qui est de extremo in extremum per medium, necessario est in tempore, quia ratio medij est, quod prius attingatur à mobili quam extremum, vt patet 5. physicorum: prius autem & posterius non sunt nisi in tempore. Omnis autem motus corporis glorioſi est de extremo in extremum per medium, hoc siquidem habet naturæ cursus,

cursus, quem nulla virtus creata potest immutare, cuiusmodi est vis animæ motiua corporis glorioſi. Est ergo omnis motus glorioſi corporis in tempore. Et quia tēpus quantumcunque paruum accipiatur, est in infinitum diuisibile, potest vnū corpus glorioſum in minori tempore idem spacium pertransire quam aliud.

¶ *An claritas inerit corporibus glorioſis. 2. An claritas illa videri poterit ab oculo non glorioſo 3. An corpus glorioſum necessario videatur à corpore non glorioſo.* Artic. 209.

COrpora sanctorum fore lucida post resurrectionem Christus ostendit apud Matth. 13. Tunc fulgebūt iusti sicut sol in regno patris eorum. Et Sap. 3. Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Item 1. Corinth. 15. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Quòd ad claritatem pertinet, vt patet ex sequentibus, vbi gloriam corporum resurgēntium comparat claritati stellarum. Quæ quidem claritas non aliunde causabitur, quā ex redundantia gloriæ animæ in corpus: sicut in vitro resplendet color corporis contenti in eo. Et ideo secundum quòd anima fuerit maioris claritatis secundum maius meritum: ita etit & differentia claritatis in corpore, sicut patet 1. Cor. 15.

2. ¶ Poterit autem ea glorioſi corporis claritas videri ab oculo non glorioſo. Nam lux seu claritas secūdum id quod est nata mouere visum & visus secundum id quod est, natus est lucem percipere. Si ergo esset visus aliquis qui non posset aliquam lucem percipere omnino, vel ille visus diceretur æquiuoce, vel lux illa: quod non potest dici in proposito. Est enim claritas gloriæ, & claritas naturæ eiusdem generis quantū ad speciem, licet non quantum ad causam. Vnde sicut claritas naturæ ratione suæ speciei est proportionata visui, ita & claritas glorioſa. Et hoc experimento probatum est in transfiguratione Christi, quando claritatem corporis eius, oculi discipulorum nondum glorificati viderunt. Impij quoque quorum non erunt glorificati oculi, videbunt in iudicio iustorum gloriam, in augmentum sui supplicij, vt habetur Sapien. 5. Sed non plene viderent eorum gloriam, nisi & claritatem ipsorū inspicerent.

3. ¶ Quia verò claritas corporis glorioſi prouenit ex merito voluntatis, ideo voluntati eius plene subditur, vt secundum eius imperium videatur, vel non videatur: adeo vt in potesta

Universidad de Deusto
Biblioteca

te hominis glorioſi futurum ſit, vt claritatem ſuam oſtendere poſſit, vel occultare quum velint, citra mutationem alicuius proprietatis, quæ ſit de perfectione corporis glorioſi. Nã agere vel non agere in aliquod extrinſecum, cuiuſmodi eſt actio viſibilis, ſecundum quod agit in viſum, nõ facit aliquam mutationem in ipſo agente, & corpus glorioſum eſt inſtrumentum ſummæ obediẽs principali agenti. Et hinc eſt, quod de corpore Chriſti poſt reſurrectionem legimus Lucę vltimo quod cum voluit videbatur à diſcipulis, & cum nollet videri diſparuit.

¶ An corpora damnatorum cum ſuis deformitatibus reſurgent. 2. An eorum corpora erunt incorruptibilia 3. An erunt impaſſibilia. Articulus 210.

QVicquid defectus vel turpitudinis ex mutilatione, vel corruptione, vel debilitate naturæ, ſeu principiorum naturalium in corpore fuit, totum in reſurrectione renouabitur, ſicut lippitudo, febris, & ſimilia. Quorum omnium hæc eſt ratio, quod author qui naturã condidit, in reſurrectione naturam corporum integrè reparabit. In hac enim reparatione magis attendi naturę perfectionem, quam conditionem, quæ prius fuit etiam hinc euidẽter conuincitur, quia illi qui infra perfectam ætatem decedunt, inſtaurata iuuenilis ætatis reſurgent. Et 1. Cor. 15. dicitur vniuerſaliter de omnibus reſurgentibus, quòd mortui reſurgent incorrupti. Quòd ergo aliqui aſſerunt defectus & deformitates in corporibus damnatorum oportere remanere propter damnationem, qua ad ſummam miſeriam deputantur, cui nihil poſſit incommoditatis ſubtrahi, non eſt conueniens. Vltima namq; dãnatorum miſeria non excludit omne bonũ, quia malõ ſi ſit integrum, corrumpit ſeipſum, vt dicit Philoſophus quarto Ethicorum. Vnde oportet quod miſetiæ damnatorum ſubſternatur bonum naturæ in ipſis. Soli proinde defectus, qui ex naturalibus principijs in humano corpore naturaliter conſequuntur, ſicut põderoſitas, paſſibilitas, & ſimilia, in corporibus elementorum erunt. Hos ſiquidem defectus ab electorum corporibus gloria reſurrectionis excludet.

2. ¶Corpora quoque damnatorum poſt reſurrectionẽ ceſſante motu cœli corrumpi non poterũt, tum quia hoc diuinę iuſtitiæ deſeruit, vt perpetuo viuentes, perpetuo puniantur, ſecundum quod dicitur Matthæi vigeſimoquinto: Ibunt hi in ſup-

in ſuppliciũ æternum, tum quia corruptio eſt terminus alterationis, ſicut & generatio. Quum autẽ primum cœlum ſit alteraus per motum ſuum localem, & alia omnia agentia ſecunda in virtute ipſius agant, & quaſi ab ipſo mota, oportet, quod cœli motu ceſſante, nihil ſit agẽs, nullaq; qualitas, quæ poſſit corpus humanum per alterationem aliquam tranſmutare à naturali ſua proprietate. Remoto enim principio motus, neceſſe eſt & ipſum motum remouere.

3. ¶Quia igitur poſt reſurrectionem motu cœli ceſſante nõ poterit aliquod corpus alterari à ſua naturali qualitate, vt dictum eſt, nullum corpus pati poterit paſſione naturæ, quę eſt per receptionem conſimilis formæ ſecundum eſſe naturale materiali ab agente: ſicut recipitur calor ab igne in aëre aut liquo. Vnde quantum ad hunc modum erunt corpora damnatorum impaſſibilia, ſicut & incorruptibilia. Sed ceſſante motu cœli adhuc remanebit paſſio quæ eſt per modum animæ, quomodo recipitur aliquid ab alio ſpiritualiter per modum cuiuſdam intentionis, ſicut ſimilitudo coloris recipitur in aëre, vel in pupilla, quia tunc & aër à ſole illuminabitur, & cœlorum deferet differentias ad viſum. Vnde ſecundum hunc modum non erunt corpora damnatorum impaſſibilia, quia ſenſibile non ſolum natum eſt delectare, vel affligere ſenſum, ſecundum quod agit actione naturæ confortando, vel corrumpendo organum: ſed etiam ſecundum quod agit actione ſpirituali: Quia quando ſenſibile eſt in debita proportione ad ſentiendum, delectat: conuerſio autem quando ſe habet in ſuperabundantiã & defectu. Vnde & colores medij, & voces conſonantes ſunt delectabiles, inconſonãtes autem offendunt auditum.

¶ An cognoſcat quilibet homo in iudicio omnia peccata ſua. 2. An poſſit quilibet omnia merita & demerita ſua & aliena vno intuitu videre. Artic. 211.

IN illo extremo ac communi omniũ hominum iudicio, oportet quod omnium operum ſuorum quiſq; notitiam habeat. Neceſſe quippe eſt, vt teſtis accuſator, & defenſor in quolibet iudicio notitiã habeat eorum quæ in iudicio verſantur. Petro ſecundum Apoſt. 2. Cor. 4. iudicandum ibi erit de omnibus operibus bonis & malis, & vnuſquiſque erit ſuiipſius teſtis, accuſator ac defenſor, prout dicitur Ro. 1. quod in die cũ iudicabit dñs teſtimonium reddet vnicuique

Universidad de Deusto
Biblioteca

sua conscientia,& cogitationes erunt accusantes & defendentes. Hoc autem teste B.Aug.10.de Ciuitate dei fiet quadam diuina virtute, vt cuncta quæ fecerit homo reuocentur ei ad memoriam. Tali quidem æquissima conditione, vt & boni de peccatis, quæ eis per misericordiam relaxata sunt, gaudeant, damnatos verò etiam bonorum recordatio (si qua fecerunt) magis torqueat, eo quod eorum remunerationem ac fructum sua ingratitudine ac negligentia perdiderunt. Est etenim dolor maximus multa bona opera perdidisse.

2. ¶ Sicut verò tunc quilibet sua merita, vel demerita recolet ad memoriam, ita etiam & aliena suæ subiacebunt cognitioni, vt diuina iustitia (quæ nunc plerosq; latet) omnibus euidenter appareat. Nam sicut oportet iudicem & assessorem iudicis merita causæ cognoscere ad hoc quod sententiã iustam proferat: ita oportet ad hoc quod iusta sententia appareat, quod omnibus sententiam cognoscentibus merita innotescant. Cognoscentur itaque ab impijs quoque peccata iustorum, vt Dauidis, Petri, Matthæi, Magdalenæ, ac reliquorum, quæ in eis per pœnitentiam deleta sunt: ex hoc enim cognoscetur eorum pœnitentia, per quam peruenerunt ad gloriam, omnis erubescentiæ ac verecundiæ nescia. Est autem credibile de sanctis, qui omnia in vno ac simplicissimo deo videbunt, quod omnia merita & demerita, & sua & aliena, simul in instanti videant. Damnati verò, quorum non est eleuatus intellectus vt possint deum videre, & in eo omnia, singula considerabunt, non tamen in instanti, sed in tempore breuissimo diuina virtute ad hoc adiuuante. Sicut Augustinus dicit 20. de Ciuitate dei, quod omnia metiens intuitu ac celeritate enumerabuntur. Quod tamen impossibile non erit quia in quolibet paruo tempore sunt infinita instantani potentia.

¶ An generale iudicium sit futurum 2. An quantum ad discep-
tationem fiet per vocalem locutionem 3. An fiet tempore
& loco incognitis. Articulus 212.

QVemadmodum est duplex dei operatio. Vna quidem res primitus in esse produxit instituens naturam, & distinguens ea quæ ad completionem eius pertinent, à quo quidem opere deus dicitur quieuisse Gen.1. Alia verò qua operatur in gubernatione creaturarum, de qua Ioan.5. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor: ita oportet esse duplex iudicium, vnum quidem particulare respondens operationi gubernationis, per quod vnusquisque singulariter pro suis operibus iudicatur, non solum secundum quod sibi competit, sed secundum quod competit gubernationi vniuersi, vt patet Heb.11. Aliud verò iudicium vniuersale, respondens primæ rerum productioni inesse, vt videlicet sicut tunc omnia processerunt immediate à deo, ita tunc vltima completio mundo detur: vnoquoque accipiente finaliter quod ei debetur secundum seipsum. Vnde Matth.12. dicitur: Viri Niniuitæ resurgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam. Et Ioan 5. Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala in resurrectionem iudicij.

2. ¶ Quanuis autem Christus in forma humana iudicabit, in qua ab omnibus corporaliter possit videri: probabilius tamen æstimatur, quod totum illud iudicium, & quo ad discussionem & accusationem malorum, & commendationem bonorum, & quoad sententiam de vtriusque mẽtaliter perficitur. Nam Christi apparitio subito fieri potest, sed si vocaliter singulorum facta narrarentur, inæstimabilis magnitudo temporis ad hoc exigeretur, sicut Augustinus dicit 20. de Ciuitate dei. Et proinde quæ Matth.25. dicuntur, non vocaliter, sed mentaliter intelligenda sunt esse perficienda.

3. ¶ Quantum itaque ad tempus ad locum illius iudicij attinet, probabile quidem videtur, non autem certum aut euidens, quod circa locum montis oliueti Christus iudicaturus descendet, sicut & inde in cœlum ascendit, sicut Iohelis 3. dicitur: Congregabo omnes gentes, & educam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo ibi cum eis. Cognitio verò finis mundi ac tempus extremi iudicij soli deo reseruatur, secundum quod dicitur Actor.1. Nõ est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Sicut enim deus operatur quædam in quibus ei nulla creatura cooperatur: ita & cognoscit quædam quæ à nulla pura creatura cognoscuntur, cuiusmodi sunt illa quæ soli diuinæ subiacent potestati, vt est creatio mundi & eius terminus. Vnde Matth.24:

De die illa nemo scit, nec angeli in cœlo, nec filius scit, nisi pater. Et primæ Thessalonicenses 5. Dies domini sicut fur ita in nocte veniet.

¶ In

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ An aliqui angeli & homines cum Christo iudicabunt 2. An iudiciaria potestas correspondeat voluntariæ paupertati. 3. An post diem iudicij dæmones exæquentur sententiam iudicis in damnatos. 4. An omnes homines tam boni quàm mali compareant in iudicio vt iudicentur 5. An angeli in futuro iudicentur. Articulus 213.

LIcet verò tota trinitas iudicet per anthoritatẽ, filio tamen peculiariter attribuitur iudicium: quia secundum humanam naturam omnibus apparebit tam bonis quam malis. Ioan. 5. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Cùm autem assessores iudicis debeant iudici esse proportionales, vel cõformes, angelis non competit iudicare cum Christo, eo quod illi secundum humanã naturam, in qua omnibus tam bonis quã malis videri possent, non sint conformes: sed sunt, vel ministri iudicis, Mat. 13. Mittet filius hominis angelos, & colligẽt de regnõ eius omnia scandala. Vel testes humanorum actuum, sub quorũ custodia homines bene vel male egerunt. Vnde Mat. 25. dicitur: cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo. Soli itaque homines sancti ac viri perfecti cũ Christo iudicabunt, in quantũ in eis continentur decreta diuinæ iustitiæ, ex quibus homines iudicabuntur, & in quorum cognitionem alios ducẽt, vt sciant quid iuste pro meritis eis debeatur. Et sic ipsa reuelatio iustitiæ dicitur iudicium, sicut si liber in quo continetur, lex iudicare dicatur. Vnde Apocal. 20. dicitur: Iudicium sedit & libri aperti sunt. Et Richardus de sancto Vict. Iudices inquit corã iudicandis decretorum suorum libros aperite, est ad cordium suorum inspectionem, inferiorum quorumlibet visum admittere, sensumque suum in his quæ ad iudicium pertinent reuelare.

2. ¶ Iudicare multipliciter dicitur. Vno modo quasi causaliter, vt dicatur illud iudicare, vnde apparet aliquis iudicãdus sicut Matthæi 12. dicitur, quod viri Niniuitæ surgent in iudicio, &c. ex comparatione enim eorum aliqui iudicãdi ostenduntur, & sic iudicare in iudicio, communiter est bonorũ & malorum. Alio modo dicitur iudicare quasi interpræratiue, quomodo illi iudicare dicuntur, qui consentiunt iudici, eius sententiam approbãdo. Interpretamur enim aliquem facere qui facienti consentit: & sic iudicare est omnium electorum, etiam angelorum. Vnde Sap. 3. dicitur: iudicabunt sancti nationes.

tiones. Cæterum iudicare eo modo, quem articulo præcedenti posuimus, etsi solis sanctis hominibus cõueniat, nõ tamen concedendum est omnibus conuenire: sed illis duntaxat, qui hic in voluntaria paupertate Christum sunt imitati. Et hoc propter tria. Primo ratione congruitatis, quia in his, qui omnibus quæ mundi sunt contemptis, soli Christo inhærent, nõ est aliquid quod eorum iudicium à veritate deflectat. Vnde idonei ad iudicãdum redduntur, quasi veritatem iustitiæ præ omnibus diligentes. Secundò ratione meriti, quia humilitati respondet exaltatio pro merito, inter omnia autem quæ hominem in hoc mundo despectum faciunt, præcipue est paupertas. Vnde & pauperibus excellentia iudiciariæ potestatis promittitur, vt sic qui propter Christũ se humiliat, exaltetur. Tertiò quia paupertas disponit ad prædictũ modum iudicandi. Est enim prima dispositio in progressu ad perfectionẽ, in qua habebit homo cor edoctũ omni diuina veritate, secundũ quam aliquis sanctorum iudicare dicitur. Et sic Iob 36. dicitur: Non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuet. Et super illud Matthæi decimonono. Vos, qui reliquistis omnia, dicit Glossa. Qui reliquerunt omnia, & secuti sunt deum: hi iudices erunt: qui licita habentes rectè vsi sunt, iudicabũtur.

3. ¶ Verius existimandum est post diem iudicij dæmones fore exequutores sententiæ iudicis in damnatos. Sicut enim ordo seruabitur in saluatis, quod quidam à quibusdam illuminabuntur & perficiẽtur, eò quòd ordines cœlestis hierarchiæ perpetui erunt, ita seruabitur ordo in pœnis, vt homines per dæmones puniantur, ne totaliter diuinus ordo, qui angelos medios inter naturam humanam & diuinam constituit.

4. ¶ Cõgruum quidem est, vt sicut Christus in passionis suæ humilitate sanguinem suum fudit pro omnibus, quantum ad sufficientiam, licet non quantum ad efficaciam: ita omnes in iudicio congregentur ad videndam eius exaltationem in humana natura, secundum quam constitutus est iudex vuorũ & mortuorum, vt habetur Actuũ quarto. Hæc etenim excellentia debetur in præmium illi summæ humilitati, quam in passione Christus pro omnibus exhibuit. Vnde Apocalypsis primo dicitur: Ecce venit in nubibus, & videbit eum omnis oculus. Sed quum ad iudicium duo pertineant, videlicet discussio meritorum: & retributio præmiorũ omnes quidẽ homines iudicabũtur, quantũ ad receptionẽ præmiorum, prout

Paules

Universidad de Deusto
Biblioteca

Paulus dicit.1.Cor.15. Omnes astabimus ante tribunal Christi,vt referat vnusquisque propria corporis,prout gessit, siue bonum,siue malum. Sed quantum ad discussionem meritorum,illi tantum iudicabũtur,in quibus est meritorum bonorum cum malis permixtio: cuiusmodi sunt soli fideles. Nam ad minus actum fidei laudabilem habent, per quam ciues fuerunt saltem numero ciuitatis dei, quare & iudicabuntur sicut ciues,in quos sine discussione meritorum sentẽtia mortis non fertur.Si verò super fidei fundamentum ędificant lignum,fœnum,stipulam,amantes adhuc secularia, & terrenis negotijs impediti, ita tamen quòd nihil Christo præponant,sed studeant peccata eleemosynis expiare. Tales quantum ad hoc & iudicabuntur & saluabuntur. Discussio ergo meritorum neque in infidelibus locum habet,eo quod subla to fidei fundamento,non est in eis aliqua permixtio bonorũ operum,vel meritorum ad mala quę discussionem requirat, sed condemnabuntur sicut hostes, qui cõsueuerunt apud homines absque meritorum audientia exterminari. Neq; similiter locum habet in quibusdam fidelibus qui ædificantes super fidei fundamentum aurum,argentum, & lapides prætiosos,diuinis seruitijs totaliter insistunt, nullam admixtionem notabilem alicuius mali meriti habentes.

5. ¶ Directè loquẽdo,nulli angeli in illo iudicio iudicabuntur.Quia neque pro proprijs meritis tunc mercedem, accipient,quam in principio receperunt, quibusdam ad beatitudinem sublimatis,alijs verò demersis ad miseriam.Nec iudicium discussionis in eis locum habebit, eò quòd in bonis nihil mali inuenietur, nec in malis angelis quicquam boni ad iudicium illud spectans. Sed indirectè iudiciũ illud quodammodo angelos respiciet,inquantum actibus humanis fuerũt commixti,vel inducendum ad bonum, vel incitando ad malum.Qua ratione tunc angeli boni magis gaudebunt, mali verò tunc amplius torquebuntur. Quod ad retributionem alicuius præmij saltem accidentalis videtur pertinere.

¶ An Christus in forma serui sit iudicaturus.2. An apparebit in forma humanitatis gloriosa. 3. An eius diuinitas possit sine gaudio videri. Articulus 214.

COnueniens est, vt ipse Christus secundum humanã naturam in finali iudicio appareat, tum quia secundum hanc dominium habet super homines ratione redemptionis.Sicut dicitur.Ro.14.In hoc Christus mortuus est & resurrexit,vt viuorum & mortuorum dominetur.Tum quia finale iudicium ad hoc ordinatur, vt aliqui admittantur ad regnũ & aliqui à rego exeludantur.Ad regnum autẽ nemo admittitur per sola bona creationis nisi redẽptionis beneficium adderetur propter impedimentum, quod naturæ creatæ superuenit ex peccato primi parentes. Et ergo bene dicitur Actuũ 10.quod Christus constitutus sit à deo, iudex viuorum & mortuorum.

2. ¶ Christus in primo quidem aduentu in forma nostræ infirmitatis apparuit.Ad hoc nempe tunc venit, vt pro nobis apud patrẽ satisfacere.In secundo verò aduẽtu in forma gloriosa apparebit,quia cum ad hoc veniet vt iusticiam patris in homines exequatur demonstrare gloriam suam debebit, quę inest ei ex cõmunione ad patrem. Vnde Lucæ 21.dicitur,Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate.

3. ¶ Cum verò deus essentialiter sit ipsa bonitas, nõ potuit diuinitas ab aliquo intellectu sine gaudio videri.Res siquidẽ quę sunt delectabiles per participationem bonitatis (quæ est ratio appetibilitatis & delectabilitatis) possunt apprehense nõ delectare sed id per quod essentiam suam est bonitas, impossibile est quod eius essentia apprehensa nõ delectet. Nihil etenim admixtum habet vel habere potest,propter quod non sit delectabilis & appetibilis.

¶ An mundi innouatio sit futura.2. An motus corporum celestiũ in illa innouatione cessabit.3. An corporibus celestibus ac elementis claritas augeatur in illa innouatione.4. An animalia & plantæ tunc remaneant. Articulus. 215.

AD perfectionem futuræ beatitudinis requiritur,vt homo diuinam essentiam videat,nõ tantũ immediate per cognitionẽ intellectiuã,sed & p potẽtiã sensitiuã,oculo videlicet carnis;eandẽ in suis effectib⁹ corporib⁹ mediate inspiciat, in quib⁹ manifesta iudicia diuinę maiestatis apparebũt,& precipue in carne Christi.Et post hoc in corporib⁹, beatorũ & deinceps in oĩbus alijs corporibus.Et ideo ne quid solatij desit cognitioni hominis,etiã sensitiuæ,oportebit alia quoq; corpora quę ministerio hominis sunt subiecta,maiorẽ influentiam diuinæ boniratis suscipere,non quidem speciem variantem, sed addẽtem cuiusdã

 gloriæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

glotiæ perfectionem. Et hæc erit mundi innouatio. Vnde homine glorificato, simul mundus innouabitur. Propter quod dicitur Esaiæ. 66. Ecce ego creo nouos cœlos, & nouã terrã & nõ erunt in memoria priora. Et Apo. 21. Vide cœlũ nouũ & terrã nouam: primum enim cœlum & prima terra abijt.

2. ¶ Quia verò corpus cœleste seruit homini inquantũ per motũ suum multiplicatur genus humanum, & generantur plantę & animalia quæ in vsum hominum sunt necessaria, & etiam temperies in aëre efficitur, conseruans hominis sanitatem: idcirco, in illa mundi innouatione, quando completo illa perfinito numero electorum, nec generatio deinceps erit, nec homo alimentis corporalibus indigebit, nec ab aliqua aëris dispositione sanitas eius dependebit, motus quoque cœli diuina volũtate cessabit. Vnde tunc neque sol occidet, nec luna minuetur, sicut dicitur Isaiæ. 60. Quare nec vlla dierum ac noctium erit vicissitudo.

3. ¶ Innouatio mundi ordinatur ad hoc quoque vt homo etiam sensu in corporibus quodãmodo per manifesta iudicia diuinitatem videat. Creatura verò præcipue in dei cognitionẽ ducit sua specie & decore, sicut dicitur Sapiẽtiæ. 13. A magnitudine speciei cognoscibiliter poterat videri creator eorũ. Et ideo corpora cœlestia, quorũ pulchritudo potissimum in luce consistit, quantum ad charitatem innouabuntur. Vnde Isaiæ. 30. dicitur. Erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis septẽpliciter sicut lux septem dierem. Cum autẽ corpora inferiora communicent cum cœlestibus in natura lucis & diaphani, vt dicitur. 2. de anima, oportet & ea in hac innouatiõe maxime perfici secundũ claritatem. Vnum omnia elementa claritate quadã vestientur. Dicitur enim quod terra erit in superficie exteriori peruia sicut vitrum, aquam sicut christallus, aër vt cœlum, & ignis vt luminaria cœli.

4. ¶ Homine itaq; ad statũ incorruptionis ac perpetuę quietis resurgẽte, omnia illa ac sola petire oportet, quæ ad incorruptionẽ ac quietem nullum omnino ordinẽ habent: cuiusmodi sunt animalia bruta, plantæ, mineralia, & omnia corpora mixta: quæ eorum puntur & secundum totum, & secundum partẽ. Ex parte materiæ quidẽ, quæ formam amittit: ex parte formæ verò, quia actu non manet. Mundi siquidem innouatio propter hominem fiet, & ideo oportet hominis innouationi omnia conformari.

¶ An

¶ An intellectus humanus possit peruenire ad videndum deum per essentiam. 2. An sancti post resurrectionem deum corporalibus oculis sint visuri. 3. An sancti videntes deum per essentiam omnia videant quæ deus in seipso videt. Articulus. 216.

QVemadmodum visus nõ cognoscit albedinem, nisi in eo recipiatur similitudo albedinis, secundũ rationẽ suæ speciei: ita intellectus nullam quidditatẽ potest intelligere, nisi in eo fiat similitudo eiusdẽ rationis secundũ speciẽ. Porro intellectus humanus cognoscit quidditatẽ diuinæ essentiæ, in hoc quippe sita est hominis vltima perfectio & beatitudo, sicut patet Iohãnis 17. Hęc est autẽ vita æterna, vt cognoscant te solũ verum deũ, & quẽ misisti Iesum Christum. Deus ergo ac diuina essentia cũ sit ens per se subsistens, non habens in se aliquid prẽter id ꝙ est intelligibile in ipsa, nec sit perfecte repræsentabilis per villã speciẽ cuius suis creaturæ, debet esse forma nõ solũ quę, sed etiam per quam intellectus ipsummet deũ intelligat. Et per consequens intellectus humanus intelligit deum ac diuinã essentiam immediate. Et hoc est quod Paulus dicit. 1. Corinthiorũ. 13. Videmus nunc per speculũ in ænigmate, tunc autẽ facie ad faciẽ. Et. 1. Iohannis. 3. Cum apparuerit (inquit) similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.

2. ¶ Deus autẽ nullo modo videri potest corporali, aut aliquo alio sensu, sicut sensibile per se, nec hic nec in patria, sensu existente vtrobiq; eiusdẽ rationis. Per se enim sentitur, ꝙ per se passionẽ ingerit sensui corporali, vel sicut sensibile cõmune: vt sunt magnitudo, numerus, motus, &c. Vel sicut sensibile proprium vt est color respectu visus. Cũ autẽ sensus inquantum huiusmodi, vtatur organo corporali, nõ potest in eo aliquid recipi nisi corporaliter. Omne enim ꝙ recipitur, ad modũ recipiẽtis recipitur. Igitur diuina essentia quæ omnino est incorporea, nequaquã videri poterit aut percipi vllo sensu corporali per se, sed per accidẽs tãrũ. Quia etsi per se non inferat passionẽ sensui, neque secundũ rationẽ cõmunis sensibilis, neque secundum rationem sensibilis ꝓprij, coniungitur tamẽ ei quod per se ꝓpter sensui inferre passionem, vt pote corpore Christi. Deuiq; visus corporalis tantã gloriam dei inspiciet in corporib⁹ & præcipue glorioſus ex vna parte, & ex altera parte tã clare deum videbit, ꝙ in rebus visis de⁹ percipiet, sicut in locutiõe percipitur vita. Vnde Augu. in

fine de ciui. dei valde credibile est, inquid nos visuros mundana corpora, tunc cœli noui & terræ nouæ, vt deum vbique præsentem & vniuersa corpora gubernãtem clarissima perspicuitate videamus. Nõ sicut nunc inuisibilia dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sed sicut homines mox vt aspicimus viuere non credimus sed videmus.

5. ¶ Notitia dei est duplex, vez notitia visionis qua videndo suã essentiã cognoscit omnia quę sunt, erunt, vel fuerunt, quasi pñtia. Et notitia simplicis intelligentiæ, qua vidẽdo suam essentiã cognoscit omnia ea quę possunt fieri, quãuis nũ quã futura sint. Cũ ergo quantitas diuinæ potentiæ attendatur secundũ ea in quæ potest si aliquis intellectus videret in diuina essentia omnia quæ deus potest facere, tãta esset quãtitas in intelligendo, quanta est quãtitas diuinæ potentiæ in producendo effectus, & ita cõprehenderet diuinã essentiã, quod est impossibile omni intellectui creato. Et per consequens est impossibile, q̃ intellectus aliquis creatus vidẽdo diuinã essentiam cognoscat omnia quæ deus potest. Illa aũt omnia quæ deus scit notitia visionis aliquis intellectus creatus cognoscit in verbo, scilicet anima Christi. Sed de alijs videntibus diuinam essentiam probabile est, quod ante diẽ iudicij nõ omnia videant quę deus videt, eo quod diuinã essentiam non cõprehendant. Porro post diem iudicij, quãdo gloria hominum & angelorum erit penitus cõsummata, omnes beati scient omnia quæ deus sciẽtia visionis nouit, ita tamẽ quod non omnes omnia videãt in diuina essentia, sed anima Christi ibi plene videbit omnia, sicut & nunc videt. Alij autem videbunt ibi plura vel pauciora, secundum gradum, quo deum cognoscent. Et sic anima Christi de his quæ præ alijs videt in verbo, oẽs alias illuminabit. Vñ dicit Apo. 21. q̃ claritas dei illuminat ciuitatẽ beatorũ, & lucerna eius est agnus.

¶ An beatitudo sanctorum sit maior futuræ post diem iudicij, quam ante resurrectionem fuerit. 2. An beatitudinis gradus mansiones dici debeat secundum diuersos charitatis gradus distinctæ Ar. 217.

BEatitudinem sanctorum post resurrectionem augeri quidem extensiue manifestum est, quia beatitudo tũc erit non solũ in anima, sed etiam in corpore. Ob quã causam etiam animæ beatitudo augebitur, extensiue, inquam, tamen anima non tantum gaudebit de proprio bono, sed etiã de bono corporis. Præterea cũ anima perfecta esse

esse habeat in corpore quã extra corpus (vnde est & naturaliter appetit ipsi vniri) quãto anima erit post resurrectionẽ in natura perfectior, tãto & perfectius habebit suã operationẽ in qua consistit felicitas. Et per cõsequens quãto fuerit cõuenientior animæ operatio perfectior, tanto erit & delectatio maior, vt dicitur. 4. Ethicorũ. Et hoc est quod super illud Apo. 6. Vidi sub altari animas interfectorum, dicit glo. Modo animę sanctorũ sunt sub, id est, in minore dignitate quã sint futurę.

2. Diuersimode cõsequendi finẽ vltimũ, diuersæ mansiones dicũtur. In quolibet nanq; motu. Ipsam quietẽ in fine motus dicim⁹ col locationẽ seu mãsionẽ. Actus aũt appetitus & volũtatis mod⁹ quidã est. Ipsa igit assecutio finis appetitiui motus dicitur mansio aut collocatio in fine. Et ergo licet vn⁹ sit locus spiritualis, ac vnum obiectũ beatificũ omniũ beatorũ, sicut & omniũ leuiũ vnus est locus corporalis sursum: tamẽ quia ex parte beatorũ diuersi sunt gradus appropinquãdi ad locũ illũ siue obiectũ, ideo habẽt diuersas mãsiones secũdũ differentiã spiritualis leuitatis, quæ est per charitatẽ. Ipsa siquidẽ est principium distinctiuum mansionum seu graduũ beatitudinis, propinquum & remotum. Propinquum quidẽ per modum dispositionis in patria, vbi quanto quisque fuerit in charitate perfectior, tanto erit diuinæ claritatis capatior. Remotum verõ per modũ meriti in viatoribus. Vis enim merendi in omnibus virtutibus nõ est ex ipsa substãtia act⁹ meritorij, sed ex charitate quæ habet ipsum deum pro obiecto.

¶ An beati qui sunt in patria, miserias damnatorũ sine cõpassione videant. 2. An beati de damnatorum pœnis lætentur. Arti. 218.

MIsericordia vel compassio hoc modo ex electione rationis nascitur, prout aliquis vult malũ alterius repelli. Peccatores autẽ quãdiu sunt in hoc mũdo possunt sine præiudicio diuinæ iustitię in beatitudinẽ transferri à statu peccati & miseriæ, & ideo beatorũ cõpassio ad eos locum habet. Quia verò vnumquodq; ex compatione contrarij magis cognoscitur, ideo vt beatitudo sanctorũ eis magis cõplaciat, & de ea vberiores deo gratias agant, datur eis quidem vt miseriam damnatorũ videãt, secundum quod dicitur Esa. vlti. Egredientur & videbũt cadauera virorum qui præuaricata sunt in me, attamen quia secũdum diuinam voluntatem, cui & sanctorum voluntas est cõformis, transferri non possunt ab hac miseria ad beatitudi-

nem. Ideo beati, qui sunt in gloria, secundum rectam electionem nullam compassionem habebunt ad damnatos.

2. ¶ Sancti ergo etsi videant pœnas damnatorũ sine vlla cõpassione, non tamen de eis lætabuntur per se & inquantũ huiusmodi. Hoc quippe spectat ad odiũ. Porro quia & in illis dãnatorum miserijs cõsiderabunt diuinæ iustitiæ rectitudinem, & suam liberationẽ, lætabuntur de eis saltem per accidens. Vnde in psal. dicitur. Lætabitur iustus, cum viderit vindictã. Et Esa. vlti. Erunt vsq; ad satietatẽ visionis omni carni. Nam & deus tali modo de dãnatorũ pœnis lætatur, inquãtum scilicet per suam iustitiã sunt ordinatæ, sicut Prouerbiorum ptimo dicitur. Ego quoq; interitu vestro ridebo, &c.

¶ An ponendæ sint aliquæ dotes. 2. An ratio dotis distincta realiter à beatitudine Christo conueniat. 3. An conueniat angelis. 4. An conuenienter ponantur tres esse animæ dotes, scilicet visio, dilectio, & fruitio. Articu. 2 9.

DOs secundũ primã nominis institutionẽ ad carnale matrimoniũ pertinens, est donatio ex parte mulieris, facta his qui sunt ex parte viri pro onere matrimonij q̃ vir sustinet: quomodo. 4. Re. 9. accipitur vbi dicitur, q̃ Pharao rex Aegypti, cœpit Gazer & dedit eã in dotẽ filiæ suæ vxori Salomonis. Trãsfertur autẽ idem nomen ad significandũ aliqua dona, quæ diuinitus dãtur beatis ad eorum ornatum q̃n ad gloriam transferuntur. Quicunque verò aliquod nomen est positũ ad significandũ aliquid principaliter, nõ cõsueuit trãsferri ad alia nisi secundum aliquã similitudinẽ. Donum ergo illud dos vocatur, q̃ in spũali matrimonio (q̃ est inter Christũ & ecclesiã in mẽbris suis, prout apo. dicit ad Ephe. 6. Sacramentum hoc magnum est, dico autem in Christo & ecclesia) datur spõsæ, id est, animæ beatæ, q̃n in domum sponsi traducitur, vt præsentialiter spõsum habeat, siue à patre sponsi. i. Christi quę est sola persona patris, siue à patre sponsæ, quæ est tota trinitas. Et dos hoc modo accepta sic diffinitur, q̃ est perpetua animę & corporis ornatus, vitæ sufficiẽs, in æterna beatitudine jugiter perseuerans. Quãuis ergo in hoc spõali matrimonio nõ sint aliqua onera, est tñ ibi summa iocũditas, ad quã perficiendã dotes spõsæ per se cõferuntur, vt scilicet per eas delectabiliter spõso cõiungatur. Et ergo sunt hic maxime dotes assignandę. Nã & per eas spõsa ornatur, & ad gloriã & honorẽ cedit sponsi,

sponsi, Christi videlicet. Vnde Esa. 61. dicitur, Induit me vestimẽtis salutis, & tanquã sponsam ornatã monilibus suis. Dos enim datur sponsæ quantum ad proprietatẽ & dominiũ, spõso autẽ ad vsum, sicut patet in matrimonio corporali, vbi soluto matrimonio remanet dos sponsæ secundum iura.

2. ¶ Christo itaq; vel omnino nõ cõuenit ratio dotis, vel nõ ita perfectè sicut alijs sanctis, quanuis ea quæ dotes dicũtur, excellentissimè ei conueniãt. Dotes quippe assignãtur spõsæ (vt iam dictũ est) Christus aũt etsi ecclesię spõsus dicatur & sit, vtnullius tũ spõsa potest appellari, nisi forte secũdũ regulã Ticonij, inquantũ assumit personam spõsę suę. i. ecclesię. Per quem modum dici posset habere dotes, nõ q̃ ipse habeat, sed quia ecclesia habet. Nã dotes extra matrimoniũ vel corporale vel spũale nõ reperiri, iam probatum est. Ad matrimonium autẽ tria requirantur, videlicet sponsæ ad sponsum subiectio, conformitas naturæ, & distinctio personarum. In cõiunctione ergo qua Christus cõiungitur deo per vnionẽ amoris (quã consentaneam quidem vocant) nullum est matrimoniũ propter defectum subiectionis. Similiter nec in coniunctione humanæ naturę ad diuinam in Christo, quia illa est in vnitate personæ & distinctione naturæ. Præterea dos datur sponsæ quãdo de nouo in domum sponsi traducitur (quod separationem præsupponit) humanitas autẽ semel à verbo assumpta, nunquam fuit separata. Licet ergo beatitudinis ratio perfectiss. Christo conueniat, nõ tamen ratio dotis, quia dos à beatitudine realiter distinguitur. Beatitudo enim in operatione consistit, qua anima beata perfectè deo coniungitur. Dotes verò dicuntur habitus vel dispositiones, vel quæcunque aliæ qualitates, quæ ordinantur magis ad beatitudinem, quàm sit ipsa beatitudo, vel partes essentiæ ipsius.

3. ¶ Cum vero nec angelis ita proprie conueniat ratio spõsę, sicut hominibus: exigitur enim inter spõsam & sponsum cõformitas naturę, cuiusmodi nõ est inter angelos & Christũ: ideo ratio dotis non ita proprie eis conuenit sicut hominibus: quanuis dubium non sit ea quæ ad dotes pertinent, ita conuenire angelis, vt hominibus.

4. ¶ Dos (sicut nunc dictum est) est qualitas animę inhęrẽs, per quam ordinatur ad perfectissimam operationem in qua beatitudo consistit. Oportet ergo, quod visio, quæ est huiusmodi operationis substantia, sit delectabilis & ex parte obiecti, id

Universidad de Deusto
Biblioteca

cti,id est,visibilis,& ex parte visionis.Ad hoc autem quòd visio sit delectabilis ex parte visionis,oportet quod sit factua cõ naturalis per aliquem habitum,qui visionem eliciat,& sic est vna dos quæ ab omnibus visio vocatur.Sed ad hoc, quod sit delectabilis ex parte visibilis, requiruntur duo scilicet quòd ipsum visibile sit conueniens,quod sit per affectum. Et quantum ad hoc,ponitur à quibusdã dilectio & à quibusdam fruitio,secundũ quod fruitio ad affectũ pertinet.Illud enim quod summè diligimus,conueniẽtissimum æstimamus. Requiritur etiam ex parte visibilis coniunctio. Et sic ponitur à quibusdã compræhẽsio,quę nihil aliud est quàm in præsentia deum habere ,& eũ in seipso tenere:sed secũdum alios fruitio , proprie fruitio non est spei ,sed iam rei.Sic ergo sunt tres animæ dotes,scilicet visio,dilectio, & compræhensio vel fruitio:respõdẽt ex tribus virtutibus theologicis,scilicet visio fidei,spei cõpræhẽsio vel fruitio,charitati verò, dilectio vel etiam fruitio.

¶ An aureola sit aliquod aliud præmiũ à præmio essentiali quod aurea vocatur.2. An aureola differat à fructu.3. An fructus debeatur soli virtuti continentiæ.4. An conuenienter tres fructus,tribus continentiæ partibus assignentur. Articulus 220.

PRęmiũ illud essentiale beatitudinis quod ratione claritatis,cõmune est omnibus beatis hominibus,id est perfecta cõiunctio animæ cum deo, corona vocatur vel aurea,tũ ex parte meriti ,qđ cũ quadã pugna agitur.Militia enim est vita hominis super terrã vt dicit Iob.7. tum ex parte præmij per quod homo efficitur diuinitatis participeps,& per cõsequẽs regiæ potestatis, secũdũ quod dicitur Apoca.5. Fecisti nos deo nostro regnũ, &c. Corona autẽ est proprium signũ regiæ potestatis. Significat etiã corona perfectionẽ quandã ratione circularis figuræ,vt ex hoc etiã perfectioni cõperat beatorũ. Cum verò præmiũ debeat respõdere merito,oportet quod etiã excellẽtiæ meriti, quę est ex modo agendi respondeat aliqua excellentia in præmio. Et ergo illi operi quod præter cõmunẽ rationẽ bonitatis ,quæ est ex radice charitatis, etiam ex ipso genere actus quãdã laudabilitatẽ & specialis certaminis rationẽ habet,ex debitis circunstãtijs,ex habitu eliciente,& ex proximo fine,debeatur quoddã accidẽtale præmiũ,id est,gaudiũ quoddã ratione victoriæ excellẽtis.Sed quia nihil potest superaddi,quin sit eo min⁹,ideo præmium istud seu gaudiũ quod superadditur illi gaudio seu

præmio

præmio essentiali, quod est de coniuncto animæ ad deum, non aurea,sed aureola vocatur.Vnde Exo.25. facies alteram coronam aureolam,dicit glo. Ad coronam pertinet canticum nouum, quòd virgines tantum coram sponso cantant. Ex quo videtur,quod aureola sit quædam corona non omnibus,sed quibusdam specialiter reddita. Aurea autem omnibus beatis redditur,ergo aureola est aliud quam aurea.

2. ¶ Fructus proprie in rebus corporalibus de terræ nascẽtibus dicitur,& diuersos respectus ac cõditiones habet.Secũdũ enim quod dulcedinẽ habet,reficit & in vsum hominis venit,est etiam vltimũ ad quod naturæ operatio peruenit. Itẽ omne illud quod ex agricultura expectatur per seminationẽ ac quoscunque alios modos. Porro cum ea quę metaphoricè dicuntur,possunt variè accipi secundum adaptationes ad diuersas proprietates eius vnde fit assumptio : ideo secundum diuersas conditiones fructus corporalis,diuersimode fructus spiritualis accipitur.Quandoque igitur accipitur fructus spiritualis pro eo quod reficit quasi finis vltimus , secundũ quẽ modum dicimur frui deo in patria.Virtutes quoque, quæ secundum B.Ambro.mẽtem reficiunt quadam dulcedine, fructus vocantur.Ad Galat.5. Fructus autem spiritus gaudium, &c.Denique omne præmium quod in futuro pro nostris laboribus recipimus,fructus potest appellari secũdum illud ad Roma.6.Habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam.Cæterum accipiendo fructum quodam speciali modo , secundum quod procedit ex semine,qualiter de eo Christus loquitur Matth.13. diuidens inter fructum trigesimum , sexagesimum & centesimum : sic fructus distinguitur ab aurea & aureola. Quia aurea consistit in gaudio essentiali,quod est de deo, aureola verò in gaudio quod est de perfectione operis , sed fructus consistit in gaudio quod habet homini quantum per quãdam spiritualitatem à carne recedens magis exultus,paratus atque dispositus fuit ꝛt in eo semẽ spirituale quod est verbum dei,fructũ vberiorẽ faceret.

3. ¶ Cum itaq; in homine carnis dominio prævalente minus sit efficax virtus sementiua, spiritualis seminis verbi dei , illi præcipue virtutis, fructus ascribendus est , quæ ab hoc dominio hominem magis liberat. Hoc autem continẽtia facit. Nam delectationes venereæ quæ per continentiam cohibentur ac reprimuntur sunt præ cęteris magis vehemẽtes,& per

cas homo magis carni subijcitur secundum quod Hieronymus dicit quod in actu carnali deus prophetarum corda nó tangit, & secundum Philosophum. 7. Ethicor. impossibile est in illa delectatione aliquid intelligere. Et ideo cõmentię magis respondet fructus, quàm alij virtuti.

4. Quia vero est quædam spiritualitas necessaria, ea videlicet quæ carnis delectationibus non vtitur, nisi secundum rectã ordinem rationis, cuiusmodi est continentia coniugatorũ & quædam superabundans per quam homo ab huiusmodi carnis delectationibus spiritum suffocãtibus omnino se abstrahit, vel secũdum omne tempus, videlicet præteritum, præsens & futurũ vt est spiritualitas virginum, vel secundum aliquod tempus vt est spiritualitas viduarum, ideo seruantibus continẽtiam coniugalem, datur fructus trigesimus, vidualem sexagemus & virginalem centesimus. Decet enim, vt secundũ diuersum modũ spiritualitatis (quã continẽtia facit) diuersi fructus distinguantur & assignẽtur. Cuius & alia ratio assignata posset ex natura numerorũ, sed hãc breuitatis causã dimitto.

¶ An virginibus debeatur aureola. 2. An martyribus debeatur. 3. An debeatur doctoribus. 4. An Christo debeatur. 5. An cõpetit angelis. 6. An conueniat etiã corpori. Ar. 22.

SI quidem aureola proprie accipiatur, tunc omnibus ac solis illis virginibus aureola proprie debetur, quæ propositum habuerunt virginitatem perpetuo seruandi siue hoc propositum voto firmauerint, siue non: etiam si interruptum fuerit integritate tamen carnis manente: dummodo in fine vitę inueniatur, quia virginitas mẽtis reparari potest, non virginitas corporis. Nam vbi est specialis ratio victoriæ, ibi debetur aliqua specialis corona. Per virginitatem vero aliquis singularẽ quandã victoriã obtinet de carne, contra quã pugnat continue, vt patet ad Galatas. 5. Spiritus concupiscit aduersus carnẽ. Cùm verò meritum actui virtutis debeatur à charitate imperato, virginitas autem secundũ hoc ad genus virtutis spectet, secundum quod perpetua incorruptio mẽtis & corporis sub electione cadit patet, quod nõ cuilibet virginitati, sed illi duntaxat omni & soli corona debeatur, quę aureola vocatur, quæ est à proposito virginitatẽ perpetuo seruãdi. Vnde Esa. 56. dicitur: Hæc dicit dominus de⁹ eunuchis. Et sequitur. Dabo eis nomẽ meli⁹ à filijs & filiab⁹. Dicit glos. propriã gloriã excellẽtemq; significat. Sed per eunuchos, qui

seipsos castrauerunt propter regnum cœlorũ virgines designantur. Ergo virginitati debetur aliquod excellens premiũ, & hoc vocatur aureola.

2. ¶ Martyrio quoq; aureola debetur sicut & virginitati. Nã sicut per virginitatẽ perfectissime triumphatur de concupiscentijs carnis, quæ inter omnes passiones interiores sunt magis vehemẽtes, ita & per martyriũ triũphatur de morte quæ inter passiones exterius illatas primum ac pręcipuum locum obtinet potissimum ea mors quæ propter Christũ suscipitur, cuiusmodi est mors martyrũ. Martyrem quippe nõ pœna facit, sed causa. Vnde Augustin⁹ in libro de virginitate. Nemo (quantũ puto) ausus fuit virginitatem præferre martyrio. Sed virginitate debetur aureola. Ergo & martyrio. Qualiscũque igitur afflictio propter Christũ illata, siue famis siue carceris, siue vulneris vsq; ad mortẽ cõtinuata, siue mors inde sequatur siue nõ, aliquis martyr efficitur & aureolã meretur, sicut de beata Cecilia patet, quæ accepto vulnere triduo superuixit. Et quotidã martyria in ecclesia celebrãtur, qui in carcere mortui sunt, aliquibus vulnerib⁹ lõge ante susceptis, sicut tẽ, non ꝓpterea aliquis martyr dicetur, sicut patet de beato Syluestro, de quo nõ solẽnizat ecclesia sicut de martyre: quia in pace vitã finiuit, quãuis pr⁹ aliquas passiones sustinuerit.

3. ¶ Per prædicationem etiam ac doctrinam de pertinentibus ad salutem, diabolus à cordibus hominum expugnatur, sicut quibusdam spiritualibus armis, de quibus dicitur. 2. Corinthi. 10. Arma militiæ nostræ sunt non carnalia, sed spiritualia. Ea verò est perfectissima victoria quando aliquis non solum diabolo impugnanti non cedit (quod fit per virginitatem ac martyrium) sed etiam expellit eum, & non solum à se, sed etiam ab alijs. Et ideo quibuscunq; licite actum prædicationis & doctrinæ exercentibus aureola debetur, non minus quam virginitati ac martyrio. Vnde ad Ephes. 2. super illud. Vt sciatis quæ sit supereminẽs, &c. dicit glo. Quoddam meritum habebunt sancti doctores, vltra id quod alij cõmuniter habebunt. Prælati ergo quamuis officium prædicandi habeant, tamẽ nisi actu prædicẽt aut scribẽdo scripturã sacram exponant (hic enim est etiã quidã docẽdi modus) aureolã nõ habebunt. Corona quippe nõ debetur habitui sed actuali pugnæ, secundum illud. 2. Timo. 2. Nõ coronabitur, nisi qui legitime

gitime certauerit.

4. ¶ Quãuis verò id ꝙ est in Christo. nõ habeat rationem aureolæ tñ est excellẽtius omni aureola. Illis siquidẽ cõperit habere aureolam in quibus est aliqua perfectionis victoriꝫ participatum, secundum imitationem eius, in quo perfecte victoriæ ratio plena consistit. In Christo autẽ inuenitur, huius victoriæ plena & principalis ratio, per cuius victoriam omnes victores constituuntur, vt patet Ioan. 16. Confidite, ego vici mundũ. Et Apoc. 5. Ecce vicit leo de tribu iuda. Ideo Christo nõ cõperit habere aureolã, sed id vnde omnes aureolæ originantur. Vnde dicitur Apocal. 3. Qui vicerit, faciam eũ sedere in throno meo, sicut ego vici & sedeo in throno patris mei.

5. ¶ Nec angeli aureolam habent ratione eorum propter quæ hominibus aureola debetur. Aureola enim respõdet cuilibet perfectioni excellenti in merito, ea autem quæ in hominibus ad perfectionem meriti pertinent, angelis sunt connaturalia, vt est virginitas, vel etiam spectant ad communẽ statum eorum, sicut doctrina qua docent homines, aut etiã ad ipsum præmium essentiale ipsorum: sicut perpetua incorruptio spiritus, quæ in eis est de necessitate saluus, cum in eis non possit subsequi reparatio post ruinam.

6. ¶ Aureola quidẽ est principaliter in mẽte, cũ sit gaudiũ de illis operib⁹, quib⁹ debetur aureola, sed per quãdã redũdãt ad refulget etiam in corpore vel in carne. Sicut enim ex gaudio essentialis præmij quod est aurea, redũdat quidam decor in corpore qui est gloria corporis, ita verisimile est ex gaudio aureolæ resultare aliquem decorem in corpore, vt sic merito quod exercetur per corpus respondeat etiam præmium & in anima & in corpore.

¶ An conuenienter tres aureolæ designentur virginũ scilicet, martyrum & doctorum. 2. An virginum aureola sit inter alias potissima. 3. An vnus aureolam virginitatis vel martyrij vel doctoris excellentius alio habeat. *Articulus* 122.

CVm itaq; sint tantũ tres priuilegiatæ victoriæ in tribus pugnis, quæ cuilibet homini imminẽt, ideo tres tantũ aureolæ assignãtur. Aut enim victoriã quis obtinet cõtra delectationes veneras (quæ sunt reliquis delectationib⁹ vehemẽtiores: & sic est aureola virginibus debita. Aut cõtra mundũ qñ videlicet persecutiones mundi aliquis vsq; ad mortem sustinet, quę in hac pugna est pręcipua victoria, &

victoria, & sic secũda aureola debetur martyribus, qui in ista pugna victoriam obtinent. Doctoribus verò ac prædicatoribus tertia debetur aureola, quia in pugna qua cõtra diabolũ pugnatur, alia censetur potissima, qñ aliquis diabolũ nõ solũ à se, sed etiã à cordibus aliorũ remouet (quod fit per prædicationem & doctrinam.) Siue igitur secundum quosdã distinguantur tres aureolæ secundum potissimos istium vitium animæ actus, vt videlicet aureolam doctorum dicamus respondere potissimo actui rationalis, qui est veritatem fidei etiam in alijs diffundere, aureolam verò martyrum potissimo actui irascibilis, qui est mortem propter Christum superare: virginum verò aureolam potissimo actui concupiscibilis, qui est à delecta bilibus carnis penitus abstinere. Siue etiam distinguantur secundum ea quibus Christo nobilissime conformamur, vtpote in eo quod fuit, doctor, martyr & virgo, constat nihilominus tantum tres distingui aureolas.

2. ¶ Simpliciter quidem loquendo aureola martyrum inter omnes est potior. Aureola enim secundũ propriã rationẽ respicit victoriam & pugnã, sed pugna martyrũ est fortior, & vehemẽtius affligẽs. Potro quantũ ad aliquid, nihil prohibet alias aureolas excellẽtiores esse. Pugna enim carnis est periculosior, inquantum est diuturnior, & magis nobis imminere vicino, quam pugna martyrum. Aureola quoq; doctorum, ratione eorum de quib⁹ est pugna, inter omnes est potior, quia huiusmodi pugna versatur circa intelligibilia, aliæ verò pugnæ circa sensibiles passiones.

3. ¶ Est autem non tantum vna aureola potior alia, puta aureola martyrũ, potior quã aureola virginũ: sed etiam vna aureola, videlicet virginitatis, martyrij vel doctoris, potest in vno esse maior quàm in alio. Aliquid enim intẽditur & remittitur per intensionem & remissionem suæ causæ, meritum autem (quod est causa aureolæ) potest esse maius & minus, vnde & aureola potest esse maior & minor, sicut patet in duobus, quorum vnus sustinet grauius martyrium, aut frequentius docet ac prædicat quàm alius. Et quia intensioni meriti, quæ attenditur penes radicem charitatis, non respondet intensio aureolæ, sed aureæ intensioni verò meriti, quæ est ex genere actus, respõdet intensio aureolæ: fieri potest quòd aliquis, qui minus in martyrio meretur, quantum ad essentiale præmium, habeat pro merito maiorem aureolam.

¶ In

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ An damnati in inferno sola pœna ignis affligãtur. 2. An vermis, quo affligũtur impij, sit vermis corporalis. 3. An fletus qui erit in damnatis, sit corporalis. 4. An damnati sint in tenebris corporalibus. Articulus 223.

HOc diuinæ iustitiæ conuenit, quod peccatores, qui ab vno recedentes in rebus materialibus quæ sunt multæ & variæ finem suum posuerunt: multipliciter & etiam ex multis affligantur. Quamobrem nõ tantum ignis, sed quicquid est ignobile & fœtulentum in elementis, in infernum proijcietur ad pœnam damnatorum, secundum Basilium, vt sic ex omnibus creaturis tormẽtum damnatis accrescat, secundum illud Sapientiæ quinto: Pugnabit cũ illo orbis terræ contra insensatos. Et in psalmo dicitur: Ignis sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum. Quod verò secundum illud Iob. 31. Transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium, nullum ex omnino refrigerij præstabit huiusmodi pœnarum vicissitudo aut varietas quia passio ab exterioribus non erit per transmutationem corporis à sua propria naturali dispositione, sed per actionem spiritualem secundum quod sensibilia agunt in sensum secundum esse spirituale, & non secundum esse materiale.

2. ¶ Vermis ille qui in damnatis ponitur Iudich. 15. Et dabit ignem & vermes in carnes eorum. Et Eccles. 7. Vindicta carnis impij ignis & vermis, non debet intelligi esse materialis, quia sicut iam suprà probatum est, innouato post diem iudicij mundo, nõ remanebit aliquod animal aut corpus mixtũ, nisi corpus hominis tantum. Dicitur autem conscientiæ remorsus vermis spiritualis, quia ex puttedine peccati oritur, & animam affligit, sicut corporalis vermis ex putredine oritur affligit pungendo. Vnde Augusti. 20. de Ciui. dei: In pœnis malorũ inextinguibilis ignis & viuacissimus vermis, ab aliis aliter atque aliter est expositus. Alij vtrumque ad corpus, alij vtrũq, ad animã referunt, alij proprie ad corpus ignem tranpice ad animam vermem, quod credibilius esse videtur.

3. ¶ Post diẽ iudicij quiescente motu cœli, nõ erit aliqua regeneratio, vel corruptio, vel corporalis alteratio: sicut superius est ostensum. Quãtum ergo ad lachrymarũ resolutionẽ, nõ poterit esse fletus corporalis in dãnatis. In lachrymarũ enim resolutione oportet esse illius humoris regenerationem, qui per lachrymas distillat. Cum verò corpora damnatorum nõ solum

solum ab exteriori sed etiam ab interiori affligantur, secũdũ quod corpus immutatur ad passionem animæ in bonum vel in malum, quantum ad hoc fletus in damnatis esse poterit post resurrectionem, secundum quandam commotionem & turbationem cupitis & oculorum, respondentem delectationi culpæ quæ fuit in anima & in corpore.

4. ¶ Simpliciter quidem loquendo, infernus est locus tenebrosus, tum ratione situs localis, quia in terræ medio vbi infernus ponitur non potest esse ignis nisi fœtulentus & turbidus & quasi fumosus, tũ ex commassatione & compressione corporum damnatorum, quæ præ multitudine ita replebunt locum inferni, quod ibi nihil de aëre manebit: & sic non erit ibi aliquid de diaphono, quod possit esse subiectum lucis nisi oculi damnatorum, qui erunt obtenebrati. Vnde Matt. 22. dicitur: Ligatis manibus & pedibus, proijcite eum in tenebras exteriores. Super quod dicit Grego. Si ignis ille lucẽ haberet, in tenebras exteriores nequaquam mitti diceretur. Sed quia dispositio inferni talis erit, quod maxime miseriæ cõpetat dãnatorum, ideo ex diuina dispositione erit ibi aliquid luminis, quod sufficiat ad videndum illa, quæ animam torquere possunt. Visio quippe etsi secundum se sit delectabilis (vt dicitur in principio metaphysicæ) tamen per accidens contingit visionẽ esse afflictiuam, in quãtũ videmus aliqua nobis nociua vel nostræ voluntati repugnãtia. Et hoc est, quod Grego. 20. li. Moralium super illud Iob: Sẽpiternus horror inhabitat, dicit: Quamuis ignis illic ad consolationem non lucear, tamẽ vt magis torqueat ad aliquid lucet. Nam sequaces quos secũtra xerunt de mundo reprobi, flamma illustrante visuri sunt.

¶ An ignis inferni quo cruciãbuntur corpora dãnatorũ, sit corporeus. 2. An ignis ille sit eiusdem speciei cum igne isto corporeo, quem videmus. 3. An ignis ille sit sub terra. Articulus 224.

IGnis ille, quo cruciabuntur corpora damnatorum, post resurrectionem etsi corpora materialiter non alterabit tamen in ea punitionem quadam spirituali actione. Et ideo oportet de illo igne dicere, quod sit corporalis, ac idem secundum substantiã cum igne materiali, qui apud nos est, differens secundum punitionis effectum. Corpori namq; nõ potest adaptari nisi pœna corporea. Vnde beatus Gregorius quarto dialogorum probat ignem istum esse corporeũ, quia reprobi post diem iudicij in eum detrudentur. Sicut au-

tē ignis fornacis modificatur ex industria fabri in sua actione, ignis, secūdū q̄ cōpetit suæ artis ita & ignis ille infernalis modificatur ex ordine diuinæ iustitiæ (cuius est instrumentū) vt non vno modo omnes peccatores cruciet, sed vnusquisq; quantum exigit culpa, tantum ab hoc igne sentiet de pœna.

2. Quod verò ignis inferni quantum ad hoc quod habet de natura ignis sit ejusdē speciei cum igne, qui apud nos est, manifestum est. Quocunque enim modo ignis inueniatur, siue in materia propria, prout est in sua sphæra, siue materia aliena terrestri, videlicet vt in carbone, ac aērea vt in flamma, siue hoc sit per violētiam, vt in ferro ignito, siue ex principio intrinseco naturali, vt in sulphure, semper est idem in specie, quātum ad naturam ignis pertinet. Cum verò sit ignotum, in qua materia sit ignis inferni, propria videlicet an aliena, secūdū hoc potest ab igne qui apud nos est specie differre materialiter cōsideratus. Potest enim diuersitas esse in specie quātum ad corpora, quæ sunt materia ignis, sicut flamma, & carbo differūt specie, & lignum igneū & ferreum ignitū. Quod itaq; ignis qui apud nos est lignis nutritur, & ab homine accēditur, propterea est, quia est artificialiter & per violētiam aliena materia introductus, sed ignis ille infernalis lignis non indiget, quibus foueatur, quia vel est in propria materia existens, vel est in aliena materia nō per violentiam, sed naturam à principio intrinseco. Vnde non est ab homine succensus, sed à deo qui naturam instituit, secundum quod dicitur Esa. 3. Flatus domini sicut torrens sulphuris succedens eam.

3. ¶ Quanuis per certitudinem ac euidentiam sciri non possit pro statu huius vitæ, in qua parte mundi sit infernus, conuenientius tamen est his quæ in scriptura dicūtur, vt sub terra esse credatur. Huius autem duas rationes B. Gregorius dialogo assignat. Quarum prior est ex ipsa nominis ratione. Infernum enim dicimus quia inferius iacet. Altera est ex hoc quod dicitur. 1. Apo. Nemo poterat neq; in cœlo, neq; in terra neq; subt⁹ terrā, &c. Vbi hoc quod dicitur subtus terrā, referunt ad animas existētes in inferno. Idē conformat B. Aug. 12. super Genesim ad literā duab⁹ alijs rationib⁹. Vna est, vt quorundā defunctorū animæ carnis amore peccauerunt, hoc eis exhibetur, quod ipsi carni mortuæ solet exhiberi, vt scilicet sub terra tumulentur. Alia est, quod sicut est grauitas in corporibus, ita stultitia in spiritib⁹, & lætitia sicut leuitas. Vnde sicut secūdū

pus si ponderis sui ordinē teneāt, inferiora sunt omnia grauiora, ita secūdum spiritum inferiora sunt omnia tristia. Et sicut conueniens locus gaudio electum est cœlum empyreū. ita conueniens locus tristitiæ damnatorum est infimum terræ. Et sic Esaiæ 14. dicitur: Infernus subtus cōturbatus est in occursum tui.

¶ An omnis voluntas damnatorum sit mala. 2. An damnati vnquā pœniteant de malis, quæ fecerunt. 3. An damnati recta ratione & de liberatiua, possent velle nō esse. 4. An dānati in inferno vellent esse alios damnatos, qui non sunt damnati. Articulus. 225.

VOluntas deliberatiua damnatorū, id est, quę est in eis ex seipsis, secundum quod est in potestate eorū inclinati in hoc vel in illud per affectum, est in eis solum mala. Quia nulla volūtas potest esse bona, nisi in ordine ad vltimum finem. Damnati verò sunt ab hoc vltimo penitus auersi. Sola itaque voluntas naturalis damnatorū quæ nō est in eis ex seipsis, sed ex actione naturæ, quę hāc inclinationē posuit, potest esse in eis bona natura in eis integra ac bona remanente. Sed quia etiam illa inclinatio bona naturalis, per eorum malitiam corrumpitur, inquantum hoc bonum quod naturaliter desiderant, sub malis circunstantijs desiderant. Ideo etsi aliquod bonum naturaliter velint, sicut viuere, intelligere, & huiusmodi, tamē quia hoc bonum non bene volunt, non potest eorum voluntas ex hoc bona censeri simpliciter.

2. ¶ Proinde voluntatis malitia in damnatis perseuerante, nec per se de peccatis pœnitebūt. Quia peccatū in eo quod peccatū est, non abominabuntur. Cum verò peccato pœna annexa sit per quam affligentur, ratione illius saltem per accidēs pro peccato pœnitebunt. Vnde Sapi. 5. de dānatis dicitur intra se pœnitētiam agentes. Et Philosō. 9. Ethico. dicit, quod pœnitudine replētur mali, mox enim tristātur de hoc, quod male lætati sunt.

3. ¶ Quāuis verò nō esse, non sit per se eligibile, cum nō habeat rationē boni, sed sit boni priuatio, quia tamen non esse priuat miseriam, quæ est maximum malorum, per consequens habet quandam rationem boni, secundum quod Philosō. 5. Ethico. dicit, quod carere malo bonum est. Et ideo dānati possunt præeligere non esse, secundū deliberatiuam rationē. Vnde Apo. 9. dicitur: In die illa desiderabūt homines

mori,& fugiet mors ab eis

4.¶ Sicut in beatis erit perfectissima charitas, propter quã de omnibus bonis gaudebũt, ita in damnatis erit summũ odiũ per quod de omnibus bonis dolebunt, maximè verò de sanctorum felicitate. Et ergo cupient omnes esse dãnatos, secundum quod in eorum persona dicitur Esa. 26. Videãt & confundantur populi,& ignis hostes tuos deuoret.

¶ An damnati habeant deum odio. 2. An damnati demereantur. 3. An damnati possint vti notitia, quam hic mundo habuerunt. 4. An damnati cogitabunt de deo. 5. An damnati gloriam videant beatorum. Articulus. 226.

QVicunque deum per essentiam vident, eum odio habere nõ possunt. Quia eũ ipse sit per essentiam bonitas, non potest alicui voluntati displicere. Dãnati verò quia deũ per essentiã nõ vident, sed tantũ per effectus iustitię, possunt eũ odio habere. Huiusmodi quippe effect' sunt pœnales,& ob hoc volũtati repugnãt. Et secundum hoc in psal. dicitur. Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.

2.¶ Respectu retributionis essentialis nullum erit meritum in beatis, nec demeritum in damnatis, nec ante diẽ iudicij, nec postea. Meritum quippe vel demeritũ ordinatur ad id quod bonum vel malum vlterius consequendũ, sed quantũ ad retributionem essentialem & ante diem iudicij & postea erit vltima consecutio & bonorum & malorum. Sed quia vsque ad diem iudicij aliqui trahuntur ad bonum officio bonorum angelorum,& aliqui ad malum instigatione malorũ: Ideo respectu præmij accidentalis, ac pœnę secundariæ possunt augeri meritum & demeritum vsq; ad diem iudicij præcipuè in angelis bõnis ac malis. Ex hoc enim crescit gaudiũ bonorum angelorum,& crescit pœna malorum.

3.¶ In damnatis erit actualis cognitio eorum, quæ prius fecerunt, aliter tamen quàm in beatis. Quia in beatis erit ad materiam gaudij, ne quid desit perfectioni beatitudinis. In damnatis verò ad augmentũ tristitiæ, vt sit eorum consummata miseria. Potest nãque cognitio esse ratio tristitiæ & ex parte cognoscibilium quæ sunt nãta contristare, & ex parte cognitionis prout eius imperfectio consideratur. Et sic damnati cõsiderabuntur, & mala quæ gesserunt, ex quibus damnati sunt, & bona delectabilia quæ amiserunt similiter considerabunt notitiam quam de rebus speculabilibus habuerũt imperfectam esse, & se amisisse summam eius perfectionẽ, quam poterant adipisci. De quibus omnibus dolebunt.

4. ¶ Cognitio verò damnatorum nullo modo erit de deo, secundum quod est proprium, scilicet esse bonitatis principium. sic nempe sine gaudio de deo cogitari nõ poterit. Sed quia cognitio de deo potest tristitiam inducere, inquantum est ab eo punitio aut aliquid huiusmodi, ideo damnati cogitabunt, de deo saltem per accidens, id est secũdum id quod est ei quasi accidentale in effectibus eius.

5. ¶ Augmentum miseriæ damnatorum spectat, vt non solũ ipsi pœnas suas experiantur, sed vt etiam gloria beatorũ ante diem iudicij videant, id est, cognoscant sanctos esse in gloria inæstimabili. Ex hoc enim turbantur & affliguntur, tum propter inuidiam, dolentes de felicitate eorũ, tum propter hoc quod ipsi talem gloriam amiserunt. Vnde dicitur Sapientiæ quinto de impijs. Videntes turbabuntur timore horribili: Hac tamen visione ac cognitione post diem iudicij ptiũabuntur, vt etiam cognoscant se indignos reputati videre gloriam, quam sancti merentur habere.

¶ An ex diuina iustitia inferatur peccatoribus pœna æterna. 2. An per diuinam misericordiam omnis pœna terminetur, tam hominum quam etiam dæmonum. 3. An christianorum præsertim opera misericordiæ facientium pœna per diuinam misericordiam terminetur. Articulus. 227.

QVantitas pœnæ respondet quãritati culpæ secundum intensionem acerbitatis, vt secundum quod quis grauius peccauit, secundũ hoc ei grauior pœna infligatur. Vnde Apoca. 18. Quantum glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctũ. Porro pœnæ duratio non respondet culpæ durationi, sed peccato mortali, quod est cõtrariũ charitati etiam si in momento fuerit perpetratum, aliquis in æternũ à societate sanctorum expulsus, secundum diuinam iustitiam æternæ pœnæ addicitur, nõ minus quàm secundum leges humanas aliquis per mortem aut perpetuũ exilium à societate ciuitatis sine spe redeundi expellitur propter adulterium, aut quodlibet aliud crimen capitale, licet momẽtaneum. Huius aũt plures rationes à sanctis assignãtur. Quarum prima est, quia peccauerunt contra bonum æternũ, dum contempse

Universidad de Deusto
Biblioteca

runt vitam æternam: sicut Augustinus. 21. de ciuitate dei dicit, factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum quod esse posset æternum. Secunda ratio, quia in bono æterno peccauerunt. Vnde Grego. 4. Dialogorũ, Ad magnã iustitiam iudicantis pertinet, vt nunquam careant supplicio, qui nunquã voluerunt carere peccato. Ex hoc ipso etenim q̃ mortaliter quis peccat, finem suum in creatura constituit, & quia ad finẽ vitæ tota vita ordinatur, ideo ex hoc ipso totam vitam suam ordinat ad illud peccatum, & vellet in perpetuũ in peccato manere, si hoc esset sibi impune. Et hoc Grego. in dialogo ostendens: Iniqui inquit, ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt: Voluissent quippe sine fine viuere, vt sine fine potuissent in suis iniquitatibus permanere. Nã magis appetunt peccare quàm viuere. Tertia ratio, quia per peccatum mortale peccatur contra deum, qui est æternus. Et ergo cum creatura non sit capax alicuius qualitatis aut pœnæ infinitę secundum intẽsionem, requiritur quod sit saltem durationis infinitæ. Quarta ratio, quia manente culpa, nõ debet cessare pœna: culpa autem in perpetuũ manet, quia remitti non potest sine gratia, quã post mortem homo acquirere nõ potest. Quinta ratio quia ex perpetuatione pœnarum magna vtilitas prouenit, quia in his diuina iustitia conseruatur: secundum quod Grego. dicit in dialogis: Omnipotens deus quia misericors est, miserorum cruciatu non pascitur, quia autem iustus est, ab iniquorum vltione in perpetuum non sedatur. Sunt etiam huiusmodi pœnæ vtiles, vt de his electi gaudeãt dum non solum in deo vident gaudia quæ perceperunt, sed in illis etiam percipiãt supplicia, quæ euaserunt, quatenus eã to magis in æternum diuinæ gratiæ debitores se esse agnoscant, quanto in æternum mal apuuiri conspiciunt, quæ eius adiutorio vicerunt. Soli igitur illi à consortio sanctæ ciuitatis in æternum non separabuntur, qui venialiter tantum peccantes, in charitate hinc discesserunt. Charitas quippe est vinculum prædictam ciuitatem vniens. Vnde secundum diuinam iustitiam temporalis tantum pœna illis infligitur vel hic vel in purgatorio, tanto breuior vel diuturnior, quãto magis vel minus erunt purgabiles. Secundo: Sicut dæmones ita & animæ hominum, quæ hinc sine charitate decedunt numquam sunt à pœna gehennæ liberandæ. Dæmones quidem, quia Apocalyp. 20. manifeste dicitur, quod diabolus qui seducebat ho-

mines, missus est in stagnum ignis & sulphuris, vbi bestiæ & pseudo prophetæ cruciabuntur die ac nocte in secula seculorũ: per quod in scriptura significari æternitas cõsueuit. De hominib⁹ verò electis ac reprobis simul dicitur Mat. 25. Ibũt hi in supplicium æternum iusti verò in vitam æternã: sed inconueniens est ponere, quod iustorum vita quandoque finiatur. Ergo & inconueniens est ponere, quod reproborum supplicium terminetur. Quo & Origenis error refellitur, qui misericordiam dei extendere volens ad dæmones ac damnatorum hominum animas, retraxit eã ab angelis bonis ac saluatis: dicens dæmones ac damnatas hominum animas quãdoque à pœna ac miseria liberãdas. Angelos verò ac beatos homines à beatitudine ad huius vitæ miserias deuoluendos. Tertio. Quicunq; igitur cum peccato mortali decedunt, nec fide nec quibus libet misericordiæ operibus à pœna æterna liberabuntur, etiam post quãtumcunque spacium temporis. Quia sine charitate nõ potest aliquid esse deo acceptũ, nec sine ea prodest aliquid ad vitam æternam, vt patet primo Corinthio. 13. Fides quoq; sola non tantum ab æterna pœna nõ liberat, cum fides operib⁹ mortua dicatur, Iacobi. 2. & Mat. 7 dicitur: Non omnis qui dicit mihi, Domine domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est. Verum etiam si quis fidem catholicam teneat, & ei male viuendo contra dicat, nõ minori pœna dignus efficitur, sed maiori. Dicitur enim 2. Petri. 2. Quia melius erat eis viam veritatis nõ cognoscere, quàm post agnitam retrorsum ab eo, quod traditum est illis sancto mandato. Sunt item multi fornicarij, adulteri, & raptores, in operibus misericordiæ se exercentes, aut sua egenis impartientes, aut quę ab alijs per rapinas atq; calumnias extorserũt in eleemosynas refundentes: fornicarij verò adulteri ac raptores, regnum dei non possidebunt, vt habetur 1. Cor. 6. Sed secundum illud Iacob. secundo. Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Ergo quicunq; seruat legem quo ad opera misericordiæ, alia bona opera aut negligens, aut contemnens, reatum de transgressione legis incurret, & ita æternaliter punietur à iustissimo iudice deo, qui est super omnia benedictus in secula.

AMEN.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Encomium Christiani Ischyrij ad Dionysium ecstaticum Carthu.

¶Magnanimum prisci mirantes hectora Troes,
Rhoma potens rerum Rhomuleosq; duces,
Herculeosq; ausus miratur Græcia mendax,
Hydram qui clava contudit igniuomam.
Quur non tergeminum mirare Brabantia fœlix
Ricklæum vatem, Carthusiæque decus.
Qui bene Lernæos vicit scribendo furores,
Mercurium superans pneumatis eloquio,
Scripta patrum enarrans, quod non fecêre priores,
Quis bene contages vincetur hæreseos.
Instar apis strepitans, hyblæis floribus omnem,
Collegit succum, mellea verba tenans.
Perspexit vigilans diuina volumina patrum,
Vt populus caperet mystica verba dei,
Obscura illustrans non intellecta priorum,
Annis ijs multis sensa retrusa nimis.
Oedipodem referens scripturæ ænigmata pandit,
Hactenus ignotos permeat iste locos.
Delituit multo frigescens tempore, nulli
Cognitus iniuria est, vindice enim caruit,
Hunc Lohet à Stratis æterno nomine dignus,
Vir pius & prudens, eruit è scoria.
Quem nemo extinguet metitum bene fortibus ausis,
Cui licet impalleus zoilus inuideat.
Perge Lohere, dabunt pro tantis fata petielis,
Mercedem dignam cœlica regna tibi.

Carmen extemporarium Ischyrij ad Dionysium Carthu.

QVis nouus occiduo mutato cardine profilit
Igniuomo iubare affulgens Sol aureus æthe,
Lucidior multo quàm qui consurgit eous
Lucifer actus equo, mundi illustrator opaci.
Nam per quadrifidum spargit sua lumina mundum
Cimmeriæ fugiunt tenebræ lucescit vbique
Hactenus obscurum, non intellecta Sophorum
Dogmata clarescunt, quæ non cæpêre priores.
Mox pueri capient dubitata ænigmata patrum,
Quam tenues modo sint docilesq; aptiq; Mineruæ.
Quisquis is est, non est dubium, quin missus olympo
Vt sua in immensum spargat noua lumina mundum.
Hic est ecstaticus Dionysius, ore disertus,
Eloquio præstans, nulli pietate secundus.
Doctrina exuperans, interpres & ore fidelis
Artis multijugæ, quo non præstantior alter.
Fons est eloquij, paraphrastes, cephratis autor.
Omnia declarat, quod non fecêre priores.
Forsitan haud facient meditantes multa nepotes.
Audi aliquid lector, quod nescisse dolebis.
Est operæ pretium mentem recreare legendo.
Et veterum assiduè tractare volumina patrum.
Quum ferme in toto frigesceret orbe sacrata,
Religio, & superum cultus qui multos annis
Perstiterat, cœlo gratus bona fœnora reddens,
Et pœnitus toto Monachismus languidus orbe.
Exiltum patiens frigeret villor alga,
Cui vix in toto patuit cessus in orbe
Tutus, sed fugiens tardæ testudinis instar
Delituit timidus propere in sua claustra receptus.
Inq; Lupos versi Monachi, vestræq; sorores
Proclamarentur pueris senibusq; prophanis,
Bardocucullati passim sine honore repulsi,
Et vix in toto Monachus sua nomina aperte
Auderet fari, furtim, sed procipiens se,
Diffugit in claustra cochleam sectatus inertem,
Emicuit tandem Dionysius orbe Brabanto.
Rikelius, Halbanus, quo non facundior alter.
Quem ingenium præstans, librorum copia prisci,
Omnibus exequat, citra inuidiam bone lector.
Crede mihi, non est vanum, scriptoribus arte probata,
Quandoquidem ex scriptis facile modo discitur eius,
Quod fuit abstrusum, & quod nescire priores.
Quicquid in arcanis diuina volumina seruant
Non intellectum, caples interprete tanto,
Vt possis tandem cataphractus pellere fœdam

Ditigenum turbam, valde atque occurrere sacris
Hæresibus, Christi male depascentibus herbam.
Pestibus & varijs toto gliscentibus orbe.
Quippe grauem rerum facit ignorantia casum,
Qua ruit in præceps ecclesia sancta: sed vnus
Instaurabit agens Dionysius impiger aeres
Supponens humeros, propugnans ore diserto,
Si aduerit. Sed neglectus, sub sorde vetusta
Delitet, & carie contosus forte maligna.
Sed Loher á Stratis veniet Theodorichus ille,
Vir pius & prudens, scotia euecturus in altum
Dulciſluum, & multa Dionysion arte fluentem,
Qui claua Herculea contundens fortibus ausis,
Quicquid in ecclesiam subrepsit pestiferum almam,
Supprimet hæreseos sacræ mala dogmata plebem,
Quæ infecere rudem non intellecta prophanis,
Emersis phlegetonte vitis, sutoribus atque
Claudis, quæ is nihil est sapidum, nisi quod Styge natum,
Fata superna ferant ventos ad vela secundos.
Nauiget vt tutus per tot discrimina rerum
Per mare Velifragum Theodorichus auspice Christo,
Qui vehat in tutum fluitantia carbasa portum,
Nimbus & faueat, blanda quoque fronte Moneta,
Affatim vt expromant loculi non deficientes,
Chalcotypis præsium impensi sine fine laboris,
Vt semel emergant conscripta volumina patris,
Quæ latuêre diu catie conserta maligna.
Hinc ferat æternam laudem Theodorichus author,
Ne tantus putri lateat tellure sepultus
Thesaurus, multa in cœlos mercede ferendus,
Qua beet authores operum post fata beatos,
Promeritam vt capiant laudem, Rex Iuppiter æquus.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca